Z.G.

O. 161

A. R. P.

FR. MARCI SERRAE.

ALCODIANI.

Sacræ Theologiæ Magiſtri.

ORD. PRÆDIC.

SVMMA COMMENTARIORVM

In Secundam Secundæ S.Th.

TOMVS II.

R O M AE,

Apud Franciſcum Caballum, 1653.

Superiorum permiſſu.

INDEX QVAESTIONVM, ARTICVLORVM, ET DVBIORVM.

QVAESTIO LVII.

De iure.

ARTICVLVS 1. Vtrum ius ſit obiectum iuſtitiæ, ibidem.

Art. 4. Vtrũ debeat ſpecialiter diſtingui ius paternum, et dominatiuum, 4.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE

QVAESTIO LVIII.

De iuſtitia.

Art. 1. Vtrum conuenienter diffiniatur iuſtitia, 6.

Art. 6. Vtrum iuſtitia ſecundũ quod eſt generalis ſit idem per eſſentiã cum omni virtute, 8.

Dub. quid ſit iuſtitia legalis, & quomodo ab alijs virtutibus diſtinguatur, ibid.

Art. 7. Vtrum ſit aliqua iuſtitia particularis præter iuſtitiam generalem, 21.

Art. 10. Vtrum medium iuſtitiæ ſit medium rei, 22.

QVAESTIO LIX.

De iniuſtitia.

Art. 1. Vtrum iniuſtitia ſit vitium ſpeciale, 23.

Art. 2. Vtrum aliquis dicatur iniuſtus, ex hoc quod facit iniuſtum, 24.

Art. 3.

Art.3. Vtrum aliquis poſſit pati iniuſtum volens, 25.
Art. 4. Vtrum quicunque facit iniuſtum, peccet mortaliter, 26.

QVAESTIO LX.

De iudicio.

Art.1. Vtrum iudicium ſit actus iuſtitiæ, 26.
Dub. An iudicium ſit actus elicitus iuſtitiæ, 27.
Art. 2. Vtrum licitum ſit iudicare, 32.
Dub. An peccet iudex in mortali exiſtens alios iudicando, 33.
Art. 3. Vtrum iudicium ex ſuſpicione procedens ſit licitum, 36.
Dub. 1. An omnis deliberata ſuſpicio de malitia proximi in re graui ſit peccatum mortale in indiuiduo ibid.
Dub. 2. An iudicium temerarium de omni, & ſolo peccato mortali, ſit mortale peccatum, 44.
Art.4. Vtrum dubia ſint in meliorem

partem interpretanda, 50.
Dub. Quomodo dubia ſint in meliorem partem interpretanda, ibid.
Art. 5. Vtrum ſit ſemper ſecundum leges ſcriptas iudicandum, 56.

QVAESTIO LXI.

De partibus iuſtitiæ.

Art. 1. Vtrum conuenienter ponãtur duæ ſpecies iuſtitiæ, ſcilicet commutatiua, & diſtributiua, 58.

QVAESTIO LXII.

De reſtitutione.

Art. 1. Vtrum reſtitutio ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ, 60.
Dub. An violatio iuſtitiæ diſtributiuę ſecundum ſe inducat obligationem reſtituendi, 61.
Art. 2. Vtrum neceſſarium ſit ad ſalutem, quod fiat reſtitutio eius quod ablatum eſt, 77.

Dub. 1.

Dub. 1. An qui alteri abſtulit membrum, aut vitam corporis, teneatur aliquid pro ipſa læſione corporali reſtituere, 78.
Dub. 2. An qui virginem violauit teneatur aliquid ei reſtituere, 86.
Dub. 3. An qui famam abſtulit, teneatur eius reſtitutionem facere. 99.
Dub. 4. An honor ſit reſtituendus, & quomodo, 115.
Dub. 5. An qui impedit ne habeat aliquis præbendam, vel officium teneatur ei aliquid reſtituere, 119.
Art. 3. Vtrum ſufficiat reſtituere ſimplum, quod iniuſtè ablatum eſt. 128.
Art. 4. Vtrum aliquis debeat reſtituere, quod non abſtulit, 140.
Dub. An qui damnum intulit reſtituere teneatur, 141.
Art. 5. Vtrum oporteat ſemper reſtitutionem facere ei, à quo acceptum eſt aliquid, 147.
Dub. 1. An qui accepit à fure, quod

inique ſuſtulerat, debeat illud eidem furi reſtituere, ibid.
Dub. 2. An quando res reſtituenda eſt nociua ei, cui eſt reſtitutio facienda, vel alteri, debeat reſtitui, 154.
Dub. 3. An qui accipit aliquid propter rem illicitam, & contra legē, teneatur illud reſtituere, 160.
Dub. 4. Cui ſit facienda reſtitutio quando dominus rei eſt ignotus, vel mortuus, vel multum diſtans, 184.
Art. 6. Vtrum teneatur ſemper reſtituere ille, qui accepit, 197.
Dub. 1. An ſufficienter, & recte numerentur á D. Th. duo tituli, & duo capita, & radices vnde oritur obligatio reſtituendi, nempè res accepta, & ipſa acceptio, 198.
Dub. 2. An qui rem furtiuam accepit à latrone, teneatur eam cum fructibus domino reſtituere, 204.
Dub. 3. An qui bona fide poſſidens rem alienā quam à latrone emerat, vendidit, teneatur cum ſcie-

ue-

uerit eſſe alienam pretium reſtituere, 213.
Dub. 4. An qui dubitat ſit ne res, quã habet, aliena, teneatur eam reſtituere, 220.
Dub. 5. An qui abſque iniuria cum voluntate domini accepit rẽ alienam, illam reſtituere teneatur ratione acceptionis etiam ſi perierit, 228.
Dub. 6. An reſtituere teneatur qui non poteſt abſque periculo amiſſionis famæ, aut vitæ, 237.
Art. 7. Vtrum illi, qui non acceperunt, teneantur reſtituere, 245.
Dub. 1. Qui ſint qui licet non acceperint, teneantur reſtituere, ibid.
Dub. 2. An inter obligatos ad reſtituendum ſit aliquis ordo in reſtituendo, & quis, 274.
Art. 8. Vtrum quis teneatur ſtatim reſtituere, an verò poſſit reſtitutionem differre, 281.
Dub. 1. An qui non reſtituit quod iniuſte acceperat continue peccet, an quandoque, & quando de nouo, ibid.

Dub. 2. An qui non poteſt reſtituere abſque magno ſuo, & ſuorum incommodo, ſit à reſtitutione excuſatus, 293.

Dub. 3. An ſint alia, quæ à reſtitutione excuſent, 305.

Dub. 4. An, & quis ordo ſit in reſtitutione ſeruandus, 310.

Art. 2. Vtrum in diſpenſatione ſpiritualium locum habeat perſonarum acceptio, 324.

Dub. 1. An diſtribuentes ſpiritualia, ac beneficia Eccleſiaſtica peccent mortaliter peccato acceptionis perſonarum non eligendo digniorem, 325.

Dub. 2. An in officiorum ſæculariũ collatione locũ habeat acceptio perſonarum, 342.

Art. 3. Vtrum in exhibitione honoris, & reuerentiæ locum habeat peccatum acceptionis perſonarum, 350.

Art. 4. Vtrum in iudicijs locum habeat peccatum acceptionis perſonarum, 351.

QVAB-

QVAESTIO LXIV.

De homicidio.

Art. 1. Vtrum occidere quæcumque viuentia ſit illicitum, 352.
Art. 2. Vtrum ſit licitum occidere peccatores, 353.
Art. 3. Vtrum occidere hominem peccatorem liceat priuatæ perſonę, 356.
Art. 4. Vtrum occidere malefactores liceat Clericis, 358.
Art. 5. Vtrum liceat alicui occidere ſe ipſum, 361.
Art. 6. Vtrum liceat in aliquo caſu interficere innocentem, 365.
Dub. An ſaltem liceat tradere innocentem occidendum Tyranno Vrbis excidium minanti, niſi illũ ſibi tradant, 367.
Art. 7. Vtrum liceat alicui occidere aliquem ſe defendendo, 375.
Dub. 1. An tam pro vitæ, quam pro aliarum rerum defenſione liceat alicui alium occidere, ibid.

Dub.

Dub. 2. An qui pro defenſione vitæ propriæ, vel proximi, aut honoris, & bonorum temporalium occidit hominem incurrat ſingularitatem, 395.
Art. 8. Vtrum aliquis caſualiter occidens hominem incurrat homicidij reatum, 403.
Dubium An hæc doctrina vera ſit. 404.

QVAESTIO LXV.

De mutilatione membrorum.

Art. 1. Vtrum mutilare aliquem membro ſuo in aliquo caſu poſſit eſſe licitum, 415.
Dub. 1. An extra caſus numeratos a D. Thom. mutilatio membrorũ ſit licita, ibid.
Dubium 2. An mutilatio membrorum inducat irregularitatem, 420.
Art. 2. Vtrum liceat Patribus verbe-

berare filios, aut dominis ſeruos, 430.
Art. 3. Vtrum liceat aliquem hominem incarcerare, 432.

QVAESTIO LXVI.

De peccatis iuſtitiæ oppoſitis

Art. 1. Vtrum naturalis ſit homini poſſeſſio exteriorum rerum, 433.
Art. 2. Vtrum licet alicui rem aliquam quaſi propriam poſſidere, 434.
Dubium 1. Quid ſit dominium, quid vſus, & quid poſſeſſio, ibidem.
Dub. 2. Quis habeat, aut habere poſſit rerum dominium, aut poſſeſſionem, 441.
Dub. 3. Quotuplex, & quarum rerũ ſit dominium, 458.
Dubium 4. An ſit licita rerum diuiſio, & appropriatio, & quo iu-

Iure fieri poſſit, 470.
Dub. 5. de tranſlatione dominiorū; an, & quot modis fieri poſſit. 476.

QVAESTIO LVII.

De Iure.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ius ſit obiectum iuſtitiæ.

Concluſio eſt affirmans.

IVS licet multipliciter poſſit accipi, vt patet ex D.Thom.hic ad 1.& alijs,præſertim ſumitur tripliciter. Primò pro lege, de qua S. Iſidorus lib. 5. Etym. cap.3 ait: *Lex iuris eſt ſpecies* Hinc leges tam Imperatorum, quam Summ. Pontificum iura vocamus, & ius hoc mo-

do ſumptum in canonicum, & ciuile diuidimus. Vt autem dicitur in 2. arg. artic. *Lex non eſt obiectum iuſtitiæ*. Quod in eius ſolutione non negat D. Thom. ſed ait: *Lex non eſt ipſum ius propriè loquendo, ſed aliqualis ratio iuris*. Vnde de iure hoc modo ſumpto non loquitur concluſio.

Secundò accipitur ius pro legitima facultate ad aliquid faciendum, obtinendum retinendum, accipiendum, eo vtendum, vel pro ſua voluntate ſe ad aliquam rem habendum, cui ſine iniuria habentis illam contraueniri non poteſt abſque cauſa. Et neque de iure ſic accepto eſt ſermo in concluſione; quamuis nonnulli hanc facultatem obiectum, cui, iuſtitiæ eſſe dicant: quia illi, & ratione illius, homini eam habenti eſt debitum, quod iuſtitia in opere ſuo intendit.

Tertiò accipitur ius pro iuſto: vt enim S. Iſidorus lib. 5. Ety m. cap. 3. relatus à D. Thom. hic inquit: *Ius dictum eſt, quia eſt iuſtum*. Et vt ait D. Thom. hic ad 1. *Hoc nomen ius primo impoſitum eſt ad ſignificandũ ipſam rẽ iuſtam*. Et vt dicit M. Soto lib. 3. de Iuſtitia, quæſt. 1. art. 1. ad 1. per apocopen, hoc eſt, amputationem ſyllabæ in fine dictionis iuſtum dictum eſt ius. De iure ſic ſumpto intelligenda eſt concluſio: hoc enim eſt obiectum, quod, iuſtitiæ; cum hæc ſit: *Voluntas ius ſuum cuique tribuendi*, vt dicit Vlpianus, *L. iuſtitia*, ff. de iuſtitia, & iure, & conſtet iuſtitiam non tribuere cuique legem, aut legitimam

fa-

facultatem, ſed quod iuſtum.

Dupliciter autem accipi poteſt tam iuſtitia, quam iuſtum. Primo accipi poteſt iuſtitia simpliciter, & propriè, qua ratione diuiditur in commutatiuam, diſtributiuã, & legalem. Secundò, vt etiam ſe extendit ad virtutes ei annexas, quales ſunt religio, pietas, miſericordia, liberalitas, & aliæ huiuſmodi, de quibus agit D. Thom. infra q. 80. ar. vnico. Iuſtum etiam, vt colligitur ex D. Thom. loco citato, & hic ad 3, aliud eſt ſecundum perfectam rationem: aliud verò ſecundùm imperfectam rationem, quia ſcilicet deficit ei perfecta æqualitas, aut perfecta ratio debiti. Si ergo loquamur de iuſtitia primo modo accepta obiectum eius eſt iuſtum ſecundum perfectã rationem, Si verò loquamur de iuſtitia ſecundò modo ſumpta, obiectum eius eſt iuſtum, vt abſtrahit à iuſto ſecundum perfectam rationem, & à iuſto ſecundum rationem imperfectam. De ea autem hoc ſecundo modo accepta loquutum fuiſſe D. Thom. colligitur, nam ait in corp. art. *Iuſtitiæ proprium eſt inter alias virtutes, vt ordinet hominem in his, quæ ſunt ad alterũ. Aliæ autem virtutes perficiunt hominem ſolum in his, quæ ei conueniunt ſecundum ſe ipſum.* Conſtat autem etiam virtutes iuſtitiæ annexas ordinare hominem in his, quæ ſunt ad alterum, nam vt ait D. Tho. infra q. 80. art. vnico: *Quia iuſtitia ad alterum eſt, omnes virtutes, quæ ad alterum ſunt, poſſunt ratione conuenienti iuſtitiæ annecti.*

Probat verò, D. Th. concluſionem ſuam ſic: Rectum, quod eſt in opere virtutis, eſt obiectum proprium, ad quod tendit intentio virtutis: ſed rectum quod eſt in opere iuſtitę eſt iuſtum; ergo iuſtum eſt obiectum iuſtitiæ. Minor probatur, quia rectum, quod eſt in opere iuſtitiæ, non accipitur ſolum per comparationem ad agentem, vt rectum, quod eſt in operibus aliarum virtutum, ſed etiam præter comparationem ad agentem, conſtituitur per comparationem ad aliud: ſed hoc eſt iuſtum: *Illud enim in opere noſtro dicitur eſſe iuſtum, quod reſpondet ſecundum aliquam æqualitatem alteri*; ergo, &c.

Circa articulum 2. nihil ſe offert dicendum.

Circa artic. 3. vide quę diximus 1. 2. qu. 95. art. 4.

ARTICVLVS IV.

Vtrum debeat ſpecialiter diſtingui ius paternum, & dominatiuum.

Concluſio eſt affirmans.

Dvbitat hic Caietanus, an inter patrem, & filium ſaltem, vt ſunt quidam homines, ſit iuſtum ſimpliciter? Reſponderque non eſſe abſolute loquen-

quendo inter patrem,& filium iuſtum ſimpliciter quomodocunque ſumantur; quia illi homines, qui ſunt pater, & filius, non ita ſunt diuerſi, quin ſimpliciter, & abſolutè, ſint totum, & pars: nam vna pars patris, ſemen ſcilicet quod ex ſubſtantia patris deciſum eſt, eſt filius; ac per hoc bonum, vel malum vnius non eſt alienum à reliquo. Vnde ſi damnaretur filius, non eſſet à damnatione extraneus pater. Propter quod Seleucus Locrenſium Princeps, cum filio vterque eſſet eruendus oculus, inter ſe,& filium eruendos diuiſit oculos.

Magiſter Soto lib. 3. de iuſtitia,q.1.art.4. ad finem diſtinguendum eſſe putat,aitque: *Quod quantum ad naturalia iura ſemper inter filios etiam emancipatos, & parentes manet ius paternum: puta quantum ad honores illis deferendos, & quantum ad aliqua obſequia, & iuuamina, dum opus illis fuerit filiorum opera. Sed quantum ad ciuilia ius ſimpliciter, & iuſtum eſt inter illos.* Vnde inter patrem, & filiū poſſunt celebrari contractus emptionis, venditionis, & alij, in quibus iuris ratio ęqua libra vtrinque pendet, ſi tamen ſit filius emancipatus.

QVÆSTIO LVIII.

De Iuſtitia.

ARTICVLVS I.

Vtrum conuenienter diffiniatur iuſtitia, quod eſt perpetua, & conſtans voluntas ius ſuum vnicuique tribuens.

Concluſio eſt affirmans.

HÆc diffinitio ſumpta eſt ex Vlpiano, leg. *iuſtitia*, ff. de iuſtitia, & iure, quam ad hanc formam reducit D. Tho. *Iuſtitia eſt habitus, ſecundum quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate ius ſuũ vnicuique tribuit.*

Habitus genus eſt iuſtitiæ, non proximũ, ſed remotum: proximum enim genus iuſtitiæ eſt virtus, per quod eam diffinit S. Aug. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 21. dicens: *Iuſtitia ea virtus eſt, quæ ſua cuique diſtribuit* D. Thom. ſequutus Ariſtotelem iuſtitiam per habitum diffiniuit tanquam per genus remotum quidem, ſed notius, & manifeſtius, inquiſiturus deinde art. 3. an ſit virtus.

Ius

Ius obiectum eſt iuſtitiæ, vt diximus q. præced.artic. 1. & ſuum ius vnicuique tribuere actus eius; ſicque per hæc, à quibus habitus ſpeciem habet, merito diffinitur.

Cum autem, vt actus ſit virtuoſus requiratur, vt ſit voluntarius, & vt ſit firmus, inquit D. Thom. *Ideo in diffinitione iuſtitiæ primo ponitur voluntas, ad oſtendendum, quod actus iuſtitiæ debet eſſe voluntarius. Additur autem de conſtantia, & perpetuitate, ad deſignandum actus firmitatem.*

Perpetuitas firmitatem actus voluntatis ex parte obiecti deſignat, ita ſcilicet, vt ſit propoſitum perpetuo, & ſemper tribuendi alteri, quod ſuum eſt. Conſtantia vero firmitatem eiuſdem actus voluntatis ex parte ſubiecti deſignat, nempè, vt homo tali propoſito non mutet, ac vacillet, ſed fixum ſe gerat.

Ex his patet in definitione Vlpiani, cum iuſtitia dicitur voluntas, non eſſe prædicationem identicam, ſed cauſalem, vt aduertit M. Soto lib. 3. de iuſtitia, q. 2. art. 1. iuſtitia enim eſt habitus, quo ſit voluntarius actus.

Circa art. 2. 3. 4. & 5. nihil ſe offert ſcribendum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum iuſtitia, ſecundum quod eſt generalis, ſit idem per eſſentiam cum omni virtute.

Concluſio eſt negans.

Dubium, Quid ſit iuſtitia legalis, & quomodo ab alijs virtutibus diſtinguatur.

QVatuor ſunt de hac re Doctorum ſententiæ. Prima eſt, iuſtitiam legalem nihil aliud eſſe, quam complexionem omnium virtutum. Hanc tenent Vega lib 5. in Concilium Trid cap. 4. & alij. Illam etiam ex parte tenent P. Leſſius lib. 2. de iuſtitia cap. 1. dubitatione 3. quamuis enim dicat re ipſa virtutem aliquam particularem eſſe, exiſtimat tamen ſecundum mentem Ariſtotelis iuſtitiam legalem in ſubdito nihil eſſe aliud, quam omnium virtutum complexionem, quatenus legi obtemperat; in ſuperiore eandem complexionem virtutum, quatenus inclinat illum, vt curet leges ſeruari.

Probat ex Ariſtot. 5. Ethic. cap. 1. vbi de iuſtitia legali ait: *Hæc igitur iuſtitia non pars virtutis, ſed tota eſt virtus. Similiter, & iniuſtitia huic contraria non vitij pars, ſed totum vitium eſt.* At ſi iuſtitia legalis eſſet aliqua

par-

particularis virtus, non rectè diceretur nõ eſſe partem virtutis, id eſt, ſpeciem aliquam, ſed totam, ſeu vniuerſam virtutẽ: non recte etiam diceretur, iniuſtitiam non eſſe partem vitij, ſed totum vitium, nam hæc quoque deberet eſſe vitium particulare, ergo, &c.

Confirmatur, nam ibidem ait Ariſt. *Et neque eſt heſperus, ita neque Lucifer admirabilis. Et prouerbio dicere conſueuimus: Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.* Atqui hoc conuenit complexioni omnium virtutum; ergo, &c.

Secunda ſententia eſt, iuſtitiam legalem eſſe idem cum obedientia. Hanc tenet P. Leſius vbi ſupra con. 5. illamque probat 1. Quia iuſtitiæ legalis obiectum ſecundum Ariſtotelem eſt id, quod lege ſancitum eſt: atqui id ipſum eſt obiectum obedientiæ; ergo, &c.

Secundò, quia obedientiæ competit eſſe in magna admiratione apud homines, eſſe inſtar heſperi, inter virtutes, & omnes cõplecti, quia omnes virtutes inſerit, inſertaſque cuſtodit: ſed hæc tribuit Ariſt. iuſtitiæ legali, ergo &c.

Tertiò, obedientia recte dici poteſt virtus vniuerſa, quatenus inclinat ad omnium virtutum functionem, & materiam; ergo, & iuſtitia legalis.

Quartò, obedientia reſpicit alterum, id eſt, ſuperiorem, cuius legibus obedit, & bonum commune, quod conſiſtit in legũ cuſtodia, ergo eſt iuſtitia legalis.

Quintò, Ariſtoteles nunquam alibi de obedientia agit, inſinuat ergo idem eſſe cum iuſtitia legali In quam ſententiam aperte inclinat Diu.Thom. infra quæſt. 120. art. 2. ad 1.

Tertia ſententia eſt, iuſtitiam legalem non diſtingui à pietate. Hanc probabilem eſſe aſſerit P. Leſſius vbi ſupra con. 2. Probat, quia ſecundum D. Thom. iuſtitię legalis eſt procurare bonum commune Reipublicæ, & cæteras functiones virtutum ad hoc deſtinare, quando opus eſt: v. g. ſi Reſpublica verſetur in periculo, iuſtitia legalis conatur omnibus modis eam tueri, imperat arti militari, vt excogitet modos defenſionis, pericula contemnit, ſumptus annonæ reſtringit, theſauros effundit, denique nihil non molitur ex affectu erga Rempublicam: ſed hæc omnia videntur eſſe officia pietatis in patriam, & Rempublicam, ergo &c.

Quarta ſententia eſt, quam ſequentibus concluſionibus explicamus.

Dicendum eſt 1. Iuſtitiam legalem non eſſe complexionem omnium virtutum, ſed virtutem ſpecialem ſecundum eſſentiam diſtinctam ab alijs. Probatur 1. ex Ariſt. 3. Politic. cap. 3 vbi docet non eſſe ſimpliciter eandem virtutem boni viri, & boni ciuis, idque probat tribus rationibus, quas ibi lect. 3. optimè explicat D.Thom. in quarum prima concludit: *Contingit ciuem exiſtentem ſtudioſum non poſſidere virtutem, ſecundum quod eſt ſtudioſus vir*. Quod non con-

contingeret, ſi eadem eſſet virtus boni viri, & boni ciuis: ſed virtus boni ciuis eſt iuſtitia legalis, per quam ordinatur ad bonum commune ciuitatis, vt hic docet D. Tho. ergo iuſtitia legalis non eſt complexio omnium virtutum bonum virum efficientiũ ſed virtus ſpecialis ſecundum eſſentiam ab aliis virtutibus diſtincta. Confirmatur ex eodem Ariſt. 5. Ethic. cap. 1 lect. 2. apud *Diu.* Thom. dicente de iuſtitia legali: *Atque perfecta maximè virtus eſt: quia perfecta virtutis eſt vſus, idque ex eo, quia non ad ſe ſolum, ſed ad alium etiam is, qui ipſam habet, vti virtute poteſt. Complures enim in proprijs quidem vti poſſunt, ſed in his, quæ ſunt ad alium nequeunt.* At ſi nihil aliud eſſet iuſtitia legalis, quàm complexio omnium virtutum, qui hanc habet, poſſet quicquid poteſt habens iuſtitiam legalem, ſicque non ſolum poſſet vti virtute in proprijs, ſeu in ordine ad ſe, ſed etiam in his, quæ ſunt ad alium, ordinando actus omnium virtutum ad bonum commune; ergo, &c. Hoc argumentum cum ſua confirmatione ſumptum eſt, ex *D.* Th hic in arg. *Sed contra*, vbi vtraque Ariſt. auctoritate vtitur S. *Do*ctor.

Secundò probatur ex S. Thom. hic, vbi poſtquam dixit generale dici aliquid dupliciter, nempè per prædicationem, ſicut animal eſt generale ad hominem, & equũ, & ſecundum virtutem, ſicut cauſa vniuerſalis eſt generalis ad omnes ſuos effectus; illudque idem eſſe eſſentialiter cum his, ad

quę eſt generale, hoc vero nequaquam; ſubdit: *Hoc autem modo iuſtitia legalis dicitur eſſe virtus generalis, inquantum ſcilicet ordinat actus aliarum virtutum ad ſuum finem: quod eſt mouere per imperium omnes alias virtutes. Sicut enim charitas poteſt dici virtus generalis, in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum diuinum: ita etiam iuſtitia legalis, in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune. Sicut ergo charitas, quæ reſpicit bonum diuinum, vt proprium obiectum, eſt quædam ſpecialis virtus ſecundum ſuam eſſentiam: ita etiam iuſtitia legalis eſt quædam ſpecialis virtus ſecundum ſuam eſſentiam, ſecundum quod reſpicit commune bonum vt proprium obiectum.*

Tertiò probatur ratione. Iuſtitia legalis reſpicit ſpecialem rationem obiecti, nam vt patet ex verbis D. Thom. relatis, *Reſpicit commune bonum, vt proprium obiectum*, quam ſpecialem rationem obiecti eſſe conſtat, nam vt dicitur art. 7. ſeq. ad 2. *Alia eſt ratio boni communis, & boni ſingularis*. Reſpicit etiam ſpecialem rationem debiti, nempe debitum alteri non ſingulariter conſiderato, ſed in communi, quatenus ille, qui debet alicui communitati, debet omnibus, quæ ſub illa communitate continentur, vt patet ex art. 5. præcedente. Habet denique actum ſpecialem, qualis eſt volitio procurandi bonum commune Reipublicę, & affectus ad illud, ex quo homo, quando opus eſt, aliarum virtutum opera exercet, & multa facit, vt Reipublicę bonum

con-

conſeruet; ergo eſt virtus ſpecialis ſecundũ eſſentiam ſuam diſtincta ab aliis.

7. Dicendum eſt 2. iuſtitiam legalem non eſſe idem cum obedientia: Probatur 1. nã D. Tho. hic de iuſtitia legali ait: *Eſt in principe principaliter, & quaſi architectonice, in ſubditis autem ſecundario, & quaſi adminiſtratiuè*. At obedientia principaliter eſt in ſubditis, & in Principe non eſt, niſi quatenus eſt alteri inferior, vt colligitur ex eodẽ S. Doct. infra q. 104. a. 1. & 2. ergo, &c.

Secundò quia, vt conſtat ex 4. argumẽto huius articuli; & eius ſolutione, nullus eſt actus alicuius virtutis, qui non pertineat ad iuſtitiam legalem, quæ omnes ordinat in bonum commune: ſed non omnes virtutum actus pertinent ad obedientiam, vt dicit D. Thom. infra quæſt. 104. art. 2. ad 1. *Quia non omnes actus virtutum ſunt in præcepto*, Ergo, &c.

Tertiò, ratio boni communis, quam attendit iuſtitia legalis, & ratio præcepti, quam teſte D. Th. infra q. 104. ar. 2. reſpicit obedientia, ſunt diſtinctæ; ergo, & virtutes, quæ illas reſpiciunt.

Quartò, ratio debiti, quam reſpicit iuſtitia legalis, eſt diſtincta à ratione debiti, quam reſpicit obedientia: hæc enim teſte Diu. Thom. ſupra quæſt. 4. articul. 7. ad 3. *Reddit ſuperiori debitum obediendo ſibi*; iuſtitia vero legalis reddit debitum communitati, non vt ſuperiori, ſed vt eſt quoddam totum, cuius partes ſunt omnes, qui ſub tali communitate continentur, vt pa-

patet in iuſtitia legali, quæ eſt in Principe, qui eſt communitatis caput, & non illi inferior; ergo, & iuſtitia legalis diſtincta eſt ab obedientia.

Dicendum eſt 3. iuſtitiam legalem diſtinctam eſſe à pietate. Probatur ex D.Th. infra q. 101. ar. 3. ad 3. dicente: *Pietas ſe extendit ad patriam, ſecundum quod eſt nobis quoddam eſſendi principium: Sed iuſtitia legalis reſpicit bonum patriæ, ſecundum quod eſt bonum commune*. Ergo cum hæ ſint diuerſæ rationes obiecti, diuerſa virtus erit iuſtitia legalis à pietate, hocque ibi D.Th. intẽdit.

Secundò, vbi eſt diuerſa ratio debiti, ibi ſunt diuerſæ virtutes: ſed iuſtitia legalis, & pietas reſpiciunt diuerſam rationem debiti: nam debitum, quod reſpicit iuſtitia legalis eſt, quo pars obſtringitur toti, & ciuis Reipublicæ, quatenus ipſa eſt vnum corpus, in quo ipſe membrum: debitum autem, quod reſpicit pietas, eſt, quo effectus obſtringitur ſuæ cauſæ ſecundariæ, & homo ſuæ patriæ ratione auxilii, quod ipſa ad eius ortum contulit, ex quibus primum ſtrictius, & altius eſt, vnde, & quiſque ſuam Rempublicã, cuius eſt membrum, tenetur præferre parenti, cum tamen parens magis ſit principium ortus, quam patria; ergo ſunt diuerſæ virtutes. Confirmatur pietatis ſolum eſt curare bonum patriæ, quia hoc officium eſt illi debitum ratione beneficii ortus, quod ab ea accepimus: at iuſtitiæ legalis eſt, idem bonum procurare alteri, etiam Reipublicæ, cuius homo eſt ci-

ciuis, quia id illi debetur ratione vinculi, & nexus, qui eſt partis ad totum, & membri ad corpus; ergo ſunt diſtinctæ virtutes.

Tertiò probatur ratione ſumpta ex D. Thom. hic ad 4. pietas, & quęlibet alia virtus ordinat ſecundum propriam rationem actum ſuum ad proprium finem, non verò ad vlteriorem, & ſuperiorem finem, ſed oportet eſſe aliam virtutem, à qua in illum finem ordinetur; ergo cum aliquando actus pietatis, & aliarum virtutum ordinentur ad finem vlteriorem, & ſuperiorem proprio cuiuslibet virtutis, nempè in bonum commune, *Oportet eſſe vnam virtutem ſuperiorem, quæ ordinet omnes virtutes in bonum commune, quæ eſt iuſtitia legalis: & eſt alia per eſſentiam ab omni virtute.*

Dicendum eſt 4. iuſtitiam legalem eſſe partem ſubiectiuam, ſeu ſpeciem iuſtitiæ ſimpliciter, diſtinctam a commutatiua, & diſtributiua iuſtitia. Eſſe ſpeciem contentam ſub iuſtitia ſimpliciter, & non virtutem iuſtitiæ annexam probatur: iuſtitia legalis eſt ad alterum, non quidem ſingulariter conſideratum, ſed in communi, vt patet ex articulo quinto præcedente, & non deficit à ratione æqualis, aut à ratione debiti; ergo non eſt virtus iuſtitiæ adiuncta, ſeu pars potentialis eius, ſed iuſtitię ſimpliciter pars ſubiectiua. Conſequentia patet ex D. Thom. infra, quæſt. 80. artic. vnico dicente, virtutes, quæ ſunt ad alterum, annecti iuſtitię, ſi deficiunt in ratio-

ne æqualis, aut debiti. Antecedens verò probatur, & quidem non deficere à ratione debiti, manifeſtum eſt, nam quod debetur ex iuſtitia legali, maximum ac perfectiſſimum debitum eſt. Non deficere etiam à ratione æqualis probatur, nam quod per iuſtitiam legalem redditur, ęquale eſt debito, ſi enim princeps ex iuſtitia legali debet iuſtas leges cōdere ob bonum commune, eas condendo, æquale debito reddit: & ſi ſubditus debet legibus obtemperare propter bonum commune, eis propter hoc bonum obtemperando, æquale debito reddit. Et quamuis patriæ, vt eſt nobis quoddam principium eſſendi, non poſſit reddi æquale, ſicut nec parentibus; Reipublicæ tamen, vt eſt quoddam totum, & vnum corpus, ęquale poteſt reddi a ciuibus, tanquam membris eius, eam ſcilicet defendendo, vt debent; ergo, &c.

Eſſe verò diſtinctam à iuſtitia commutatiua, & diſtributiua etiam probatur, nam vtraque ordinat hominem ad ea, quæ ſunt ad alteram ſingularem perſonam, iuſtitia verò legalis ad bonum commune, vt patet ex D.Th. articulo ſequenti 7. Præterea, iuſtitia diſtributiua communia facit propria, bonaque communia ordinat ad particulares perſonas, inter quas diſtribuit ea; iuſtitia verò legalis, è contra, bona particularium ordinat ad bonum commune. Deinde, violatio iuſtitiæ cōmutatiuę obligat ad reſtitutionem; violatio verò iuſtitię legalis nequaquam, nā ſi quis negligat bonum

num commune,quando verſatur in periculo, vel pręponat ei priuatum commodũ, ſicque contra iuſtitiam legalem peccet, non tenetur ad reſtitutionem, niſi ex officio ei incumbat huius boni conſeruatio, ſicque ex iuſtitia commutatiua tunc enim quia violationi iuſtitię legalis, adiungitur violatio iuſtitiæ commutatiuæ, ad reſtitutionem tenetur; ergo diſtincta eſt iuſtitia legalis à commutatiua.

Si quæras, an iuſtitia legalis ſit ſpecies ſubalterna, aut infima iuſtitiæ ſimpliciter? Reſpondetur licet iuſtitia legalis communiter dicta ſpecies ſubalterna, ac genus ſit diuiſum in epichiam, & iuſtitiam legalem ſtrictè dictam, vt colligitur ex D. Thom. infra q. 120, ar. 2. ad 1. iuſtitiam tamen legalem ſtricte ſumptam, de qua hic eſt ſermo, ſpeciem infimam eſſe. Nam quamuis, vt ait D. Thom. hic, in principe ſit principaliter, & quaſi architectonice, & in ſubditis ſecundariò, & quaſi adminiſtratiuè: quia tamen idem formaliter eſt obiectum, ſcilicet bonum commune, eadem ſpecie atoma erit iuſtitia legalis in principe & in ſubditis: & differentia, ſi qua eſt, ſolum accidentalis, quatenus in principe iuſtitia legalis inclinat ad leges iuſtas condendas propter bonum commune, in ſubditis ad obtemperandum legibus propter idem bonum commune.

Ad argumentum autem primæ ſententiæ reſpondetur, Ariſtotelem ibi loqui de iuſtitia legali ſumpta pro qualibet virtute;

vt

vt imperata, & ordinata ad bonum commune à iuſtitia legali ſpeciali virtute: nam vt hic ait D.Thom. *Poteſt qualibet virtus, ſecundum quod à prædicta virtute ſpeciali quidem in eſſentia, generali autem ſecundum virtutem, ordinatur ad bonum commune, dici iuſtitia legalis. Et hoc modo loquendi iuſtitia legalis eſt idem eſſentia cum omni virtute, differt autem ratione, Et hoc modo loquitur Philoſophus. Vnde patet reſponſio ad primum, & ſecundum,* Quæ ſnmpta erant ex prædicta authoritate Ariſtotelis. Et ad 3. reſpondens S.Doctor ait: *Quod etiam illa ratio ſecundum hũc modum procedit de iuſtitia legali, ſecundum quod virtus imperata à iuſtitia legali, iuſtitia legalis dicitur.* Sic autem poſſe dici patet exemplis: Iacobi enim 1. v. 27. dicitur *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt: viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum:* Quod explicans D. Thom infra q 81.art.1.ad 1. ait: *Actus religionis per modum imperij ponitur eſſe viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, quod eſt actus elicitus à miſericordia.* Et 1.ad Corinth. 13:v.4.dicitur: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c.* Quia, ſcilicet vt hic ait Caietanus imperatum &imperãs vnum quodãmodo eſſe dicuntur. Sicutergo actus miſericordiæ, vt imperatus à religionedicitur religio, & virtutes aliæ, vt imperatæ à charitate dicuntur charitas, ita virtus imperata à iuſtitia legalis iuſtia legalis dicitur Quamuis autem ibi Ariſtoteles ſic de iuſtitia loquaaur; aliis tamen in locis à no-

bis

bis adductis con. 1 de iuſtitia legali loquitur, vt diſtincta ab alijs virtutibus. *Idem* dicimus de iniuſtitia illegali, agit enim ibi de ea Ariſt. vt ſumitur pro vniuerſis vitiis, vt imperatis, à vitio ſpeciali iniuſtitiæ illegalis, Vide *D.* Thom q. ſeq. art. *1.* Secundò poſſumus reſpondere, iuſtitiam legalem dici non partem virtutis, ſed totam virtutem, quia omnium virtutum actus ſunt etiam actus iuſtitiæ legalis. ita D. Thom. 5, Ethic. cap. 1. lect. 2. *Actus enim idem ſubiecto producitur à iuſtitia legali, & à virtute ſimpliciter dicta, p..‸a non mechari ſecundum aliam, & aliam rationem. Verum, quia vbi eſt ſpecialis ratio obiecti, etiam in materia generali oportet eſſe ſpecialem habitum, inde eſt quod ipſa iuſtitia legalis eſt determinata virtus habens ſpeciem ex hoc, quod intendit bonum commune.*

Ad confirmationem eiſdem modis reſpondetur.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur. Ad 1. negando maiorem, ſi ſermo ſit de obiecto formali; hoc enim reſpectu iuſtitiæ legalis non eſt niſi bonum commune: quod vero lege ſancitum eſt, materia eſt, circa quam verſatur iuſtitia legalis, ordinando illud ad bonum commune.

Ad 2. reſpondetur, illa, ſi obedientię competunt, aliter competere, quam iuſtitiæ legali, huic enim illa tribuit Ariſtoteles, quia ad conſeruandum bonum commune omnibus virtutibus vtitur, ordinando eas ad alium non ſingulariter conſideratum,

ſed

ſed in communi, quod non conuenit obedientiæ.

Ad 2. reſpondetur, obedientiam non poſſe dici virtutem vniuerſam eo modo, quo iuſtitia legalis: tum quia non inclinat ad omnes virtutum actus, ſed ſolum ad eos, qui ſunt in præcepto: tum etiam, quia ad hos ſolum inclinat, vt ſunt præcepti, non vt ordinantur ad bonum commune.

Ad 4. reſpondetur, obedientiam non reſpicere bonum commune ſecundum propriam rationem, ſed, vt ad illud ordinatur per iuſtitiam legalem, vt colligitur ex D. Thom. hic ad 4. Quod verò reſpiciat alterum vt ſuperiorem, potius arguit diſtinctionem illius à iuſtitia legali; cum hæc non reſpiciat alterum ſingulariter ſumptum, aut, vt ſuperiorem, ſed in communi, & vt quoddam totum, vt diximus cum D. Thom. hic art. 5.

Ad 5. reſpondetur, illud argumentum nullum eſſe, præſertim cum D. Thom. infra q. 80. a. 1 ad 3. dicat; *Obedientia includitur in obſeruantia*. Falſum eſt etiam S. Doctorem infra q. 120. art. 2 ad 1. in hanc ſententiam inclinari: nam ibi ſolum ait, iuſtitiam legalem eſſe, *qua obtemperat legi*. Quod intelligendum eſt, non formaliter, ſed imperando actum obedientiæ, ſicut charitas dicitur patiens, benigna, &c.

Ad argumentum tertię ſententię reſpõdetur negando minorem: nam vt diximus cum D. Th. pietas reſpicit patriam, vt eſt nobis quoddam eſſendi principium; non

non verò, vt eius bonum eſt bonum commune.,

ARTICVLVS VII.

Vtrum ſit aliqua iuſtitia particularis præter iuſtitiam generalem.

Concluſio eſt affirmans.

QVænam ex his ſit perfectior, ex vtriuſque obiecto colligitur. Etenim obiectum iuſtitiæ legalis eſt bonum commune; iuſtitiæ vero particularis, bonum particulare, vt colligitur ex corp. a. & ex ſolutionibus 1. & 2. argumenti: vnde cum bonum commune ſit excellentius bono particulari, iuſtitia legalis, quæ generalis dicitur, perfectior erit particulari.

Nec obſtat iuſtitiam particularem magis eſſe ad alterum, quam iuſtitiam legalem, cum hæc, vt patet ex art. 5. ſit ad alium in communi, illa verò ad alium ſingulariter, quod eſt ſimpliciter alterum. Reſpondetur namq. hinc ſolum inferri, iuſtitiam particularem eſſe ſecundum quid perfectiorem legali ex parte huius conditionis iuſtitiæ, quæ eſt eſſe ad alterum. Quæ quantum attinet ad eſſentialem rationem iuſtitiæ ſufficienter conuenit iuſti-

tiæ

tiæ legali, vt colligitur ex art.5. licet in ea ſecundum quid excedat iuſtitia particularis. Vnde ſicut quædam animalia bruta excedunt hominem in ſenſibus, vt aquila in viſu, canis in olfactu, &c. non tamen ſunt perfectiora animalia, licet ratio ſenſibilis ſit propria animalis; ita nec iuſtitia particularis eſt ſimpliciter perfectior in ratione iuſtitię, quam legalis.

Circa artic. 8. & 9. nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS X.

Vtrum medium iuſtitiæ ſit medium rei.

Concluſio eſt affirmans.

SVppoſitis his, quæ diximus 2.2. quęſt. 64. art. 1. & 2. duplex diſtinguendum eſt medium virtutis cum Caietano hic, nempe medium rei, & medium rationis. *Vocatur autem medium rei, quod in rerum æqualitate conſiſtit, Medium autem rationis, quod in adæquatione conditionum à recta ratione determinabilium conſiſtit.* Vnde cum medium virtutum, quę verſantur circa paſſiones, vt propriam materiam, in hac adæquatione conſiſtat; medium enim temperantiæ non eſt comedere vnam panis libram, ſed pro loci, temporis, laboris com-

plexionis robore, aliquando medium eſt ſumere libram, aliquando tres vncias, aliquando ſex; medium talium virtutum erit medium rationis. Cum autem medium iuſtitię conſiſtat in rerum æqualitate, puta prętij, & rei venditæ, & huiuſmodi, & rerum, aut onerum communium, quæ diſtribuuntur; medium iuſtitię erit medium rei.

Circa art. 11. & 12. nihil ſe offert ſcribendum.

QVAESTIO LIX.

De Iniuſtitia.

ARTICVLVS I.

Vtrum iniuſtitia ſit vitium ſpeciale.

Concluſio eſt affirmans.

QVam non ſolum intelligit D. Thom. de iniuſtitia oppoſita iuſtitię particulari, ſed etiam de iniuſtitia illegali, quæ opponitur legali iuſtitiæ Vnde maximè notandą eſt pro his, quæ diximus, quæſt. præced. artic. 6. dubio vnico.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquis dicatur iniuſtus ex hoc quod facit iniuſtum.

Concluſio eſt negans.

SVmpta eſt ex Ariſt. 5. Ethic. cap. 8. vbi poſtquam dixit, eum, qui lędit alium ex ignorantia, aut paſſione, non eſſe iniuſtum, licet peccet, ſubdit: *Sed cùm nocet quis electione iniuſtus eſt, atque prauus.* Additque D. Thom. ibi lect. 13. *Et talis dicitur ex certa malitia peccare.* Docet tamen idem S. Doctor 1. 2. q. 78. art. 3. ad 1. *Quod operari qualiter iniuſtus operetur, non ſolum eſt operari iniuſta ex certa malitia, ſed etiam delectabiliter, & ſine graui reniſu rationis, quod non eſt niſi eius, qui habet habitum.* Et hoc modo intelligendus eſt hic cum ait, proprium eſſe iniuſti habentis habitum facere iniuſtum ex intentione, & electione, nempe delectabiliter, & ſine graui reniſu rationis. Nam vt oſtendit D. Dhom. loco citato ex 1. 2. poteſt non habens habitum vitioſum eligere malum, & ex certa malitia peccare: tamen ſine habitu id delectabiliter non efficiet. Et quia, vt ibidem art. 2. oſtendit, quicunque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia; ideo hic ait, poſſe aliquem abſq. habitu iniuſtitiæ facere iniuſtum ex ignorantia, vel ex paſſione.

Alio modo poteſt aliquis facere iniuſtum quin dicatur iniuſtus: quia ſcilicet iniuſtum facit ſolum materialiter, & per accidens, quin peccet: vt cum facit aliquid quod iniuſtum eſt, non intendens iniuſtum facere, ſed potius ignorans inuincibiliter iniuſtum eſſe.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquis poſſit pati iniuſtum volens.

Concluſio eſt negans.

QVam etiam docet Ariſtot. 5. Ethic. cap. 9. confirmatque regula illa iuris 27. in ſexto: *Scienti, & volenti nō fit iniuria.* Quæ ex l. *Nemo*, ff. De regulis iuris ſumpta eſt, vbi dicitur: *Nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt.* Intelligendaque eſt, quando quis ſponte, & vltroneus, omninoque liberè conſentit: ſi enim aliquid admiſceatur inuoluntarii, vt cum conſenſus extorquetur per iniuſtitiam, aut violentiam, iniuria fit conſentienti.

ARTICVLVS IV.

Vtrum quicumque facit iniuſtum peccet mortaliter.

Concluſio eſt affirmans.

QVæ intelligenda eſt de faciente iniuſtũ per ſe, & formaliter: ſi enim ſolum per accidens, & quaſi materialiter faciat iniuſtum, ignorans iniuſtum facere, nõ peccat mortaliter, niſi ignorantia ſit vincibilis, & quæ non excuſat, vt colligitur ex D. Thom. hic ad 1. Intelligenda eſt etiam, ex ſuo genere: ob materiæ enim leuitatem poteſt contingere, vt qui iniuſtum facit, ſolum peccet venialiter, vt dicitur ad 2.

QVÆSTIO LX.

De Iudicio.

ARTICVLVS I.

Vtrum iudicium ſit actus iuſtitiæ.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium. *An iudicium ſit actus elicitus iuſtitiæ.*

MAgiſter Bañez hic dubio vnico cõ. vnica dicit, iudicium non eſſe actum elicitum à virtute iuſtitiæ, ſed à prudentia per ſyneſim formaliter, & in eſſe moris. Probat 1. ex D. Thom. hic ad 1. dicente: *Iudicium eſt actus rationis.* Et inferius: *Iudicium eſt quidam actus iuſtitiæ, ſicut inclinantis ad rectè iudicandum: prudentiæ autem, ſicut iudicium proferentis. Vnde & ſyneſis ad prudentiam pertinens dicitur bene iudicatiua.* Sed his verbis ſignificat iudicium actum eſſe elicitum à prudentia per ſyneſim formaliter; ergo non eſt actus elicitus iuſtitiæ.

Secundò, idem D. Th. in corp. & ad 1. docet iudicium in his, quæ pertinent ad iuſtitiam, eodem modo procedere ex iuſtitia, quo iudicium in his, quæ pertinent ad caſtitatem, & fortitudinem, & alias virtutes, procedit ex caſtitate, & fortitudine, & alijs virtutibus: ſed caſtitas, & fortitudo, & aliæ virtutes non eliciunt actum iudicij, ſed ſolum diſponunt ad illum in proprijs materijs; ergo idem erit de iuſtitia.

Tertiò, virtus moralis in appetitu reſidens duos tantum elicit actus, alterum circa finem, qui eſt intentio, & alterum circa media, qui eſt electio, nequit enim reſpicere aliud obiectum niſi finem, aut me-

dia ; ergo iudicium, quod eſt actus medius inter intentionem, & electionem, non elicitur à virtute morali appetitus, ſed à prudentia.

Dicendum tamen eſt: Iudicium actum eſſe à iuſtitia elicitum. Probatur 1. D.Th. hic dicit: *Iudicium propriè nominat actum iudicis in quantum eſt iudex.* Ab eo ſcilicet, vt ſic elicitum; ergo, & à iuſtitia: nam vt cum Ariſt.5. Ethicor.cap.4.ait idem Tho. hic: *Homines ad iudicem confugiunt, ſicut ad quandam iuſtitiam animatam.* Alias ſi non à iuſtitia, ſed à prudentia eliceretur, non eſſet actus iudicis, in quantum eſt iudex, ſed in quantum eſt prudens.

Secundò idem D. Thom. hic ad 3.ait: *Iudicium ſpecialius pertinet ad iuſtitiam, quã ad aliquam aliam virtutem.* Vnde, cum habet rectitudinẽ iuſtitiæ, dicitur iudiciũ iuſtũ, & cũ ea caret, iniuſtum, vt patet ex art. ſeq. quod non contingit in alijs virtutibus; non enim dicitur iudicium forte, aut temperatum; ergo non ſolum eſt diſpoſitiue à iuſtitia, ſicut à reliquis virtutibus, ſed etiam elicitiuè.

Tertiò, ſicut per orationem homo reuerentiam exhibet Deo, ita per iudicium confert iudex vnicuique, quod ſuum eſt; ergo, ſicut oratio eſt actus elicitus à religione, ita iudicium à iuſtitia: nam ſicut ad religionem pertinet Deo reuerentiam exhibere, vt docet D.Thom. q.81.ar.1.& q.81. ar.3. ita ad iuſtitiam pertinet reddere vnicuique quod ſuum eſt, vt idem S. D. dicit

ſupra

ſupra quęſtione 58. articul. 11.

Quartò, iudicium formaliter reſpicit ius, ſiue iuſtum, quod eſt obiectum formale iuſtitiæ, nam non ſolum reſpicit illud, vt eſt dirigibile per prudentiam, ſed etiam, vt eſt alteri adæquatum; ergo eſt actus à iuſtitia elicitus. Confirmatur, Iudicium immediatè regulatur à iuſtitia, nam ſi fuerit iuſtum; rectum, & verum iudicium erit, ſi autem iniuſtum, erit peruerſum, & iniquum; ergo cum actus ab ea virtute eliciatur, à qua immediatè regulatur, à iuſtitia elicitus erit actus iudicij.

Quintò, omnis actus cuiuſcumque virtutis, vel eſt ab illa elicitus, vel imperatus ab illa: ſed vt docet D.Thom.hic, & infra q.63.art.4. *Iudicium eſt actus iuſtitiæ*; ergo, vel ab illa elicitus, vel ab ea imperatus. At, vt M. Bañes hic dubio vnico ad 2. admittit, iudicium non eſt actus imperatus à iuſtitia, nam cum prudentia ſit ſuperior, iudicium, quod eſt ab ea elicitum, nequit à iuſtitia imperari; ergo eſt actus à iuſtitia elicitus. Maiorem videtur negare M. Bañez, dum loco proximè citato ait, diſtinctionem actuum moralium in actus elicitos, & imperatos ſolum habere locum in actibus virtutum moralium appetitus; non verò ſi fiat comparatio virtutum moralium appetitus ad prudentiam, aut è cõuerſo. Sed probatur, quia nullus poterit aſſignari actus alicuius virtutis, qui non ſit ab illa, vel elicitus, aut imperatus: vnde quia iudicium in materia aliarum virtu-

tum non elicitur, aut imperatur ab eis,non dicitur actus earum; ergo cum iudicium in materia iuſtitiæ dicatur à D.T.actus iuſti tiæ,vel erit ab ea elicitus,vel imperatus.

Ad primum verò factum in principio reſpondetur, eundem actum ſecundum diuerſas rationes poſſe elici à diuerſis principiis, ſermo enim fidei,vt ordinatur ad vtilitatem audientium, elicitur à gratia gratis data, vt colligitur ex D.Thom. ſupra q.4.ar.5.ad 4. & vt eſt quædam exterior fidei confeſſio, eſt actus elicitus à fide,vt patet ex dictis ſupra q.3.ar. 1. Cum igitur in iudicio, dempta ratione ſpeculatiua, quæ à Philoſophia morum, vel Iuriſperita elicitur,ſint duę morales rationes, nempe reſpicere iuſtum, quatenus eſt dirigibile per rationem, & prudentiam, & vt eſt alteri adæquatum (quas diſtinctas eſſe, ac ſeparabiles patet in iudicio, quo iudex vnicuique quod ſuum eſt adiudicat ob inanem gloriam) quo ad primam elicitur à prudentia, & quo ad ſecundam à iuſtitia. Dicitur autem eſſe actum prudentiæ, ſicut proferentis, iuſtitiæ verò, ſicut inclinantis: quia proferre, & dicere ad intellectum, & ad virtutes intellectuales, qualis eſt prudentia, ſpectat, ſicque iudicium actus rationis dicitur à D. Thom. inclinare verò ad benè operandum, ſpectat ad virtutes morales, qualis eſt iuſtitia, nam vt ait Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 58. art. 1. *Dicitur virtus moralis à more ſecundum quod mos ſignificat quandam inclinationem,*

Hinc

Hinc colligitur, cur iudicium in materia aliarum virtutum non ſit actus earum elicitus, aut imperatus: in materia vero iuſtitiæ ſit actus elicitus à iuſtitia. Nam aliæ virtutes morales non aliter diſponunt ad rectum iudicium circa proprias materias, quam remouendo prohibens, moderando ſcilicet paſſiones appetitus ſenſitiui. At iuſtitia ad recte iudicandum, & per iudicium vnicuique quod ſuum eſt reddendũ inclinat: immo ipſa inclinatio quædam habitualis eſt ad huiuſmodi actum, non ſolum in iudice, ſed etiam in qualibet priuata perſona, cum eiuſdem ſpeciei ſit iuſtitia, & iudicium in iudice, & in quolibet alio, licet in iudice habeat quandam vim coercitiuam, quam non habet in priuata perſona, ob quam accidentaliter ab eo diſtinguitur.

Ad 2. reſpondetur, commune eſſe omni virtuti morali bene diſponere ad rectum iudicium in propria materia, ſicque quantum ad hoc eandem eſſe rationem de iuſtitia, & alijs virtutibus; quamuis quantũ ad modum diſponendi, & concurrendi ſit differentia, quam in ſolutione præcedentis argumenti explicuimus: vnde non ſequitur, idem eſſe de iuſtitia, & aliis virtutibus dicendum.

Ad 3. reſpondetur, antecedens ſolum eſſe verum de actibus, quos virtus moralis elicit in appetitu: in alia enim potentia alios poteſt actus elicere, vt patet in religione eliciente actum orationis in intelle-

ctu, de quo vide D. Dh. infra q. 81. ar. 4. ad 2. & Caiet. ibi.

ARTICVLVS II.

Vtrum licitum ſit iudicare.

Concluſio eſt affirmans.

VT autem iudicium ſit licitum, & actus iuſtitiæ, tria requiri docet D. Thom. *Primò quidem, vt procedat ex inclinatione iuſtitiæ. Secundò, quod procedat ex auctoritate præſidentis. Tertiò, quod proferatur ſecundum rectam rationem prudentiæ.* Ex defectu ſecundæ conditionis iudicium dicitur vſurpatum, de quo ar. 6. Ex defectu tertiæ dicitur ſuſpicioſum, vel temerariũ, de quo ar. 3.

Prima autem conditio tribus modis explicari poteſt. Primò, vt non iudicet contra iuſtitiam. Secundò, vt iudicet ex amore iuſtitiæ. Tertiò, vt non iudicet ex aliqua affectione priuata, ira, odio, auaritia, aut alia paſſione. Ex his primus ſenſus videtur præcipuus: *Vnde* ex defectu primæ conditionis, ait D. Th., dici iudiciũ peruerſum, vel iniuſtum, ſicque ex ſuo genere peccatum mortale eſt iuxta doctrinã ar. 4. præced. q. Si verò ſecundò aut tertio modo intelligatur prima conditio, ex defectu illius iudicium erit, quidem malum;

non

non tamen propriè iniuſtum ; & quale peccatum ſit, iudicandum eſt ex motiuo, aut fine oppoſito. Si enim non ex amore iuſtitiæ, ſed ex inani gloria iudex præcipiat ſuſpendi latronem, tale iudicium non eſt ex genere ſuo peccatum mortale.

Dubium. An peccet iudex in peccato mortali exiſtens alios iudicando.

PArtem affirmantem docent Sylueſter verbo *Correctio*, q. 16. & alii; Probant auctoritate D. Thom. in 4. d. 19. q. 2. ar. 2. quæſtiuncula 2. vbi illam docet,& probat: *Quia, quandocumque aliquis indigne vtitur officio ſuo, peccat; ille autem, qui eſt in mortali peccato etiam occulto, indigne vtitur officio prælationis, vnde peccat corripiendo, vel quicquid aliud proprij officij exequatur.*

Dicendum tamen eſt 1. Iudicem exiſtentem in peccato mortali publico, iudicando alios, peccare. Colligitur hoc ex Diu. Thom. hic ad 3. vbi ſic habet. *Illi, qui ſunt in grauibus peccatis, non debent iudicare eos, qui ſunt in eiſdem peccatis, vel minoribus, vt Chryſoſtomus dicit ſuper illud Matth. 7. Nolite iudicare. Et præcipue hoc eſt intelligendum, quando illa peccata ſunt publica: quia ex hoc generaretur ſcandalum in cordibus aliorum.* Ergo cum ſcandalum actiuum ſemper ſit peccatum in eo, qui ſcandalizat, vt docet idem S. Doctor ſupra q. 43. art. 2. iudex

exiſtens in peccato mortali publico, ſi iudicet eos, qui ſunt in eiſdem peccatis, aut minoribus, peccabit.

Si quæras quale peccatum ſit? Reſpondetur cum Magiſtro Bañez hic dubio vnico, con. 2. & 3. Si iudex exiſtens in peccato mortali publico ſimpliciter ſcandalizat alios dans eis occaſionem ruinę, contemnendi ſcilicet, ac irridendi ſententiam iuſtam, quam profert; mortaliter peccare, vt ſi iudex ſit publicus concubinarius, & proferat iudicium contra alium concubinarium. Si verò non ſimpliciter, ſed ſolum aliqualiter ſcandalizet alios, ſolum peccare venialiter: Vt ſi publicus concubinarius condemnet latronem ad patibulum; hic enim non ſimpliciter, ſed ſolum aliqualiter contemptibile, & irriſorium iudicium facit.

Dicendum eſt 2. Iudicem exiſtentem in peccato mortali occulto, iudicãdo alios, ac proferendo ſententiam contra illos, non peccare etiam venialiter. Colligitur hoc etiam ex D. Thom. hic ad 3. ſubdit enim: *Si autem non ſunt publica, ſed occulta; & neceſſitas iudicandi immineat propter officium, poteſt cum humilitate, & timore, vel arguere, vel iudicare*: Si autem peccaret ſaltem venialiter, id facere non poſſet. Vnde quod ait M. Soto lib. 3. de iuſtitia, & iure q. 4. art. 2. ad 2. *Forſan erit veniale peccatum, cum peccator peccatorem condemnat*, intelligendum eſt, cum illum condemnat, & iudicat abſque timore, & humilitate, vo-

lens, vt hypocrita, oſtentatione zeli iuſtitiæ videri mundus à crimine.

Probatur deinde cum Caietano hic: peccatum mortale non contrariatur auctoritati iuriſdictionis, vt conſtat ex Concilio Cõſtantienſi, Seſſ. 8. vbi error, qui eſt 15 articulus Ioannis VVicleff, ſcilicet: *Nullus eſt dominus ciuilis, nullus eſt prelatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali*: damnatus eſt. Nec contrariatur rectitudini requiſitæ ad iudicium, lumini ſcilicet rationis, & inclinationi ad tribuendum alteri ius ſuũ vt patet; ergo iudex in tali peccato exiſtẽs poteſt, quin peccet, alios iudicare; ſi enim peccaret, eſſet, aut ob defectum iuriſdictionis, aut ob defectum rectitudinis iudicii: nam ſcandalum nullum eſt, quando eſt occultum peccatum.

Ad auctoritatem autem D. Thom. contra hoc in principio adductam reſpondet Caietanus hic, S. Doctorem illam ſentẽtiam retractaſſe hic, & 3. par. q. 64. art. 6. Ad rationem autem, qua ibi vtitur D. Th. reſpondet Caietanus: maiorem eſſe veram de illo, qui vtitur officio ſuo indigne contrarie; falſam verò de illo, qui ſolum priuatiuè indigne vtitur ſuo officio, exiſtentemquè in peccato mortali vti officio indigne priuatiuè, non autem contrariè: nam licet priuatus ſit conditione, qua condigne iudicis officium ageret; non tamen habet aliquid contrarium iuſto iudici, vt ſic: tũ quia peccatum nõ contrariatur auctoritati iuriſdictionis, aut rectitudini requiſitæ ad

iudicium, vt oſtendimus: tum etiam quia iudex etiam Eccleſiaſticus nulla ſanctitate ſacratur ad exercendum iudicis officium, cui contrarietur peccatum.

ARTICVLVS III.

Vtrum iudicium ex ſuſpicione procedens ſit licitum.

Concluſio eſt negans.

Dubium* 1. *An omnis deliberata ſuſpicio de malitia proximi in re graui ſit peccatum mortale in indiuiduo.

TRes ſunt de hac re Doctorum ſententiæ. Prima eſt affirmans ſuſpicionem in materia graui eſſe in indiuiduo culpam mortalem, etiamſi per breue tempus duret, ſi ſit deliberata. Hanc tenet M. Bañez hic dubio vnico, con. 2. & probat: Suſpicio ex ſuo genere eſt peccatum mortale; ergo ſi deliberata fuerit, & de re graui, de facto, & in indiuiduo ſemper erit peccatum mortale. Conſequentia patet ex D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 10. dicente: *Deliberatus conſenſus in his, quæ ex genere ſuo ſunt mortalia, eſt mortale peccatum.* Antecedens probatur, malitia ſuſpicionis conſiſtit in iniu-

iniuria, quæ fit proximo, quatenus deſpicitur, & contemnitur: ſed iniuria ex ſuo genere eſt culpa mortalis; ergo &c. Confirmatur, nam alias fere nullum eſſet peccatum mortale in materia iudicij temerarii: quia rariſſime contingit, vt ex leuibus iudiciis procedat iudicium temerarium omnino certum, & determinatum; ergo ſi ſuſpicio, cui admiſcetur aliqua dubietas, non eſt peccatum mortale etiam in materia graui, rariſſimè continget mortale peccatum in iudicio temerario, quod falsū eſt.

Secunda ſententia eſt, ſuſpicionem, & æſtimationem dubiam deliberatam, etiam ſi ſit de re graui, non eſſe peccatum mortale: ſi tamen ſit de re grauiſſima, qualis eſt inceſtus cum matre, aut ſorore, ſodomia, hæreſis, aut proditio patriæ, peccatum mortale eſſe. Hanc tenent M. Soto lib. 3. de Iuſtitia, q. 4. ar. 3. circa finem corporis, M. Ledeſma 2 p. Sum. tract. 8. de iuſtitia commutatiua c. 2. con. 5. diffic. 3. & alii. Probant, magis contemnit proximum, qui de illo hæc ſuſpicatur, quam qui de illo alia minora peccata mortalia commiſiſſe temere iudicat; mallentque proinde homines de ipſis haberi iudicium temerarium de minoribus criminibus, ſimplici videlicet fornicatione, quā ſuſpicionem, aut æſtimationem dubiam temerariam de tam grauibus delictis: at iudicium temerarium de minoribus peccatis mortalibus eſt peccatum mortale; ergo & ſuſpicio de maioribus. Confirmatur ſi

quis

quis diceret, eſſe ſuſpicionem, aut dubium de aliquo an ſit hæreticus, vel ſodomita, mortaliter peccaret; ergo, & qui interius hæc eadem de aliquo ſuſpicaretur.

Tertia ſententia eſt, nullam ſuſpicionem, aut dubiam æſtimationem, quantumcumque fuerit deliberata, & de re grauiſſima; dum tamen maneat intra limites ſuſpicionis, & æſtimationis dubiæ, eſſe peccatum mortale, ſed veniale dumtaxat. Hanc tenent Caietanus hic; & in Sum. verb. *Iudicium temerarium*, & verbo *Suſpicio*. Nauarrus in c. *Si quis* de pœnit. d. 7. & in Rubrica de Iudiciis num. 48. & ſeq. & alij.

Dicendum eſt 1. Suſpicionem ex ſuo genere non eſſe peccatum mortale, ſed ſolum veniale. De ſuſpicione inquit D. Th. hic cũ Tullio: *Suſpicio importat opinionẽ mali, quãdo ex leuibus indicijs procedit.* Cuius triplicem gradum diſtinguit S. Doct. A nobis tamen in hoc dubio ſermo eſt de illa in primo gradu, qui eſt: *Vt homo ex leuibus indicijs de bonitate alicuius dubitare incipiat*; qua ratione diſtinguitur à iudicio, quod eſt diffinitiua firmaque ſententia; in quo gradu docet Caietanus hic, locandam eſſe totam latitudinem æſtimationis aliquo modo hæſitantis. Hoc ſuppoſito.

Probatur concluſio 1. ex D. Thom. hic enim de primo gradu ſuſpicionis loquens ait: *Et hoc eſt veniale, & leue peccatum.* Et quodlib. 12. art. 35. inquit: *Suſpicio eſt quid imperfectum in genere iudicij: & ideo eſt imperfectus motus: & ideo non eſt mortale ex genere.*

nere. Si dicas D. Thom in his locis loquutum fuiſſe de ſuſpicione indeliberata, quæ quandiu in indeliberata eſt, non eſt ex ſuo genere peccatum mortale, ſed veniale. Cōtra hoc eſt: Tum quia alias non diceretur peccatum veniale, aut non mortale eſſe ex genere, quod enim ſolum ob defectum deliberationis veniale eſt, mortale dicitur ex ſuo genere, vt patet ex D.Th. 1.2.q.88. art.2.dicente. *Ex parte agentis cōtingit, quod aliquod peccatum, quod ex ſuo genere eſt mortale, ſit veniale, propter hoc ſcilicet, quod actus eſt imperfectus, id eſt, non deliberatus ratione*. Tum etiam, quia alias non rectè ſuſpicionem à iudicio diſtingueret D.Thom.cum etiam iudicium indeliberatum ſit veniale, & leue peccatum. Non eſſe autem ſuſpicionem idem cum iudicio indeliberato, inde patet, quod poteſt ſuſpicio eſſe deliberata, & non iudiciū, quia non eſt certa, ſed dubia exiſtimatio.

Secundò probatur ex S.Aug. Tractatu enim 90.in Ioannem dicit, quæ hic ex gloſſa refert D.Tho. nempe ſuſpicionem pertinere ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur. *Et ſi ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus, iudicia tamen, id eſt, diffinitiuas, firmaſque ſententias continere debemus*. Cum autem ſola peccata venialia, etiam ex ſuo genere, ſint, ſine quibus vita iſta non ducitur, & quæ omnia vitare non poſſumus, vt diximus, 1.2. q.109. art 8. dubio 3. ſuſpicionem peccatū veniale eſſe indicat. Sermone verò 41. de

San-

Sanctis, qui eſt de Purgatorio (vbi teſte D.Thom.1.2.q 88 art.2.in arg. *Sed contra* quædam genera peccatorum venialium, & quædam genera peccatorum mortaliū enumerat) ſuſpicionem inter peccata venialia ex ſuo genere commemorat dicens: *Et cum aliquid ſuſpicamur temere, quod tamen plerumque non ita, vt credimus, comprobatur; ſine vlla dubitatione delinquimus. Hæc enim, & his ſimilia ad minuta peccata pertinere, non dubium eſt.*

Tertiò probatur raitone: Suſpicio licet in ſe quandam inordinationem contineat, non tamen contrariatur dilectioni Dei, & proximi; ergo non eſt peccatum mortale; ſed veniale ex ſuo genere. Conſequentia patet ex D.Thom.1 2.q 88.art. 2. Antecedens probatur; ſi contrariaretur tali dilectioni, hoc eſſet propter contemptum proximi: ſed quamuis iudicium temerarium, vt hic, & quodlib 12.art. 3 ꝫ. dicit D.Thom. non ſit ſine contemptu proximi, ſuſpicio tamen non inducit contemptum proximi complete, nam vt in Sum. verb. *Suſpicio*, ait Caiet. *Non interuenit complete contemptus proximi, dum non prorumpitur in diffinitionem*: Et quamuis diſponat ad proximum contemnendum, hoc non ſufficit, vt contrarietur charitati, ſicut, nec quod veniale diſponat ad mortale; ergo, &c.

Dicendū eſt 2. De facto, & in indiuiduo ſuſpicionem nunquam eſſe peccatū mortale, ſi intra limites ſuſpicionis maneat. Docet hoc Caiet. in Sum. verb. *Suſpicio*, his ver-

verbis: *Et quoniam ſuſpicio ambiguitatem quandam in ſe ipſa claudit, ideo quandiu intra ambiguitatis latitudinem manet, quantumcumcumque creſcat, nunquam eſt iudicium, quod diffinitiuam determinationem ſonat: ac per hoc quantumcumque ſuſpicio ſit temeraria, & vehemens, & æſtimatio firma, nunquam eſt peccatum mortale.*

Probatur deinde, nam vt docet D. Tho. 1.2.q. 88. art. 5. *Impoſſibile eſt, quod circunſtantia de peccato veniali faciat mortale, niſi afferat deformitatem alterius generis.* Sed ſuſpicio ex ſuo genere eſt peccatum veniale, vt oſtenſum eſt con. præced. ergo quandiu manet intra genus, & limites ſuſpicionis, nunquam eſt peccatum mortale, quantumcumque deliberata, & de re grauiſſima ſit. *Si fiat ex odio, erit aliquando mortale,* ait D. Thom. Quodlib. 12. art. 35. odium tamen deformitatem alterius generis affert. Docet etiam S. Doct. 1.2. q. 88. art. 2. peccatum veniale ex genere fieri quandoq. mortale ex parte agentis, tunc tamen finis extrinſecus, ad quem ordinatur ab agente, puta verbum ocioſum ad adulterium cómittendum, aut ſuſpicio traditionis ad homicidium patrandum, deformitatem alterius generis affert. Dum verò ſuſpicio intra limites ſuſpicionis manet, & non trahitur ad ſpeciem alterius vitij, non poteſt eſſe peccatum mortale, niſi tale ſit ex ſuo genere. Confirmatur, illud peccatum, quod intra limites ſuæ materiæ, quin trahatur ad ſpeciem alterius peccati, eſt ali-

quan-

quando peccatum mortale, ex ſuo genere eſt mortale, vt M. Bañes hic dubio vnico, con. 1. dicit: ſed ſuſpicio ex ſuo genere nõ eſt peccatum mortale; ergo manens intra limites ſuſpicionis nunquam eſt peccatum mortale, quantumcumque ſit de re grauiſſima.

Ad argumentum autem primę ſententię reſpondetur negando antecedens, oppoſitum enim oſtendimus con. 1. Ad probationem: Caietanus in Sum. verbo *Suſpicio*, admittit ſuſpicione nonnullam iniuriam fieri proximo; nam inquit: *Eſt nonnulla iniuria mala opinio abſque rationabili cauſa* Negat tamen eſſe peccatum mortale. *Quia non interuenit tunc complete contemptus proximi*. Vnde cum hic ad 2. & artic. ſeq. ait D. Thom. *Ex hoc ipſo quod aliquis malam opinionem habet de alio ſine cauſa ſufficienti, indebitè contemnit ipſum, & ideo iniuriatur ei*. De ſuſpicione loquitur in ſecundo gradu, in quo pro iudicio certo, & determinato accipitur. Vel contemptus nomen extendit ad eius diſpoſitionem, quæ aliquo modo, nempe inchoatiuè, & incompletè, contemptus, & iniuria dici poteſt. Hoc autem modo etiam id, quod eſt peccatum veniale, iniuria, & contemptus proximi eſſe poteſt. Sicut, & teſte D. Th. infra q. 110. art 4. ad 3. *Etiam peccatum veniale largo modo poteſt dici iniquitas*. Ad confirmationem reſpondetur, illud minus eſſe inconueniens, quam aſſerere ſuſpicionem, quam ad tentationem humanam pertinere, & eam nos

vitare non poſſe, aſſerit D. Aug. ſæpiſſimè eſſe peccatum mortale, ſicque homines innumeris implicare peccatis mortalibus. Quamuis etiam non ita ſæpè contingat mortale peccatum iudicij temerarij, vt vult prima ſententia, vtinam tamen non ita frequenter contingeret, præſertim in tribus hominum generibus, quorum hic D. Tho. mentionem facit, quales ſunt mali, ac ſtulti, qui omnes ſtultos æſtimant: male affecti ad alios, de quibus faciliter credunt mala: & ſenes, qui multoties experti ſunt aliorum defectus.

Ad argumentum ſecundę ſententiæ, reſpondetur negando maiorem: nam iudicium temerarium completè inducit contemptum; ſuſpicio autem, etiamſi de grauioribus ſit, ſolum diſponit ad illum. Quod ſi homines mallent de ipſis habere iudicium certum de minoribus peccatis, quã ſuſpicionem de maioribus, hoc ideo eſt, quia inde ſibi timent maius malum, ne ſcilicet ſuſpicio tranſeat in iudicium, vel ne infamentur, aut puniantur; quam infamiam, aut punitionem non incurrent, etiamſi minora peccata reuelentur. Propter quod etiam mallent, de ipſis haberi iudicium certum de minoribus peccatis, quam ſuſpicionem indeliberatam de maioribus, & grauiſſimis, qualia ſunt commemorata in ſecunda ſententia. Ad confirmationẽ reſpondetur negando antecedens, de quo infra q. 73. art. 2. dubio 2. con. 2. Sicut enim teſte Caietano, ibi: *Solus aſſertor*

tra-

propriè tollit famam: ita ſolus aſſertor peccat mortaliter, ſiue quæ dicit ſint grauiſſima, ſiue ſolum peccata mortalia.

Dubium 2. An iudicium temerarium de omni, & ſolo peccato mortali ſit peccatum mortale.

PArs affirmans probatur primo. Quodlibet peccatum mortale eſt materia grauis, nam efficit hominem infamem apud Deum, & illi inimicum. Vnde 1. Reg. 2. v. 30. dicit Dominus: *Qui autem contemnunt me erunt ignobiles*: ergo de quocunque peccato mortali fuerit iudicium temerarium, erit peccatum mortale de facto, & in indiuiduo.

Secundo peccatum veniale, cum ſit leue, eſt materia leuis, & idem eſt de quibuſcunque malis naturalibus, quæ quantumuis grauiſſima, minora ſunt mala minimo peccato veniali; ergo iudicium temerarium de ipſis non eſt peccatum mortale.

Dicendum tamen eſt 1. iudicium temerarium de malitia proximi ex ſuo genere eſſe peccatum mortale. Probatur, nam in Sacris litteris eſt prohibitum, Matth. 7. v. 1. *Nolite iudicare, vt non iudicemini*, ad Rom. 14. v. 13. *Non ergo amplius inuicem iudicemus*. 1. Corinth. 4. v. 4. *Nolite ante tempus iudicare*, & Iacobi 4. v. 13. *Tu autem quis es, qui iudicas*

dicas proximum. Ergo eſt peccatum mortale ex ſuo genere.

Secundò, nam D. Aug. libro 2. de ſerm. Domini in monte, & refertur 11 q. 3. ait: *Temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei, de quo temere iudicatur, ei autem, qui temere iudicat, ipſa temeritas, neceſſe eſt, vt noceat.* Et D.Thom. hic de iudicio temerario inquit: *Et hoc, ſi ſit de aliquo graui, eſt peccatum mortale, in quantum non eſt ſine contemptu proximi*.

Tertiò, per iudicium temerarium grauis iniuria irrogatur proximo, dum ſine cauſa habetur improbus, extinguitur eius bonum nomen, ſeu bona opinio, & intus in animo iudicantis contemnitur; ergò eſt peccatum mortale ex ſuo genere.

Aduertit autem M. Soto lib. 3. de iuſtitia, q. 4. ar. 3. *Tria eſſe ad id requiſita. Primum, vt ſit certum: ſecundum, vt ex leuibus colligatur coniecturis: & tertium, vt ſit de re graui.* Ratione primi diſtinguitur iudicium temerarium à dubio, quo animus in vtramque partem mouetur, ſed in neutram declinat, manetque in ambiguo pendens: & à ſuſpicione, quæ aſſenſum incertum, & formidoloſum importat. Illud autem requiri patet, nam vt colligitur ex D. Thom. hic dum ſecundum gradum ſuſpicionis explicat, iudicium temerarium debet eſſe diffinitiua, firmaque ſententia, qua malitiam alterius pro certò æſtimat homo. Pro certo inquam, non credulitate hæſitationi admiſta, ſed aſſertiua determinatione, vt hic

ex-

explicat Caietanus. Si enim quis credens, & tanquam verũ exiſtimans aliquid, quod peccatum mortale eſt, ita eſſet in mente ſua diſpoſitus, vt ſe ipſum interrogaret, reſponderet forte, falſam eſſe ſuam æſtimationem, quamuis ſibi vera videatur, non iudicium temerarium, ſed credulitas hæſitationi admiſta, ad primumque ſuſpicionis gradum pertinere, cenſenda eſſet.

Secundum etiam colligitur ex D. Thom. hic aſſerente, ſecundum gradum ſuſpicionis, ſub quo iudicium continetur, eſſe: *Cum aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex leuibus indicijs*. Quæ nam ſint leuia indicia, & quæ non, ſed grauia, & ſufficientia ad iudicandum inquit M. Soto vbi ſupra: *Nulla regula dari poteſt certior, quam quod illa coniecturæ, & indicia à culpa excuſant, quæ virum prudentem, & probum ad ſic iudicandũ perducerent. Video hominem noctu ſcala feneſtras conſcendere, profecto abſque culpa poſſum de illo certo malum iudicare. Vides etiam iuuenem, & puellam ſecreto, obſcuroque loco petulanter ſe amplexantes: nulla eſt culpa ſiniſtrum de illis ferre iudicium*. Ex quo patet leuia indicia illa eſſe reputanda, quæ non ſufficiunt ex ſe ipſis mouere animum viri probi, ac prudentis ad iudicandum. Poteſt tamen contingere, vt aliqua indicia reſpectu vnius perſonæ, aut materiæ ſint grauia, & ſufficientia ad iudicandũ, & reſpectu alterius leuia. Poſſunt etiam quædam indicia ſufficere ad dubitandum, & non ad ſuſpicandum, & aliqua ad ſuſpicandum, & non

ad iudicandum, quæ omnia viri prudentis, ac timorati arbitrio committenda ſunt.

Tertium manifeſtum eſt, grauitas enim materię ad peccatum mortale requiſita eſt. Quodnam autem cenſendum ſit graue malum, quod alteri iudicando inuritur, inquit idem M. Soto vbi ſupra: *Neque de hoc poteſt certa conſtitui regula, ſed ſpeculandũ eſt, an tale ſit malum, quod alter ægrius ferret de ſe audire, quam ſi eſſet peccatum mortale*. Quod amplius patebit ex ſequentibus concluſionibus.

Dicendum eſt 2. de facto, & in indiuiduo iudicium temerarium de aliquo peccato mortali, non eſſe ſemper peccatum mortale. Probatur, nam vt loco citato ait M. Soto: *Vbi peccatum non eſſet tam infame, iudicare quempiam eſſe in illo, non eſſet mortale, vt ſi facile, certeque iudicares aulicos, vel alios perditos iuuenes turpes amores cum mulierculis gerere: aut militem duello alium interfeciſſe. Quoniam ipſos hic commiſiſſe nullatenus pudet*.

Secundo, nam vt communiter docent Theologi, nec mortaliter peccaret, qui de perſona omnino incognita temere aliquid, quod peccatum mortale eſt, iudicaret: vt de muliere pallio cooperata eſſe meretricem, & de viro procul exiſtente eſſe furem, ſi nec hunc, nec illam agnoſceret: nulli enim noceret, aut iniuriam faceret, ſicut, nec ſi aliquod crimen de perſona

ali-

aliqua incerta, & penitus ignota narraret.

Tertio, iudicium temerarium de peccato mortali poteſt eſſe non plene deliberatum; ergo, & non mortale peccatum, vt ſit enim mortale debet eſſe perfecte voluntarium, & plene deliberatum, non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam qua parte eſt temerarium. Vnde quamuis, quis aduerteret ſe iudicare proximum in malũ, ſi tamen non plenè aduerteret cauſam iudicandi eſſe inſufficientem, non peccaret mortaliter.

Quartò, ſi inditia, licet non ſint ſufficiẽtia ad certũm iudicium, magnam tamen habent probabilitatem, ita vt efficiant rem valde veriſimilem, & credibilem, non eſt peccatum mortale iudicare aliquid eſſe moraliter certum, v. g. iuuenem inuentũ ſolum cum puella in cubiculo, turpia cum illa tractare, aut ebrium eſſe in peccato mortali. nam non eſt tanta diſtantia inter moralem certitudinem, & magnam probabilitatem, vt cenſeatur notabilis iniuria, ſi quod valde probabile eſt, iudicetur eſſe certum; ergo poteſt interdum fieri, vt iudicium temerarium de peccato mortali nõ ſit peccatum mortale.

Dicendum eſt 3. Quandoque iudicium temerarium de peccato veniali, aut malo naturali eſſe peccatum mortale. Probatur nam qui temere iudicaret de viro graui, & religioſo eſſe mendacem in omnium ſenten-

tentia peccaret mortaliter,nam grauem illi faceret iniuriam:at hoc iudicium ſolum eſſet de peccato veniali; ergo &c.

Deinde, vt ait M. Soto vbi ſupra: *Quamuis malum illud non eſſet peccatum ſed naturale: nihilominus iudicium illius poſſet eſſe delictum. Vt ſi de viro, qui egregio loco, & exiſtimatione habetur, leui de cauſa certo iudicares eſſe infami ſanguine natum. Nam, & in hoc grauiter illi iniurius es*. Si non ita illuſtris vir eſſet, probabile exiſtimo, quod cum Nauarra lib. ſecundo capite quarto alij dicunt, non eſſe mortale peccatum, iudicare temere alterum ſpurium, aut ex genere Iudæorum, vel Maurorum, quia hęc carent omni vituperio apud ſapientes; cum non ſint in hominis poteſtate, & ſint defectus inculpabiles. Idque maxime cum limitatione, quam teſte M. Ledeſma to. 2. Sum. tract. 8. de iuſtitia commutatiua, c 2. con. 3. difficultate 5. Magiſter Orellana adhibebat, ſcilicet niſi propter hoc ille contemneretur, & officijs, aut beneficiis indignus haberetur, ab illorumque conſequutione impediretur à temere iudicante.

Si quæras autem, An omnia iudicia temeraria ſint eiuſdem ſpeciei? Reſpondetur affirmãdo: eadem enim eſt ratio de illis, ac de detractionibus, quas omnes eiuſdẽ ſpeciei eſſe, dicemus infra q. 73. a. 1. & q. 76. a. 4.

Ad 1. verò factum in principio reſpõdetur, ex ſe quodcumque peccatum mortale eſſe materiam grauem; per accidens tamen poſſe eſſe leuem in ordine ad iudiciũ temerarium, quia ille, cui applicatur, non

reputat infamię, aut contemptus dignum, ſed de illo potius gloriatur, vt miles de duello, iuuenis profanus de inhoneſto amore fœminarum. Grauitas enim materiæ, non tam expendenda, & ponderanda eſt ſecundum ſe ipſam, quam per reſpectum ad perſonam de qua fit iudicium.

Ad 2 reſpõdetur, illam cenſeri materiam grauem, ex qua valde cõtemnitur, & deſpicitur proximus, illique grauis iniuria fit: taliaque eſſe mala cõcluſione tertia numerata, quamuis non ſint peccata mortalia.

ARTICVLVS IV.

Vtrum dubia ſint in meliorem partẽ interpretanda.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium quomodo in meliorem partẽ ſint interpretanda dubia.

DVæ ſunt de hac re diſcipulorum D. Thom. ſententiæ. Prima eſt M. Soto lib. 3. de Iuſtitia q. 4. art 4. dubia eſſe in meliorem partem interpretãda poſitiuè, ita vt iudicando in meliorem partem declinemus, aſſenſumque melioris partis concipiamus. Fauet huic ſententiæ Diu. Thom. hic in corp. & in ſolutionibus argumentorũ: nã ita in meliorẽ partem interpretanda eſſe dubia docet, vt ho-

minem habeamus, & iudicemus bonum. quamuis in hoc frequenter fallamur: at hoc eſt dubia in meliorem partem interpretari poſitiuè; ergo, &c.

Secunda ſententia eſt Caietani hic, non eſſe neceſſarium, dubia in meliorem partem interpretari poſitiuè; ſed ſatis eſſe, ea in meliorem partem interpretari negatiuè, ita vt dubia non interpretentur in deteriorem partē. Vtraque ſententia eſt probabilis. Mihi tamen plus placet hæc Caiet.

Dicendum ergo eſt 1. Cum dicitur, dubia eſſe in meliorem partem interpretanda, intelligendum eſt id de dubijs circa bonitatem, vel malitiam hominum, non rerum, aut operum. Docet hoc D. Tho. hic ad 2. *In iudicio enim, in quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum, & malum ex parte ipſius rei, de qua iudicamus, cui nihil nocet qualitercumque iudicemus de ipſa.* Et propter hoc non opus eſt in meliorem partem declinare, ſed ſoli eſt veritati innitendum, ita vt de rebus, ſecundum quod ſunt, iudicemus. *Sed in iudicio, quo iudicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonum, & malum ex parte eius, de quo iudicatur: qui in hoc ipſo honorabilis habetur, quod bonus iudicatur, & contemptibilis, ſi iudicatur malus. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat.*

Hinc colligitur differentia, quę eſt inter iudicium operis, & iudicium perſonæ, illud enim, quamuis temerarium ſit, non eſt peccatum mortale, quia nulli nocet, aut

iniuriam facit: hoc verò ſi fuerit temerarium, & de regraui peccatum mortale eſt; quia nocet, & iniuriã facit perſonæ, de qua fit; de quo vide Caiet. hic §. *In eodem articulo*; & in Sum. ver. *Iudicium temerarium*.

Dicendum eſt 2. Cum dicitur, dubia de perſonarum malitia, vel bonitate interpretanda eſſe in meliorem partem, id intelligendum eſt de interpretatione, quæ fit diffiniendo, ſiue determinando, non de ea, quæ fit per quandam ſuppoſitionem, nam ſic in peiorem partem interpretari poſſunt. Docet hoc D. Thom. hic ad 3. ait enim: *Cum debemus aliquibus malis adhibere remedium, ſiue noſtris, ſiue alienis, expedit ad hoc, vt ſecurius remedium apponatur, quod ſupponatur id, quod eſt deterius*. Vnde cum quis videt in domo ſua pauperem, licet non poſſit diffinire illũ eſſe furẽ; prudentiſſimè tamen faceret, ſi res ſuas cuſtodiret, ac ſi eſſet fur.

Dicendum eſt 3. Cum occurrit dubium de bonitate, aut malitia alicuius perſonæ, non tenemur illud in meliorem partem interpretari poſitiuè, prorumpendo in actũ iudicij de bonitate talis perſonæ, ſed ſatis eſt, vt illud in meliorem partem interpretemur negatiuè, ita vt non in deteriorem partem interpretemur, ſed ſuſpendamus iudicium. Primò probat Caietanus hic: *Quoniam recta ratio non tradit, quod ex obiecto neutrali generetur, aut ſumatur opinio declinans ad alteram partem, ſed quod neuter præſeruetur intellectus. Nulla rurſus ratio ſuadet, vt occurſu ambigui facti alterius, obliget me ad bene opinandum de ipſo, cum non tenear etiam*

ad

ad aliquid opinandum de ipſo in particulari, ſicut nec ad diligendum, vt patet ex ſupradictis in tractatu de charitate. Boni demum rationem non habet, vt abſque neceſſitate, aut pietate aliqua exponam intellectum meum periculo falſitatis ſæpius incurrendæ. Confirmat, quia propter hoc videtur Chriſtus negatiuè præcepiſſe Matth. 7. *Nolite iudicare:* & Paulus ad Corinth. *Qui non manducat, manducantem non iudicet.* His enim inſinuatur, nos non teneri ad iudicandum poſitiuè eſſe bonum illum, de quo dubium occurrit, ſed ſolum ad non iudicandum eſſe malum. *Vt ſi quando occurrat factum dubij iudicij de proximo, in eadem perſiſtamus opinione de illo proximo, qua prius eramus. Verbi gratia, habebam Ioannem pro viro ſobrio, inuenio poſtmodum ipſum bene comedentem, & bibentem, non moueor ex hoc facto ad iudicandum, quod neceſſitate ductus ſancte fecit, quod eſſet in meliorem partem interpretari, nec ad dubitandum de ſobrietate eius, quod eſſet in peiorem partem declinare: ſed perſiſto in prima opinione immotus; hoc eſt enim in meliorem partem interpretari negatiuè.*

Secundò probatur: cum occurrit dubium de bonitate, aut malitia proximi, aut eſt ratio, & cauſa ſufficiens ad dubitandum, vel non. Si eſt, licitè poſſumus dubij permanere, cum tale dubium non ſit temerarium, ſed rationabile; ergo licet tunc teneamur non iudicare proximum eſſe malum, non tamen tenemur poſitiuè iudicare eſſe bonum, alias non poſſemus licitè dubij

permanere. Si vero non eſt ratio, & cauſa ſufficiens ad dubitandum, tenemur quidem non dubitare, quia hoc eſſet temerarium; idque in ſententia M. Bañes hic dubio vnico, con. 3. & 4. ſub mortali; in noſtra verò, & Caietani ſententia ſub veniali, non iudicare autem malum eſſe proximum; ſub mortali. At iudicare bonum eſſe proximum, nihil eſt quod nos obliget, cum dubiũ excludere poſſimus non admittendo ipſum, quin aliquid poſitiuè iudicemus; ergo, &c. Confirmatur. Quando nobis occurrunt dubia circa fidem (quæ temeraria, & ſine cauſa, & vlla ratione fiunt) non ſemper tenemur poſitiuum actum fidei elicere (alias enim viri timoratæ conſcientiæ, & ſcrupuloſi, quibus hæc frequenter, & quandoque quaſi continuè occurrunt, continuè tenerentur actus fidei elicere, & nihil aliud facere, ſed ſi hęc occurrunt, dum horas canonicas recitant, tenerentur ab horarum recitatione ceſſare, vt actus fidei elicerent) ſed cum nos tentari contra fidem ſentimus, prudenter facimus, ceſſando ab aſſenſu, vel diſſenſu actuali rerum fidei, & occupando nos aliis negociis, tanquam nolentes in dubium reuocare, quod certo credimus, ſupponenteſque, certam rerum fidei veritatem; ergo idem erit quando nobis dubia circa proximi bonitatem, aut malitiam occurrunt: non enim tenebimur actum iudicii proferre poſitiuè iudicando bonum eſſe proximum, ſed bene faciemus ſuſpendendo actum,

ctum, nolentes non ſolum temere iudicare proximum, ſed nec eius bonitatem in dubium reuocare; ſed in bona æſtimatione, quã de eo habebamus, immoti permanere.

Ad doctrinam autem D. Thom. hic, quę fauere videtur ſententiæ M. Soto, reſpondet Caietanus intelligendam eſſe, *Ex ſuppoſitione, ſcilicet ſi iudicandum eſt: ita quod regula iſta doceat, quod dubia in meliorem partem ſunt interpretanda, ſi iudicandum eſt, ſi oportet iudicari.* An verò, licet non teneamur, poſſimus ex charitate ſine obligatione ſanctè, ac licitè iudicare poſitiuè probũ eſſe proximum, quando dubium nobis de eius bonitate, aut malitia occurrit: Negantem partem tenet Caietanus: vtrumque enim malum eſſe putat, & iudicare proximum eſſe malum, & iudicare proximum eſſe bonum; ſi tamen iudicandum eſt, hoc ſecundum eſt iudicandum, quia de duobus malis minus eſt eligendum, ſi oportet alterum eligere, & ex his minus malum eſt iudicare proximum eſſe bonum, quia ſolum eſt malum quod intellectus exponitur periculo falſitatis ſæpius incurrendæ. Iudicare autem proximum eſſe malum peius eſt, quia non eſt ſine iniuria proximi, & nõ minus exponitur intellectus periculo falſitatis ſæpius incurrendæ. Mihi tamen poſitiuè iudicare in meliorem partem inclinando, valde æquum, & charitati conſonum, ac ſanctum eſſe videtur; nam quamuis hoc, ſi falſum ſit, quoddam malum ſit ſpeculatiui intellectus, non tamen practici,

vnde D.Thom. hic ad 2. ait: *Ipſi homini iudicanti falſum, iudicium, quo bene iudicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipſius, &c.* Non eſt autem multum curandum de malo intellectus ſpeculatiui, ait namque D. Aug. in illud Pſalm. 147. *Qui poſuit fines tuos pacem*, de pace, & charitate: *Non ſe multum dolet errare, cum bene credit etiam de malo. Quid perdo ſi credo quod bonus eſt?* Quamuis ergo dubio occurrente non teneamur iudicare, proximum eſſe bonum, ſed poſſimus iudicium ſuſpendere; ſi tamen iudicare voluerimus, bene faciemus iudicando bonum eſſe, quamuis enim non teneamur proximum honorare; non tamen malè, ſed benè facimus illum honorando.

ARTICVLVS V.

Vtrum ſit ſemper ſecundum leges ſcriptas iudicandum.

Concluſio eſt affirmans.

SI leges ſcriptæ ius naturale contitent, manifeſtum eſt ſecundum eas eſſe iudicandum, & non licere iudici, ſiue Princeps, ſiue inferior fuerit, contra illas agere; nulli enim licet à iure naturali recedere. Si verò leges ſcriptæ fuerint humanę, ac poſitiuæ, ſecundum eas nihilominus eſt iudican-

dicandum etiam Principi, vt colligitur ex D.Aug.loco citato à D. Tho. hic in argum. *Sed contra*, & ex eodem D.Thom. 1.2.q.96. art.3.dicente, Principem ſubdi ſuis legibus, quantum ad vim directiuam: *Secundum quod dicitur extra de Conſt.cap. Cum omnes: Quod quiſquis iuris in alterum ſtatuerit ipſe eodem iure vti debet.*

Eſt tamẽ inter inferiores iudices,& Principem, inquit M.Soto lib.3.de iuſtitia, q.4. art.5. hæc differentia: *Quod inferiores iudices neque diſpenſare in legibus poſſunt, neque illas interpretari, Quod tamen in facultate Principis poſitum eſt. Vnde quo caſu poteſt ſuper legem diſpenſare, poteſt etiam, & contra legem iudicare, vt ſi capitis condemnatus, quam commodiſſimus eſſet Reipublicæ, poſſet ob illam publicam commoditatem illum donare vita*. In cauſis ciuilibus obſeruat M. Bañes hic rariſſimè poſſe Principem diſpenſare in ipſa lege,& aliter iudicare, quam ipſa lex docet; alias enim poſſet ſubditos expoliare rebus, quarum dominium habent, & eum, qui litigat priuare bonis ſuis, & adiudicare illa aduerſario.

Sed quia, vt hic ad 2.docet D.Th. etiam leges, quæ ſunt rectè poſitæ in aliquibus caſibus deficiunt, in quibus ſi ſeruarentur, eſſent contra ius naturale, ideò in talibus non eſt ſecundum litteram legis iudicandum iudici inferiori, ſed recurrendum ad æquitatem, quam intendit legiſlator. In talibus enim etiam legiſlator aliter iudicaret, etſi conſideraſſet, lege determinaſſet.

Vnde epacię eſt prętermiſſis verbis legis ſequi id, quod poſcit iuſtitiæ ratio, & communis vtilitas, vt dicitur infra quæſt.120 art.1. Vide quæ diximus 1. 2. quęſtioue 96. artic. 6.

Circa ar.6. vide quæ dicemus infra q.67. artic. 1,

QVÆSTIO LXI.

De Partibus Iuſtitiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum conuenienter ponantur duæ ſpecies iuſtitiæ ſcilicet commutatiua, & diſtributiua.

Concluſio eſt affirmans.

SErmo hic eſt de iuſtitia particulari, quę à iuſtitia legali, quæ generalis vocatur, diſtincta eſt ſupra q.58.ar.7. quod iuſtitia legalis ordinat hominem immediatè ad bonum commune, qui eſt ordo partis ad totum, nempe ciuis ad Rempublicam: iuſtitia verò particularis ordinat ad ſingularem perſonam. Cum autem duplex ſit ordo ad particularem perſonam, nempe totius ad partem, & partis ad partem,

tem, & primum dirigat iuſtitia diſtributiua, qua præſidens nomine totius communitatis diſtribuit bona communia partibus communitatis, & ſecundum dirigat iuſtitia commutatiua, quæ conſiſtit in his, quæ mutuo fiunt inter duas perſonas ad inuicem, duæ erunt ſpecies iuſtitiæ particularis, nempe iuſtitia commutatiua, & diſtributiua. Confirmatur. In iuſtitia diſtributiua, & commutatiua eſt diuerſa ratio debiti, in diſtributiua enim debetur aliquid, vt applicandum, & appropriandum: in commutatiua verò tanquam proprium, & applicandum; ergo ſunt diſtinctæ ſpecies iuſtitiæ. Cum enim ordo ad alterum, & ratio debiti ſint de intrinſeca ratione iuſtitiæ, vbi eſt diuerſus ordo ad alterum, & diuerſa ratio debiti, diuerſas ſpecies iuſtitię eſſe, neceſſe eſt.

Circa artic. 2. 3. & 4. nihil ſe offert dicendum.

QVÆSTIO LXII.

De Reſtitutione.

ARTICVLVS I.

Vtrum reſtitutio ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ.

Concluſio eſt affirmans.

QVid ſit reſtituere his verbis explicat D. Thom. *Reſtituere nihil aliud eſſe videtur, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ.* Cui conſonat quod in l. 2. §. *Reſtituas*, ff Ne quid in loco publico dicitur: *Reſtituere videtur, qui in priſtinum ſtatum reducit*. Quæ definitio, licet quid nominis ſit, & quædã verbi reſtituere etymologia, optimè etiam naturam reſtitutionis explicat: eo modo quo nominis ſignificatio poteſt naturam rei exprimere. Saluari autem poteſt reſtitutionis natura, etiam ſi non eadem numero, aut ſpecie res, quę accepta fuerat, reddatur, dummodo reddatur, quæ tantundẽ valet. Requiritur tamen, vt res, quæ redditur, ſit eius, cui redditur, vnde qui, quod dono acceperat, reddit, redonat quidem, ſed non proprie reſtituit, & qui reddit, quod debet ex voto, vel iuramento, aut emptione, non reſtituit propriè, ſed ſoluit. Quomodo autem differat reſtitutio à ſatisfactione explicat optimè Diuus Thomas in 4. d. 15. q. 1. art 5. quæſtiun 1. dicens: *Reparatio inæqualitatis exiſtentis in rebus reſti-*

tatio dicitur : reparatio autem inæqualitatis exiſtentis in actionibus, & paſſionibus ſatisfactio nominatur : & ideo quandoque eſt ſatisfactio ſine reſtitutione aliqua, vt cum quis ſe proximo humiliat de aliquibus cõtumeliis ei dictis: aliquando autem reſtitutio ſine ſatisfactione, vt cum quis mutuum reddit aliquando autem vtrumque exigitur, vt cum quis alicui per violentiam rem ſuam ſubtraxit. Reſtitutio rem ablatam reſpicit, quæ non niſi per rem, quæ redditur reparatur. Satisfactio reſpicit offenſam illatam, quæ per actionem, qua, quis ſe ſubiicit perſonæ offenſæ, tollitur. Si contingat eadem actione exhiberi rem, & perſonam ſubiici offenſo, vt cum veniæ petitione exhibetur honor, per exhibitionem rei fit reſtitutio, & per actionem, qua exhibetur, fit ſatisfactio. Ex quo patet verum eſſe, quod ait Diu. Thom. *Reparatio, &c.* Ex verbis autem quæ ſubiungit. *Et ideo quandoque, &c.* conſtat falſum eſſe, quod nonnulli dicunt, reſtitutionem a ſatisfactione diſtingui ſicut inferius à ſuperiore.

Dubium, An violatio iuſtitiæ diſtributiuæ ſecundum ſe inducat obligationem reſtituendi.

PArtem affirmantem tenet *M.* Salon. infra q. 63. articulo quarto, controuerſia tertia : falſum enim eſſe afferit ſecũdum fundamentum Auctorum ab eo citatorum

torum in principio controuerſiæ, videlicet: lædentem ſolam iuſtitiam diſtributiuam, non teneri ad reſtitutionem, ſed eum ſolum, qui lædit commutatiuam, vel diſtributiuam cui coniuncta eſt commutatiua, hocque impugnat.

Primò, omnis inæqualitas per iuſtitiam reducenda eſt ad æqualitatem actu reſtitutionis: ſed qui lędit iuſtitiam diſtributiuam, facit inæqualitatem eo ipſo, quo lædit iuſtitiam, cum omnis iuſtitia conſiſtat in æqualitate rei ad rem; ergo qui lædit iuſtitiam diſtributiuam, ratione ipſius, etiam ſi nulla ei miſceatur commutatiua, tenetur ad reſtitutionem.

Secundò, qui violat iuſtitiam diſtributiuam, nocet fratri cum iniuria; ergo tenetur reſtituere. Antecedens probatur, eo ipſo quo quis habet merita, habet ius, nō poſſeſſiuum, ſed debitum, alioqui non violaretur iuſtitia, cum obiectum iuſtitiæ ſit ius, & omnis iniuſtitia ſit violatio alicuius iuris: ergo qui non confert illi beneficium quod meretur, ſed iuſtitiam violat diſtributiuam: cum iniuria illi nocet.

Tertiò, iuſtitia commutatiua violata ideo obligat ad reſtitutionem, quia vnus habet pluſquam debet habere, alter verò minus: ſed quando violatur iuſtitia diſtributiua, idem contingit, ergo, &c.

Quartò, diſtribuere tributa, & vectigalia populis, pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam: ſed qui hanc violaret imponens maiora tributa, quam ſint imponenda, tenere-

negetur reſtituere; ergo &c. Confirmatur primò, qui imponit pretia rebus communibus, ſi non ſeruet æquitatem, violat iuſtitiam diſtributiuam: at tenetur reſtituere; ergo, &c. Confirmatur ſecundò, qui non diſtribuit, quod diſtribuendum eſt, vel minus diſtribuit, quam diſtribuendum eſt, non peccat contra commutatiuam, ſed contra diſtributiuam iuſtitiam, & tamen tenetur ad reſtitutionem, ergo &c.

Dicendum tamen eſt; primò, violationẽ iuſtitiæ diſtributiuę ſecundum ſe non inducere obligationem reſtituendi. Hanc concluſionẽ præter citatos à *M.* Salon vbi ſup. docet M. Bañez infra q.63. art. 4. dubio 2. ad 1. dicens: Si detur caſus, in quo purè lædatur iuſtitia diſtributiua, nulla eſt obligatio ad reſtitutionem. Eſt etiam hęc cõmunis aliorum doctrina.

Probatur 1. Nam vt hic ait Diu. Thom. *Reſtitutio eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ.* Ergo læſio iuſtitiæ diſtributiuæ non eſt per reſtitutionem reparanda, actus enim deſtruẽs virtutem, per oppoſitum actum reſarciri debet, vt actus intemperantię per temperantiam. Si dicas iuſtitiam commutatiuã reparare reſtitutionis actu lęſionem cuiuſcumque iuſtitiæ, ſicut charitas reparat læſionem cuiuſcumque virtutis. Contra hoc eſt, quia non reparat lęſionem iuſtitiæ legalis, cum huius violatio non obliget ad reſtitutionem, vt patet ex dictis ſupra qu. 58. art. 6. dub. vnico, con. 4. ad finem: nec lęſionem virtutum, quæ ſunt partes poten-

tia-

tiales iuſtitię, vt aperte conſtat; ergo nec læſionem iuſtitię diſtributiuę.

Secundò, vbi non eſt ablatio rei alienę, non eſt obligatio reſtituendi, nam vt hic in argum. *Sed contra*, ait D. Thom. *Reſtitutio ablationi opponitur*: Sed violatio iuſtitię diſtributiuę non eſt ablatio rei alienæ, nam vt ibidem dicit S. D. ablatio rei alienæ eſt actus iniuſtitiæ circa commutationes; ergo &c. Confirmatur 1. quia vt colligitur ex D. Tho. & Caiet. ſupra q. 61. art. 1. ad 3. reſtitutio, quæ eſt actus iuſtitię commutatiuæ, ſolum eſt eius, quod eſt debitum alicui, vt proprium, violatio autem iuſtitiæ diſtributiuæ ſolum aufert, quod eſt debitum, vt commune, ergo hoc non eſt reſtituendum. Confirmatur ſecundo, reſtitutio ſolum habenti ius in re, vel ad rem facienda eſt: ſed ille, cui violata eſt iuſtitia diſtributiua, nec habet ius in re, nec ad rem, cum nec habeat poſſeſſionem rei, quæ diſtribuitur, nec illam iure poſſit petere, & exigere agens in iudicio; ergo nulla eſt ei facienda reſtitutio.

Tertiò, ſi quis diſtributor concurrentibus duobus ęque dignis cōferret officium, aut beneficium vni ex illis ſolum intuitu diuitiarum, quas habet pluſquam alter, violaret iuſtitiam diſtributiuam, nam eſſet perſonarum acceptor, vt colligitur ex D. Th. infra q. 63. art. 1. non enim conferret illi officium propter cauſam, quę faciat eū dignum: at non teneretur ad aliquam reſtitutionem; ergo &c. Confirmatur, ſi va-

cantibus duabus cathedris ęqualibus omnino, altera quidem Theologiæ, altera vero Iuriſperitię, duo ſolum eſsent oppoſitores, vnus dignior ad cathedram Theologię, alter dignior ad cathedram Iuriſperitiæ, ambo tamen ad vtramque digni, ſi diſtributor cuilibet ex illis conferret cathedram, qua minus dignus eſt, violaret iuſtitiam diſtributiuam: at nulli teneretur aliquid reſtituere, nam etiam ſi dediſſet cathedram, qua dignior eſt, non plus haberet, cum ambæ ſint omnino æquales; ergo violatio iuſtitiæ diſtributiuæ non obligat ad reſtitutionem ei, cui facta eſt.

Dicendum eſt 2. Violationi iuſtitię diſtributiuæ ſæpè annexam eſſe læſionem iuſtitię commutatiuę, tuncque ratione annexi induci obligationem reſtituendi. Probatur 1. ex D. Thom. hic ad 3. dicente: *Recompenſatio, quam facit diſtribuens ei, cui dedit minus, quam debuit, fit per comparationem rei ad rem: vt ſi quanto minus habuit, quam debuit, tanto plus ei detur. Et ideo tam pertinet ad iuſtitiam commutatiuam.* Quibus verbis inſinuat D. Thom. diſtribuentem obligari ad recompenſationem pertinentem ad iuſtitiam commutatiuam, qualis eſt reſtitutio, quia lędit iuſtitiam diſtributiuā, cui annexa eſt commutatiua, dando minus, quam debet, cum munus diſtribuendi accipiat ea lege, vt diſtribuat vnicuique ſecundum merita ſingulorum, aut qualitates.

Secundò, ſępè, qui diſtribuit, non eſt do-

minus

minus bonorum, quæ diſtribuuntur, ſed miniſter deſignatus, aut ſtipendiatus, vt rectè, & iuxta leges iuſtitiæ diſtributiuæ diſtribuat, ſicque ad hoc obligatus ex iuſtitia commutatiua, & ex pacto eſt, non ſecus ac, qui locat operas ſuas, & pro eis ſtipendium accipit, obligatus eſt ad operandum ex pacto, & iuſtitia commutatiua; ergo ſi inique diſtribuit, non conferens eis, quibus debet, ſecundum illorum merita, aut qualitates, ſeu conditiones, violationi iuſtitiæ diſtributiuæ annexa eſt læſio iuſtitiæ commutatiuæ, & propter hanc ad reſtitutionem obligantur.

Non modicam autem difficultatem habet, cui, & quando reſtituere teneatur Quam ſequentibus concluſionibus explico.

Dicendum eſt 3. Quando bona, quæ diſtribuuntur, *inſtituta ſunt in ciuium vtilitatem*, & *priuatum* illorum commodum. diſtributor, quia ea non confert, quibus, conferenda ſunt, his tenetur illa reſtituere Probatur, talis diſtributor tenebatur ex iuſtitia commutatiua, & pacto, cum quo munus diſtribuendi ſuſcepit, prædicta bona communia appropriare ciuibus ſecundum eorum merita, & conditiones; ergo ſi hoc non facit, illa tenetur reſtituere eis, quibus tenebatur applicare; damnificauit enim illos in proprio, non quidem auferendo, quod erat proprium, ſed appropriationem, quam tenebatur facere omittendo, vt hic optimè docet Caietanus, qui,

&

& ſubdit: *Et ex his patet deciſio caſus, ſcilicet quòd ſi deberent in aliqua Republica prouentus annui diſtribui cōſcriptis ciuibus ſingulis annis, diſtributor autem occupaſſet prouentus annis tribus, & poſtmodum pœnitentia ductus reſtitueret Reipublicæ eoſdem, non deberet ſumma iſta deſtribui ciuibus conſcriptis in quarto anno: ſed prouentus primi anni deberet diſtribuere ciuibus conſcriptis primi anni, & ſic deinceps. Et ſi aliquis eorum eſſet defunctus, teneretur dare hæredibus illius. Et hoc quia ipſe damnificauit illos indiuidualiter non appropriando, ſicut tenebatur.*

Dicendum eſt quartò, quando bona quæ diſtribuuntur, ſunt inſtituta in vtilitatem Eccleſiæ, vel Reipublicę, qualia ſunt officia ſæcularia, & beneficia Eccleſiaſtica, probabile eſt, diſtributorem iniquũ non violare iuſtitiam commutatiuam, niſi ſolum cõtra Eccleſiam, vel Rempublicam; conferendo ea indignis; ſicque ſi his conferat, teneri quidem reſtituere damna Eccleſiæ, aut Reipublicæ inde ſequuta; dignis tamen omiſſis nihil teneri reſtituere: ſi autem conferat dignis, omiſſis dignioribus, neque his, neque Eccleſiæ aut Reipublicæ aliquid teneri reſtituere. Probatur nam ita docent Magiſter Soto libro tertio de iuſtitia: q. 6. art. 2. con. 2. & libro quarto, queſt. 6. art. tertio ad 6. Nauarrus cap. 17. à num. 69. vſque ad 74. & alii quamplures, qui & hoc explicant exemplo œconomi, qui, etiam ſi ad vineam domini ſui excolendam conducat operarios omni-

no inutiles, relictis idoneis, his nihil tenetur reſtituere, ſed domino vineæ, cui nocuit: ſi vero idoneos, ac dignos conducit, etiam ſi non adducat meliores, ac digniores, nec his, nec domino tenetur aliquid reſtituere.

Secundò, nam præter tantorum Doctorum auctoritatem, ſatis probabili nititur hæc ſententia fundamento, nempe licet diſtributor ſit miniſter deſignatus, vel ſtipendiatus, ex vi tamen pacti, vel ſtipendii, ac proinde ex iuſtitia commutatiua ſolum eſt obligatus ad officia, vel beneficia diſtribuenda in Eccleſiæ, aut Reipublicæ commodum, & vtilitatem; ad eius que ſeruitium, ad quod ſunt inſtituta, non vero in commodum, & vtilitatem eorum, quibus diſtribuuntur; ergo per iniquam diſtributionem prędictorum munerum ſolum violat iuſtitiam diſtributiuam contra Eccleſiam vel Rempublicam, ſi ei damnū aliquod inferat; ac per conſequens cum ſolum damnum inferat Eccleſiæ, aut Reipublicę, quando prædicta munera confert indignis: nam quando ea dignis confert, dignioribus omiſſis, licet non ſummum bonum procuret, non tamen infert aliquod damnum, quo iuſtitia commutatiua violetur, quia Eccleſię, aut Reipublicæ non eſt debitum ex iuſtitia commutatiua maximum bonum, quod poteſt haberi; nam eſſet intolerabile id exigere à b electoribus, aut diſtributore, ſed ſufficit, quod eſt proportionatum, & moraliter æquale ſtipendio

dio officii, vel beneficii; ſolum quando prędicta munera confert indignis, tenetur ad reſtitutionnem faciendam; non quidē dignis, ſed Eccleſiæ, vel Reipublicæ; ſi vero ea confert dignis, etiam ſi omittat digniores, nec his, nec Eccleſiæ, aut Reipublicæ aliquid reſtituere tenetur.

Limitant hoc nonnulli, quando hæc officia, vel beneficia non conferuntur per oppoſitionem propoſito edicto, nam ſi hoc modo conferantur, eligens dignum, prætermiſſo digniore, violat iuſtitiam diſtributiuam, & commutatiuam, quia propoſitione edicti quidam contractus vltro citroque oblatorius inter digniorem, & diſtributorem reſultat, quem diſtributor tenetur ex iuſtitia commutatiua ſeruare, & ſi non ſeruauerit digniori reſtituere, quod ei dare debebat. Alii hoc ſolum eſſe affirmāt, quando in edicto expreſſe promittitur dignioris aſſumptio: non tamen quando ſolum dicitur, ſeruabitur vnicuique ſua iuſtitia.

Mihi tamen abſque his limitationibus probabilis videtur ſententia M. Soto, & Nauarri ac aliorum: quia promiſſio ſolum addit obligationem fidelitatis, cuius violatio non inducit obligationem reſtituendi. Oppoſitione autem, vel propoſitione edicti prædictum contractum reſultare non cōſtat.

Præterea, quomodocumque hæc officia, vel beneficia conferantur, ſiue per oppoſitionem, aut ſine illa, non conferuntur,

vt præmia meritorum ; ſed vt ſtipendia miniſtrorum : decimę enim, & tributa, ex quibus beneficia, & officia inſtituta ſunt: & quicquid vtilitatis in eis eſt, habent, non ſoluuntur, vt pręmia ſint meritorum perſonarum, inſtar bonorum, quę in Reipublicæ depoſito exiſtunt, ſed vt ſint ſtipendia miniſtrorum ; vt latè probat M. Soto vbi ſupra ; ergo licet non conferantur dignioribus, non propterea debet eis fieri reſtitutio, nec violatur reſpectu illorum iuſtitia commutatiua, quandoquidem eo, quod non conferuntur, vt *præmia*, ſed vt ſtipendia, non conferuntur ob merita, ſed ob miniſterium, quod æquale ſtipendio officij, vel beneficij digni exhibere poſſunt, ſicque quando his conferuntur officia, vel beneficia, nec etiam contra Eccleſiam, aut Rempublicam violatur iuſtitia commutatiua, ac proinde nec ei quicquam eſt reſtituendum.

M. Ledeſma 2. p. Sum. tract. 8. c. 8. con. 13. contrarium aſſerendum eſſe dicit de præbendis collegiorum ; nam non ſunt inſtitutæ, vt ſtipendia laborum, ſed vt præmia meritorum, ſicque conferens eas dignis, omiſſis dignioribus, his reſtituere tenetur.

Dicendum eſt 5. Probabilius eſſe, iniquũ diſtributorem prędictorum munerum, nõ ſolum violare iuſtitiam commutatiuam contra Eccleſiam, vel Rempublicam, conferendo ea indignis, ſed etiam contra dignos, & conferendo ea minus dignis cõtra di-

digniores; ſicque tam Eccleſiæ, aut Reipublicæ, quam dignis, vel dignioribus omiſſis faciendam eſſe reſtitutionem. Docent hoc Caietanus hic, & art. ſeq. M. Bañez infra q. 63. art. 4. dubio 2. con. 4. & 5. & alij quam plures tam ex recentioribus quam ex antiquioribus.

Probatur primo. Nam vt hic ad 3. docet D Th. diſtribuens ei, cui dedit minus quam debuit, debet facere recompenſationem pertinentem ad iuſtitiam commutatiuam: ſed iniquus diſtributor prędictorum munerum non dat, quod debet Eccleſiæ, aut Reipublicæ, nec dignis quando his omiſſis confert prędicta munera indignis, nec dignioribus, quando his omiſſis confert ea etiam dignis; ergo tam Eccleſiæ, aut Reipublicæ, quam dignis, vel dignioribus omiſſis debet facere reſtitutionem: Minor quoad primam partem patet: nam Eccleſia, vel Reſpublica confert diſtributori ius eligendi, vt prouideatur illi præſtantior miniſter; non quidem abſolutè, ita vt quæri debeat excellentiſſimus. nam hoc eſſet intolerabile, ſed tempore oppoſitionis, ita vt ex oblatis eligatur pręſtantior, hoc enim fine fit oppoſitio, concurſus, & examen; ergo ex iuſtitia, & officio diſtributoris debetur illi melior miniſter, qui poteſt commode haberi tempore electionis, quem ſi diſtributor non eligit, etiam ſi dignum eligat, minus quam debet dat Eccleſiæ, vel Reipublicæ, hancque priuat vtilitatibus, quas ex meliori re-

por-

portaret. Quoad ſecundam etiam partem probatur: nam vt hic §. *Dicendum* docet Caietanus: *Diſtributor tenetur ad faciendum de communi proprium parti cuilibet ſecundum ſuam proportionem. Et quia tenetur ad hunc actum reſpectu cuiuslibet partis, ideo omnibus, & ſingulis partibus tenetur ad recompensãdum tantum quantum non dedit alicui de portione ſibi debita*: Confirmatur, diſtributor ex iuſtitia commutatiua ratione officii, aut ſtipendii tenetur officia, & beneficia diſtribuere iuxta leges iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ obligant, vt dignioribus conferantur; hæc enim eſt voluntas Eccleſiæ, aut Reipublicæ, quam diſtributor tenetur exequi ex iuſtitia commutatiua, vtpote ex debito ſui officii, quod ea lege, conditione, & pacto illi collatum eſt, vt ſeruaret eius ſtatuta; ergo ſi non confert dignioribus, his tenetur reſtituere: non ſecus ac ſi quis voluntatem teſtatoris diſponentis, vt pecunia aliqua diſtribueretur inter cognatos ſibi magis coniunctos, & pauperiores, non exequeretur, ſed minus indigentibus, & minus coniũctis pecuniam conferret omiſſis pauperioribus, & magis coniunctis, his illam reſtituere teneretur.

Secundo probatur, nam falſum videtur officia, & beneficia ſolum eſſe ſtipendia miniſtrorum, non præmia meritorum: in his enim duo ſunt, nempe officium ipsũ, munus, & dignitas, & redditus beneficii dati propter officium; ex quibus licet redditus ſint ſtipendium pro alimonia miniſtro-

ſtrorum, officium tamen ipſum munus, & dignitas datur in meritorum præmium. Vnde in pręmium ſuæ confeſſionis dixit Chriſtus Petro Matt. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã.* Nam vt hoc explicans ait: S. Hilarius: *Dignum plane confeſſio Petri præmium conſequuta eſt.* Et quamuis redditus, & fructus munerum ſint ſtipendia, cum tamen ſint ſtipendia honorifica, & plurimum excedentia labores ipſos, ſimul etiam eſſe debent pręmia meritorum, quæ ex decimis, & tributis dantur miniſtris, non ſecus, ac ex ęrario publico dantur quandoque præmia militibus veteranis. Confirmatur: quamuis prædicta immediate ordinentur in bonum Eccleſiæ, vel Reipublicæ, conſequenter tamen ordinantur in bonum partium, vt colligitur ex illo 1. ad Timoth. 5. verſ. 17. *Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni habentur*, ſcilicet dignitatis, & commodi temporalis; ergo diſtributor, qui abſtulit à dignioribus, quę illis debentur, tenetur ea illis reſtituere.

Ad hanc autem reſtitutionem ſufficit, vt conferat digniori omiſſo aliud ęquale officium, vel beneficium: nam quamuis reſtitutio, quæ fit propter violatam iuſtitiam commutatiuam per ſe, & directe, fieri debeat ex propriis: quando tamen violatio iuſtitiæ commutatiuę orta eſt, ex violatione diſtributiuæ, vt hic contingit, poteſt etiam fieri ex communibus.

Tenetur nihilominus diſtributor ex pro

prijs reficere alia damna digniori ſequuta, vſque ad reſtitutionem ei factam per collationem alterius beneficij, vel officij.

Si plures ſint digniores eo, cui contulerat, & inter ſe ęquales, ſufficit, vt vni ex illis, cui voluerit, prędicto modo reſtituat, ſicut ſi ſoli ipſi ad primum beneficium cōcurriſsent, diſtributor ſuo ſatisfeciſset officio, conferendo illud, cui voluerit.

Beneficium autem ſecundum, quo digniori fit reſtitutio, debet eſſe incompatibile cum priori, nec alias debitum ex iuſtitia ſicut primum; alias enim illo non fieret ſuficiens compenſatio digniori, ſicut nec fit illi, cui debentur duo, vnius ſolutione.

Dignus etiam, cui datum eſt primum beneficium omiſso digniori, huic non minus, quam diſtributor, tenetur ad reſtitutionem, ſi tamen ſciens illum eſse digniorem, ſe illi oppoſuit, qua oppoſitione ſciebat impediturum eſse digniore à conſequutione beneficij. Nam ſi bona fide illi ſe oppoſuit ignorans digniorem eſse, vt electores merita vtriuſque examinarent, etiã ſi poſt obtentum beneficium ſciat digniorem eſse, nihil tenetur reſtituere; quia nec ratione iniuſtæ acceptationis, nam ab hac bona fides eum excuſauit: nec ratione rei acceptæ, quia non eſt aliena ſed propria. Idem eſt ſi dubius eſset, an alius eſset ipſo dignior, nam vt ait M. Soto libr. 3. de iuſtitia, q. 6. a. 2. in dub. de electionibus ad 1. *In re dubia nō tenetur ipſe ſe ipſũ examinare, ſed ille, qui cōfert.*

Ad

Ad argumenta autem facta in principio reſpondetur. Ad 1. non omnem inęqualitatem eſſe per reſtitutionem reparandam, ſed eam ſolum, quæ opponitur æqualitati iuſtitiæ commutatiuę, cuius actus eſt reſtitutio; alias enim inęqualitas oppoſita æqualitati virtutum, quæ ſunt partes potentiales iuſtitiæ, eſſet per reſtitutionem reparanda.

Ad 2. reſpondetur, diſtributorem, qui violat iuſtitiam diſtributiuam, nocere fratri cum iniuria, quia iniquæ diſtributioni annexa eſt læſio iuſtitiæ commutatiuæ. In caſu vero, quo ſolum eſſet violatio iuſtitiæ diſtributiuæ, non eſſet nocumentum cum iniuria propriè, ſicut nec eſt, quando quis nocet fratri contra ſolam charitatem: nã quamuis merita faciant hominem dignum re, non tamen conferunt ius ad rem, niſi forte ius latè accipiatur pro eo, quod iuſtum eſt, qua ratione eſt obiectum iuſtitię, etiam imperfectæ, quæ non poteſt reddere iuſtum ſecundum perfectam rationem, qualis eſt gratitudo, & religio, vt colligitur ex D. Thom. ſupra q. 57. art. 1. ad 3. Vnde ius, quod in argumento appellatur non poſſeſſiuum, ſed debitum, quantum ad præſens attinet, ſimile eſt debito & obligationi gratitudinis, quæ antidotalis, non legalis obligatio eſt, & non parit actionem neque ius petendi, nec inducit neceſſitatē reſtituendi in non implente.

Ad 3. reſpondetur, eodem argumento probari poſſe violationem aliarum virtu-

tum, vt charitatis, & gratitudinis, obligare ad reſtitutionem, poteſt enim contingere, vt vnus habeat plus, & alter minus, quam debet habere ex charitate, aut gratitudine. Requiritur ergo ad obligationẽ reſtitutionis, vt vnus habeat plus, & alter minus, quam debet habere ex iuſtitia, quæ tribuit ius in re, vel ad rem, qualis eſt ſola commutatiua.

Ad 4. reſpondetur, diſtributioni iniquæ vectigalium annexam eſſe violationem iuſtitiæ commutatiuæ, contra hanc enim eſt grauare ſupra modum populum, & imponere tributa maiora quam ſint imponẽda, cum ad hoc nulli ſit ius, quin potius ex ſuo officio princeps ad oppoſitũ teneatur, nam ea lege, & pacto admiſſus eſt, vt non ſpoliaret, ſed defenderet populum. Si quando imponitur iuſtum tributum, & portio vnicuique ſoluenda deſignatur, princeps vellet hanc à quibuſdam exigere alijs minus dignis remittere, violaret quidem iuſtitiam diſtributiuam, & perſonarum acceptor eſſet, quia tamen non violaret commutatiuam iuſtitiam, non teneretur reſtituere. Idem ſi iudex quoſdam pœna lege taxata puniret, aliis pœnam relaxaret, non maiori exiſtente cauſa, aut neceſſitate.. Ad confirmationem eodem modo reſpondetur, violationi ſcilicet illi iuſtitiæ diſtributiuę annexam eſſe violationem iuſtitiæ commutatiuę, qua tenetur imponens pretia, ſeruare æquitatem. Ad 2 confirmationem reſpondetur, falſum eſſe

ante-

antecedens, ſi diſtribuens ſit miniſter deſignatus, & ſtipendiatus, vt patet ex 2. concl.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem, quod fiat reſtitutio eius, quod ablatum eſt.

Concluſio eſt affirmans.

QVæ certa eſt ſecundum fidem, vt colligitur ex illo 1 Corinth. 6 v. 10. *Neque fures, neque auari, neque rapaces, Regnum Dei poſſidebunt*, & ad Rom. 13. verſ. 7. *Reddite ergo omnibus debita*. Et ex illo D. Aug. dicto epiſt. 54. relato 14. q 6. cap. *Si res aliena*, & in 6. de regulis iuris. regula 4. *Nō remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum*.

Eſt autem realis reſtitutio neceſſaria ad ſalutem, non neceſſitate medii, ſicut ſunt gratia, & charitas (nam ſi abſque culpa omittatur reſtitutio, poteſt homo ſalutem conſequi æternam; & error inſipientium eſt, animam defuncti detineri in purgatorio, quo vſque reſtituatur ab hæredibus, quod abſtulerat, & non potuit reſtituere) ſed neceſſitate præcepti.

Reducitur autem præceptum reſtituendi ad 7. Decalogi: *Non furtum facies*. Nam li-

licet ſit affirmatiuum, includit tamen negatiuum, ſupra quod fundatur, non retinendi ſcilicet rem alienam inuito domino.

Hinc colligitur, turpiter erraſſe Sacerdotes Græcorum, qui nullam furibus, & latronibus pro manifeſta rapina iubebant reſtitutionem, ſed oleo ſimplici illos inungentes abſoluebãt, vt referunt Guido Carmelita libro de Erroribus Græcorum, & Caſtro lib. de Hæreſibus, verb. *Reſtitutio* cum tamen Ezech. 33. verſ. 14. impio vita, & venia promittatur, ſub hac conditione, *Si egerit pœnitentiam, & pignus reſtituerit, rapinamque reddiderit*.

Dubium 1. An qui alteri abſtulit membrum, aut vitam corporis, teneatur aliquid pro ipſa læſione corporali reſtituere.

PArtem negantem tenent M. Bañez hic dubio 4. con. 2. & alij. Probant 1. ex leg. finali, ff. De his qui deiecerunt, & effuderunt, ex l. *Liber homo*, ff. Ad legem Aquiliam, & ex l. *Ex hac lege* ff. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, vbi ſic dicitur: *Non deformitatis ratio habeatur, cum liberum corpus æſtimationem non recipiat, ſed impenſarum in curatione factarum, & operarum amiſſarum, quaſque amiſſurus quis eſſet inutilis factus*.

Secundo, quia alias etiam ſi is, qui ab-

ſtulit membrum,aut vitam puniretur à iudice pœna talionis debita ſecundum legẽ, adhuc ille teneretur ad faciendam recompenſationem in pecuniis, vel in alio bonorum genere: conſequens eſt falſum, ergo &c. Maior patet, quia per talem pœnam ſolum fit ſatisfactio Reipublicæ, non parti læſæ:vnde ſicut ſi fur puniatur vltimo ſupplicio, tenetur nihilominus reſtituere, quod furatus fuerat, idem eſſet de homicida. Minor probatur, ſententia iudicis, quæ non fundatur in falſa præſumptione, confert ius in conſcientia ſiue ligando, ſiue abſoluendo: ſed quando punitur quis talionis pœna, non obligatur ad aliquam pecuniarum reſtitutionem; ergo neque tenebatur ad illam ante iudicis ſententiã, nec poſt hanc ad illam obligatur.

Tertiò, quando fur in proprio genere non poteſt reſtituere,quod abſtulit, non tenetur illud in alio bonorum genere reſtituere: ergo etiam ille,qui læſit alterum in bonis corporis mutilando, aut occidendo illum, cum non poſſit, quod abſtulit,reſtituere in proprio genere, non tenetur illud reſtituere in pecuniis, aut alio bonorum genere.

Dicendum tamen eſt primo. Qui alteri iniuſte abſtulit membrum, aut vitam corporis, tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ ex ipſa læſione corporali ſunt ſequuta ipſi lęſo, aut eius hæredibus neceſſariis, niſi lęſus læſorem ad pugnam prouocaſſet, aut ei omnia remiſiſſet.

Probatur: læſor omnia illa damna intulit contra iuſtitiam commutatiuam; ergo illa recompenſare tenetur.

Si quis occidendo aut mutilando non peccaret contra iuſtitiam. puta quia miniſter eſſet iuſtitiæ, aut ſe defenderet cum moderamine inculpatæ tutelę, etiam ſi peccaret contra charitatem, quia ſcilicet ex odio occideret, aut mutilaret, nihil reſtituere teneretur: nam vbi iuſtitia non violatur, nulla eſt obligatio reſtituendi. Vide Nauarr. c. 15. num. 24.

Quamuis etiam contra iuſtitiam peccaret, ſi tamen ille, qui occiditur, breui tempore erat naturali, aut iuſta morte moriturus, vt ſi quis occideret ægrotum cito moriturum, aut illum, qui ducitur ad ſupplicium, non teneretur ad damnorum aliquorum reſtitutionem, niſi forte aliqua ſequerentur ex illa mortis acceleratione; regulariter enim nulla ſequuntur, cum nihil ſit expenſurus, aut lucraturus, qui occiditur. Secus eſſet ſi iniuſta morte eſſet interficiendus à latrone, aut alio, nam ſicut alter interficiendo teneretur reſtituere: ita, & præueniens tenetur; hic enim damna intulit contra iuſtitiam.

Expenſas curationis reſtituendas eſſe colligitur ex legibus citatis in arg. 1. & ex illo Exodi 21. v. 18. *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit alter proximum ſuum, &c. operas eius, & impenſas in medicos reſtituat.* Ratio etiam manifeſta eſt, nam harum expenſarum cauſa efficax læſor fuit. Detrahendas

tamen

tamen eſſe expenſas, quas alias læſus in cibo, & potu eſſet acturus, docent communiter Doctores.

Lucrum ceſſans etiam reſtituendum eſſe, certum eſt, non quidem omne, ſed tantum, quanti ſpes lucri æſtimatur arbitrio prudentis, minus enim valet, quod eſt in ſpe, quam quod eſt actu. Si tempus, quo læſus erat lucraturus, non ſit certum; quia mortuus eſt, ex tempore, quo plus minus erat victurus, deprehendi poterit. Detrahendum tamen eſt, quod de lucro ipſe erat conſumpturus. At labores detrahendi non ſunt, quos in opificio, aut officio erat ſubiturus; nam operas reſtituendas eſſe dicitur Exodi 21. & quia alias vix aliquid ſupereſſet reſtituendum opifici læſo.

Damnum emergens reſtituendum eſſe, non eſt minus certum. Dicunt tamen multi ſi pœnam talionis ſuſtineat lædēs, nō teneri ad damna prædicta reſtituenda. Quod ego verum eſſe exiſtimo, ſi pars læſa illorũ compenſationem non exigat, tunc enim pœna talionis ſola videtur contenta, præſertim ſi ad eius inſtantiam læſor plectatur tali pœna. Communiter etiam pecuniaria damnorum ſatisfactio ſolum exigi ſolet ab ignobilibus, nobiles enim dedignantur quicquam in compenſationem accipere. Vide Nauarrum capitul. 15. num. 22.

Dixi in concluſione, ipſi læſo, aut eius hæredibus neceſſariis reſtituenda eſſe prædicta damna; nam ſi læſus non eſt mor-

tuus, ipſi reſtituenda ſunt; ſi verò mortuus fuerit, eius hæredibus neceſſarijs reſtitui debent, non voluntariis: nam ij cum non ſint partes teſtatoris, neque hic eos teneatur alere iure naturæ, non læduntur in bonis propriis, ſicque eis nihil eſt reſtituendum: niſi forte læſor non ſoluerit teſtatori læſo, quę ei debebat. nam hæredes voluntarii ſuccedunt in omne ius defuncti.

Creditoribus etiam nihil eſt reſtituendum: vnde eis, nec in foro exteriori datur actio contra leſorem debitoris, nec in foro conſcientię ſolet leſor interrogari à confeſſarijs, an læſus habeat creditores. *Si animo nocendi creditoribus, quis debitorem interficeret*, docent communiter DD. teneri ad reſtituendum eis, quia cum fraude, vel dolo impediuit eos à conſequutione debiti. Non tamen deſunt, qui dicant non teneri; nam obligatio reſtitendi non oritur ex prauo animo, ſed ex actione iniuſta.

Animam defuncti iuuare præcibus, & ſacrificiis optimum conſilium eſt; ad hoc tamen ex iuſtitia non obligari homicidam, docet M. Soto lib. 4. de iuſtitia, qu. 6. art. 3. ad 3. quem vide.

Dixi etiam niſi lęſus lęſorem ad pugnam prouocaſſet, aut ei omnia remiſiſſet: ſi enim ſe inuicem prouocaſſent, aut ſolus læſus læſorem, hic nihil reſtituere teneretur: nam lęſus eo ipſo, ac læſorem, prouocauit, viſus eſt iuri ſuo ceſſiſſe, iuri etiam filiorum, quatenus erant aliquid ſui, renunciaſſe.

Idem

Idem eſt, ſi lęſus læſori omnia remiſiſſet: nam filijs non fit iniuria in bonis fortunæ, niſi quatenus læduntur in parente contra eius voluntatem; ergo ſi parens ſua voluntate remittit omne damnum, nullum ius remanet filijs; pręſertim cum eos poſſit exhæredare; & quamuis non poſſet exhæredare, cum nullus hæc debita in cenſu ſuo numerare cogatur, illa poſſet pater remittere.

Si læſus nihil lęſori remiſit, nec læſorem prouocauit; tenetur læſor damna prędicta reſtituere ipſe, vel eius hæres etiam voluntarius ex bonis hęreditatis: nam hæc obnoxia ſunt reſtitutioni, & cum onere tranſeunt ad hęredes.

Dicendum eſt 2. Probabile eſſe, eum, qui alterum occidit, aut mutilat, ad nihil reſtituendum teneri pro ipſa lęſione corporali; probabilius tamen eſſe oppoſitum. Primam partem probant argumenta facta in principio, & Doctorum, qui illam tenent auctoritas. Ex antiquis refert Mag. Bañes Mag. ſent. in 4.d.15.prope finem, & Mag. Victoria. Ex recentioribus innumeri illam tenent. Qui & dicunt pactum, quod ſæpe fit inter læſorem, & læſum de aliqua pecunia recipienda pro lęſione, eſſe, vt læſus, vel eius hæredes, aut conſanguinei iuri cedant, quod habent ad petendam vltionem iniuriæ illatæ coram iudice.

Secunda pars probatur 1. Nam illud conforme eſt legi illi Exodi 21. verſ. 26. *Si percuſſerit quiſpiam oculos ſerui ſui, aut an-*

cillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit. Quæ lex licet antiquata ſit, & non ſeruetur quantum ad determinationem ſatisfactionis, ſeruanda tamen eſt, præſertim in foro animæ, aliquam ſatisfactionem pro oculo eruto faciendo.

Secundò, nã illud docent Syluester verbi *Reſtitutio*, q.2.& M.Soto lib.4.de iuſtitia, q.6.art.3.ad 3.& alij. Immo, & D.Thom. hic ad 1. dum ait: *Quando id, quod ablatum eſt, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio, qualis poſſibilis eſt: puta, cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare, vel in pecunia, vel in aliquo honore conſiderata conditione vtriuſque perſonæ ſecundum arbitrium boni viri.* M. Bañes vbi ſupra reſpondet D.Thom. intelligendum eſſe de damno conſequente. Sed hoc D. Thom. verbis aduerſatur: nam loquitur S. Doct. de eo, quod non eſt reſtituibile per aliquid æquale: damnum autem conſequens per aliquid æquale poteſt reſtitui, vt patet de expenſis, & lucro ceſſante, ac damno emergente. Reſpondet 2. D. Thõ. poſſe explicari, cum dicit, debet fieri, hoc eſt decet, vt fiat. Contra hoc tamen eſt, nam ſic concederet D. Thom. quod argumentum, cui reſpondet, intendebat, nempe quando eſt impoſſibile reſtituere in proprio genere quod ablatum eſt, nempe membrum, vel vitam, reſtitutionem non eſſe de neceſſitate ſalutis, quod tamen non concedit, nam reſtitutio tunc debet fieri in alio bonorum genere.

Ter-

Tertiò probatur ratione: Qui alterum occidit, vel mutilat, non ſolum damna ſequentia, ſed etiam læſionem ipſam intulit contra iuſtitiam commutatiuam; ergo etiam pro ipſa tenetur aliquid reſtituere. Si dicas deobligari, quia non poteſt reddere æquiualens. Contra, quia vt ait Ariſt. 5. Ethic. cap. 5. *Nummus, vt menſura, res ipſas metiendo, redigit ad æqualitatem*. Vnde Diu. Thom. q. præced. art. 4. docet numiſmata inuenta eſſe, vt ſecundum quandam proportionatam commenſurationem adæquetur paſſio actioni in commutationibus; ergo recompenſationes (quæ inter humanas commutationes numerantur) ſi aliter fieri non poſſunt, in pecunia fieri debent. Si enim ſe ipſum homo vendere poteſt, cur vſus vitæ, & membrorum non poterit recompenſari in pecunia pro ipſa læſione? Confirmatur, quia, licet iuſtitia commutatiua non inclinet, niſi ad reſtitutionem æqualis; per accidens tamen, quia æquale reddi non poteſt, inclinat ad reddendum, quod fuerit poſſibile, ſiue hoc meius fuerit, ſiue minus. Vnde ille, qui abſtulit panem extreme indigenti, ſi non habet æqualem, debet ei ex iuſtitia cibū, quem habet, reddere, ſiue ſit prætioſior, ſiue vilior. Et ſatisfactio Chriſti pro noſtris peccatis actus iuſtitiæ commutatiuæ fuit, vt nunc ſuppono, ab illoque, vt fideiuſſore noſtro exigebatur, licet eſſet excedens debitum, quia non poterat eſſe niſi maior.

Ad 1. autem factum in principio reſpondetur,

detur, leges illas, vbi ius ciuile Imperatorum admiſſum eſt, ſeruari in foro exteriori; in quo, licet multi non condemnentur, in foro tamen conſcientię ad reſtitutionem obligātur, vt patebit infra q.77.ar.1.dub.6. de his, qui emendo, aut vendendo decipiūt alios citra dimidium iuſti pretij.

Ad 2. reſpondetur negando minorem. Ad probationem dico, illum, qui punitur talionis pœna, ad nihil aliud obligari, vt ſatisfaciat Reipublicæ; vt tamen parti læſæ, ſatisfaciat, obligatum eſſe ad aliquam pecuniariam reſtitutionem, ſicut, & de fure dicitur in probatione maioris argumenti; niſi conſtet partem læſam nolle aliam ſatisfactionem præter pœnam talionis, vt communiter contingit, præſertim quando pars læſa nobilis eſt. Nobiles enim facile ſolent condonare debita hæc pecuniaria, & ea exigere, & accipere dedignantur.

Ad 3. reſpondetur negando antecedens; tenetur enim fur recompenſationem, quam poteſt, facere; ſicque ſi non poſſet pecuniam, quam abſtulit, reſtituere; poſſet tamen in aliquo honore recompenſationem facere, ad hanc teneretur.

Dubium ſecundùm. An qui virginem violauit, teneatur aliquid ei reſtituere.

Paludanus in 4. d. 15 q.2. §. *Quantum ad ſecundum* con. 2. Panormitanus in cap. Si

Si ſeduxerit, De adulterijs, & ſtupro, & alij dicunt, illum, qui virginem violauit, teneri ad recompenſandum damnum ipſi illatum dotando illam, & accipiendo eam in vxorem.

Probant ex illo Exodi 22. v. 16. *Si ſeduxerit quis virginem necdum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eã, vxorem: Si pater virginis dare noluerit, reddet, pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerunt*. Quæ lex, quamuis, vt ait Paludanus, *in quantum iudicialis modo non liget, in quantum tamen moralis ligat; maximè, quia illud ſtatutum eſt renouatum per Eccleſiam de verbo ad verbum*, *Extra de adulterijs, cap. 1.* Vbi Panormitanus inquit: *Diſpoſitio huius capituli habet locum, cum vir ſeducit, & decipit virginem:* Puta blandis verbis, pretio, promiſsionibus, vel lenocinio. Et ſtatim quærit: *Quid autem ſi non ſeduxit, ſed illa ſponte acquieuit?* Et reſpondet: *Dic quod adhuc habet locum iſtud capitulum: quia virgo ſemper præſumitur ſeducta, & decepta.*

Secundò probari poteſt: ſtuprum, ſeu violatio virginis, licet ſit peccatum luxuriæ, habet tamen duplicem iniuriam annexam, vnam quidem ex parte virginis, aliam verò ex parte patris illius, vt docet D. Thom. infra q. 154. art. 6. ad 3. vbi Caiet. §. *Ad primum* dicit, & conſenſum tam virginis, quàm patris eius non tollere hanc iniuriam: quia ſignaculum virginitatis, nec mulieris, nec patris ſubeſt libertati ad libi-

tum:

tum: vnde ſicut manus tua non poteſt de conſenſu tuo à te tolli ſine iniuria tua; & ſimiliter vxor tua non poteſt de conſenſu tuo ſine tua iniuria cognoſci ab altero: ita nec virgo etiam de conſenſu eius violari poteſt ſine iniuria eius, & patris illius, ergo pro hac iniuria tenetur tam virgini, quam eius patri ſatisfacere, eam dotando, & in vxorem accipiendo, qui eam violauit.

Dicendum tamen eſt 1. *Si virgo violata fuerit vi, aut dolo, qui eam corrupit, tenetur ipſi & patri eius reſtituere omnia damna conſequuta ex ſtupro.* Probatur damna illa per iniuriam illata ſunt; ergo debent rependi.

Si quæras quomodo? *Reſpondeo* matrimonio, vel damni æſtimatione: licet enim poſt ſententiam ad vtrumque teneatur corruptor, vt colligitur ex verbis Exodi 22. citatis in 1. arg. & ex *alijs* Deuter. 22. v. 28. ante ſententiam tamen non tenetur, niſi ad alterum.

Si puella nolit admittere matrimoniũ, tenetur corruptor damnum reparare pecunia. Hoc autem damnum duplex eſt, naturale, ſcilicet, & pecuniarium. Naturale eſt læſio ipſa corporalis virginitatis, ſeu clauſtri virginalis violatio. De quo eadem eſt difficultas, ac de damno naturali cauſato ex homicidio, aut mutilatione. Vnde ſicut probabile eſt læſionem corporalem membri, aut vitæ non eſſe reparandam pecunia; probabilius tamen eſt oppoſitum.

vt

vt diximus dubio præcedente con.2. Idem de læſione corporali virginitatis aſſerendum eſt.

Pecuniarium damnum eſt, quod ex amiſsione virginitatis patitur puella, eo quod violata maiori indiget dote, vt æquè benè, ac antea nubat: & etiam, quia æquè benè nupta amittit arras, quę non niſi virginibus dantur. Vnde corruptor ad augendam illi dotem, aut eam dotandam tenetur, vt æquè benè poſſit nubere, ac ſi non fuiſſet corrupta: ad reſtituendas etiam arras, quas perdidit, aut quanti ſpes eas habendi æſtimatur.

Si ipſa ſola ſua dote, quam habet à parentibus, æquè benè fuiſſet nupta, quia pro virgine reputata, ſeu habita nupſit; poſtea tamen maritus, deprehenſo virginitatis defectu, propter hoc eam relinquens ab eaque diſcedens peregrè proficiſcatur, aut eam aſpere nimiumque ſeuere tractet; tenetur corruptor damnum hoc pecunia reparare, ſeu compenſare.

At ſi maritus eiuſmodi defectum non comprehendit, immo exiſtimat ſe illam inueniſſe virginem, non debet quicquam neceſſario reſtitui mulieri: nam reuera etiam ſi corrupta fuerit, nihil propter hoc detrimenti accepit. Nec obſtat, ab ſtupratore conſtitutam fuiſſe in periculo non inueniendi commodas nuptias: nam inferre alteri periculum etiam vitæ, & fortunarum, non obligat ad reſtitutionem, niſi damnum re ipſa ſequatur. Ex quo non ſe-

ſequitur, puellam, quę pro defloratione ali quid acceperat, teneri ad reſtituendam illud corruptori, ſi poſtea æquè bene nupſit ſola dote, quam habet à parentibus, tradita, ac manifeſtata marito: nam cenſetur illud ea lege accepiſſe, vt in ſe ſuſciperet periculum damni, pro quo licitum eſt aliquid accipere, hocque, etiamſi damnum poſtea non obueniat, retinere.

De arris aſſerendum eſt, ſi vera eſſet ſententia multorum affirmantium arras dari in præmium virginitatis ſponſę, ac proinde ſponſam, quæ creditur virgo ab ſponſo, cum tamen virgo non ſit, teneri eas reſtituere; conſequenter etiam corruptor hoc damnum compenſare teneretur. Hæc tamen ſententia certa non eſt, oppoſitamque tenet P. Sanchez de matrimonio lib. 6. diſp. 27. num. 4. qu. 1. aſſerens, arras minimè dari in virginitatis prẹmium, nec reſtituendas eſſe ab ea, quę verè virgo non eſt, ſi à marito virgo crederetur.

In Regno Valentiæ maior eſt difficultas: Valerus enim in differentijs vtriuſque iuris verbo Matrimonium, differentia 12. putat licet in alijs regnis arræ dentur à viro in compenſationem dotis à muliere receptæ; in Regno tamen Valentiæ, vbi prædictę arrę dicuntur vulgari ſermone, *el eſcreix*, id eſt augmentum dotis, quod percipit vxor mortuo viro, & vtitur eius vſufructu, dari in præmium virginitatis; ſicque ſi ſponſa virgo non ſit, in foro conſcientiæ non deberi à viro, nec fœminam poſſe eas tuta conſci en-

ſcientia percipere, ſiue vir id deprehendat, ſiue non deprehendat.

Mihi tamen ſatis probabile videtur etiã in hoc Regno Valentino arras non dari in præmium ſolius virginitatis, ſed etiam in compenſationem dotis à muliere receptæ, ſicque non teneri prædictam fœminam, quæ virgo creditur à marito, etiam ſi verè virgo non ſit, ad reſtituendas arras, vel dotis augmentum; ac per conſequens ſtupratorem non teneri ad reficiendas mulieri arras.

Probatur 1. quia nullo huius Regni iure conſtat, arras dari in ſolius virginitatis premium; licet enim leges huius Regni ſtatuant: *Creix deu eſſer conſtituit a la muller donzella*: non tamen decernunt, conſtituendum non eſſe omni non virgini, ſed ſoli viduæ. *A viuda que prenga marit, no ſia fet creix, e ſi fet ſerà, no valla*, lib. 5. de Arris, & ſponſalibus foro 3. Vnde ſi mulier caſu, & inculpabiliter virginitatem amiſiſſet, cornu ſcilicet tauri eam impetentis, aut baculo in genitalibus eius, dum caderet in fixo, non teneretur à petitione augmenti dotis abſtinere, nec eam iure hoc petendi leges huius Regni priuare voluerunt. Immo videtur, ſi maritus non virgini cognitæ conſtituiſſet augmentum dotis, validam eſſe huiuſmodi donationem, & mortuo marito poſſe huiuſmodi vxorem augmentum dotis petere: nam iura huius Regni ſolum prohibent, & irritant donationem aug-

augmenti dotis factam viduæ, vt patet ex verbis relatis.

Secundò, quia etiam in hoc Regno dantur arræ, *creix* appellatę, ſeu dotis augmentum in compenſationem, remuneratione, & præmium dotis illatę ab vxore; ſtatuitur enim legibus illius, conſtituendum eſſe à viro augmentũ dotis vxori: *En tant quant es la mitat del dot que aquella li aura constituit*. Vide Tit. 12. Summarii Taraconæ; ergo ſicut in aliis regnis, quia dantur arrę in compenſationem dotis a muliere receptæ, mulier non tenetur eas reſtituere, etiam ſi quando nupta fuit, virgo non erat, idem erit in noſtro regno Valẽtino. Si dicas verbis relatis ſolum determinare quantitatem augmenti dotis debiti pro virginitate iuxta quantitatem dotis receptæ. Contra hoc eſt: Tum, quia non eſſet æqua talis quantitatis determinatio, plus enim daretur pro virginitate mulieris ignobilis multum dotis habentis, quam pro virginitate nobiliſſimæ domicellæ parum dotis habentis, quod ab æquitate alienum videtur. Vnde, ſi ſola virginitas cauſa eſſet cõſtitutionis augmenti dotis, certa debuiſſet quantitas deſignari pro omnibus virginibus. Tum etiã, quia ſi mulier dotem non adducit, non conſtituitur ei dotis augmentum, quantumcumque ſit virgo, quod & nomen ipſum indicat, *el creix* enim, ſeu dotis augmentum dotem eſſe ſupponit: at conſtituendum eſſet, ſi propter ſolam virginitatem conſtitue-

rueretur; ergo non propter hanc ſolam, ſed etiam in remunerationem dotis allatæ conſtituitur.

Tertiò, quia etiam in hoc Regno, ſicut, & in aliis, dotis augmentum conſtituitur ob alias cauſas: nempe in pręmium pudicitiæ, quam viro proſtituit vxor: & vt vxor ditior ſit ad ſuſtinendam vidualem vitam, in qua præſumitur fore, vt permaneat: ergo ſicut, quia ob has cauſas. & ob ſolam virginitatem, in aliis Regnis conſeruntur arræ, probabile eſt, non teneri in foro conſcientiæ mulierem ad reſtituendas arras, etiam ſi quando deſponſata fuit, virgo non erat, ſed ſolum pro virgine habita à marito: probabile id etiam erit in noſtro Regno Valentino. Quælibet enim harum cauſarum ſufficiens eſt ad conſtitutionem augmenti dotis, ſicque licet vna deficiat nempe virginitas, ſi aliæ remaneāt, valida erit conſtitutio augmenti dotis: nam vt ceſſante cauſa ceſset effectus oportet omnes cauſas ceſsare, vt Baldus l. 2. §. fin. ff. De donat. aſserit.

Nec obſtat ſtylus tabellionum in cōtractu arrarum apponentium, arras conſtitui propter virginitatem. Ad hoc enim Sanchez, vbi ſupra iam reſpondet, eam clauſulam ex errore tabellionum apponi. Dic etiam, hoc ſolum denotare, arras conſtitui propter virginitatem; non tamen propter illam ſolam: nam quamuis ſola hæc exprimatur, dum tamen aliæ cauſæ non excluduntur, propter omnes conſtitui cenſendum eſt.

Hæc

Hæc de arris dicta ſufficiant, vt iudiciũ ferri poſſit, an eas teneatur reſtituere corruptor puellæ, quę matrimonium cum illo noluit admittere, ſed alteri nupſit. Videamus modo ad quid teneatur, ſi puella velit matrimonium.

Quidam dicunt corruptorem teneri ad ducendam eam in vxorem, etiam ſi matrimonium ei non promiſiſſet; quia aliter non reſtauratur honor virginis. Alii cum Nauarro c. 16. num. 17. aſſerunt, non teneri ad hoc ante iudicis ſententiam, ſed ſufficere in foro conſcientię damni illati compenſationem preſtare; quia ſi abeſt promiſſio, ſufficienter compenſatur iniuria, & vis illata damni illati reparatione. Additque Nauarrus, non obligari ad eam omnino dotandam: vnde ſufficit, vt det ei, quod ſpes nuptiarum valebat, nam in hoc ſolum eſt damnificata.

Si corruptor ei matrimonium promiſiſſet etiam ficte, promiſſio implenda eſſet; niſi in quibuſdam caſibus. Primus, ſi ipſe eſſet nobilior, vel opulentior: nam vt ait D. Tho. in 4. d. 28. quæſt. 1. artic. 2. ad 4. *Tenetur eam ducere in vxorem, ſi ſint æqualis conditionis, vel ſi ſponſa ſit melioris conditionis*. Ergo ſi ſponſus ſit melioris conditionis, non tenetur eam ducere, quod, & inferius expreſſius ſubdit S. Doctor. Limitant hoc Sanch. lib. 1. de Matrim. diſp. 14. num. 2. & alii ad ficte promittentem: ſi enim vere, & ex animo promitteret, promiſſionem teneretur implere, etiamſi nobilior.

bilior, vel opulentior eſſet; niſi forte ſcandalum magnum ex eo matrimonio probabiliter timeretur.

Sed D. Tho. ſine hac limitatione loqui videtur. Abſque illa etiam ait Nauarrus cap. 16. num. 18. *Si promittit ſe ducturum eam, ſiue promittat ex animo vero, ſiue ad decipiendam eam ficto, obligatur ad explenda promiſſa, &c. niſi eſſent valde inaquales, &c.* Præterea promittens tale matrimonium, quod multum excedit conditionem virginis, & damnum illi illatum, licet non fictè ſed ex animo vero promittat; non tamen liberalitate, ſed paſſione ductus, & adimpletio talis promiſſionis prodigalitas videtur; ergo non tenetur adimplere, cum prodigalitas ſit peccatum, & quando promittitur aliquid multum excedens non ex liberalitate, ſed ex paſſione, non ſit neceſſario adimplendum, vt patet in re exceſſiui valoris promiſſa meretrici pro actu turpi, de quo vide, quæ dicemus artic. 5. dub. 3. con. 2.

Secundus caſus eſt, ſi facile deprehendi poterat ipſum non ſincere agere, ſed fictè promittere, nam vt loco citato ait: Diu. Thom. *Ad hoc* (ſcilicet ducendam eam in vxorem) *etiam non tenetur, vt quidam dicunt, ſi ſponſus ſit multo melioris conditionis, aut aliquod ſignum euidens fraudis fuerit: quia præſumi probabiliter poteſt, quod ſponſa non fuerit decepta, ſed decipi ſe finxerit*. Imò in hoc caſu aſſerunt quidam cum Syluestro verb. *Matrimonium* 4. q. 8. nullam mulieri

violatæ faciendam eſse reſtitutionem, niſi fortè ex quadam ęquitate.

Tertius ęſt, ſi aliquod impedimentum legitimũ interuenerit, vt ſi fiat eius affinis, ſi ducat aliam per verba de preſenti, ſi ſacros ordines ſuſcipiat, ſi graue aliquod dam num, vel ſcandalum ex tali matrimonio ſequeretur, ſi pater nolit eam dare.

Quartus eſt, ſi illa poſtea cũ alio fornicetur: hæc enim conditio in promiſſione imbibitur.

Quintus, ſi putans eſse virginem, promiſit nuptias, & poſtea deprehendit non eſse virginem. Sed de his latius in materia de matrimonio.

Quæ diximus de eo, qui vi, aut dolo virginem corrupit, dicendum etiam eſse quidam, & bene affirmant de illo, qui extraordinariis diligentiis ſolicitans virginem, eique nimium moleſtus exiſtens, facit ſuccumbere, ac conſentire: nam reſpectu fœminę huiuſmodi ſolicitationes reputantur pro violentia.

Dicendum eſt 2. ſi virgo virum induxit, vt eam violaret, vel libens, & abſque violentia in ſtuprum conſenſit, verbis, & blanditiis amatoriis ſimplicibus, communibus, & ordinariis inducta, ad nihil reſtituendũ tenetur, qui eam corrupit. Docent hoc M. Soto lib. 4. de Iuſtitia q. 7. art. 1. ad 2. & communiter diſcipuli D. Th. Probant ex illa regula iuris, quæ eſt 27. in 6. *Scienti, & conſentienti non fit iniuria* Et quamuis teneamus virginem non eſse dominam ſuę integri-

gri-

gritatis, eo tamen ipſo ac libere conſentit in ſtuprum, videtur cedere iuri ſuo, quod habet, vt ſibi fiat reſtitutio, non ſecus ac qui conſentit, vt ſibi abſcindatur manus; ergo ſicut huic nihil eſt reſtituendum, ita nec virgini prędictæ.

Dicunt etiam multi, mulierem eſse dominam vſus membri fæminei, ſicut & aliorum, & ſi amittat ſuam virginitatem volens, nec ipſam, nec eius corruptorem peccare contra iuſtitiam, ſed contra caſtitatem; ſicque ſicut ipſa, quæ eſt cauſa principalis ſuæ corruptionis, non tenetur aliquid patri aut alteri reſtituere: ita nec ſtuprator, qui eſt cauſa minus principalis.

Intelligenda eſt autem concluſio per ſe loquendo: nam aliquando tenetur ei violator reſtituere aliquid: nempe ſi virgo ipſa eſset pauper, & qui eam vitiauit diues, tũc enim præſumendum eſt, pactum aliquod implicitum interueniſse, conſenſiſseque virginem, quia ſperabat à diuite aliquid pro dote, aut parte dotis.

Ad 1. vero factum in principio reſpondetur cum Syluest. ver. *Luxuria*, q. 5. legem illam, & etiam Panorm. doctrinam intelligendam eſse, non in foro conſcientiæ (vt vult Sum. Ang.) ſed in foro contentioſo, ſcilicet ſi quis fuerit condemnatus: quia ad pœnas legis nullus tenetur, niſi cõdemnatus. Intelligenda etiam eſt lex illa, quando per vim, & fraudem virgo corrũpitur, non quando ipſa ſponte conſentit in ſtuprum; nec eſt verum, quando virgo

ſponte acquieuit, preſumi ſeductam, vt ait Panormitanus; niſi forte in foro externo, & contentioſo.

Ad 2 Mag. Soto in 4. d. 18. q. 2. art. 4. §. *De ſimplici vero ſtupro*; & alii negant antecedens: aſſerunt enim ſtuprum ſolum addere ſimplici fornicationi iniuriam mutātem ſpeciem, quando infertur virgini inuitæ; nam cum hæc ius habeat ſuam integritatem conſeruandi; iniuria peculiaris ipſa fit contra iuſtitiam, quando ipſa inuita violatur. At ſi ipſa conſentiat, nulla eſt in ſtupro iniuria, aut circumſtantia mutans ſpeciem: ſicut nec cum maſculus virginitatem ſuam amittit: nam puella eſt domina ſui corporis in illo vſu ſicuti puer. Ex quo inferunt fœminam cũ viro copulam habentem nunquam admittere propriè diſtinctum peccatum ſtupri: ſi enim non conſentit, non peccat, ſi conſentit, non eſt ſtuprum. Hincque vlterius inferunt, non eſſe virginitatis iacturam neceſſario ei exprimendam in cōfeſſione tanquam circumſtantiam, quæ mutet ſpeciem: *Et ideo non debet confeſſarius, tantum pudefacere puellas interrogando, an ſint virgines, vel corruptæ*, inquit M. Soto. Sed admiſſo antecedente, de quo infra q. 154. art. 6. reſpondetur negando conſequentiam: nam, vt diximus con. 2. eo ipſo, ac virgo libere conſentit in ſtuprum, videtur cedere iuri ſuo, quod habet, vt ſibi fiat reſtitutio: non ſecus, ac qui conſentit, vt ſibi abſcindatur manus: vnde ſicut, qui amputat manum alicui, qui dedit

dedit ei facultatem id faciendi, etiam ſi peccet, nihil tenetur reſtituere: ita & qui virginem volentem violat.

Dubium 3. An qui famam abſtulit, teneatur eius reſtitutionem facere

PArs negans probatur 1. Quandoque fama nequit reſtitui, niſi cum periculo propriæ vitæ: ſed cum hoc periculo nullus tenetur famam ablatam reſtituere ergo nõ ſemper qui famam abſtulit tenetur eius reſtitutionem facere.

Secundò, ſæpè contingit, vt fama non poſſit reſtitui in proprio genere: at nullus tenetur eam reſtituere in alio bonorum genere; ergo non ſemper debet eius reſtitutio fieri ab illo, qui eam abſtulit. Minor probatur, iuſtitia, cuius actus eſt reſtitutio, æqualitatem poſtulat, ita vt id ipſum, quod ablatum eſt, vel æquiualens reſtituatur: at pro fama nequit reddi æquiualens, etiam ſi totius orbis aurum reddatur, cum melius ſit nomen bonum, quam diuitiæ multæ; ergo nullus eam reſtituere tenetur in alio bonorum genere.

Dicendum tamen eſt 1. Qui famam abſtulit iuſte, ad eius reſtitutionem non teneri. Docet hoc D. Th. hic ad 2. dicens: *Quod aliquis poteſt alicui famam tripliciter auferre. Vno modo verum dicendo, & iuſte, puta cum aliquis crimen alicuius prodit ordine debito ſeruato, & tunc non tenetur ad reſtitu-*

 tio-

tionem famæ. Patet hoc in iudice damnante reum legitimè, in teſtibus deponentibus iuridicè, & in reuelante alterius crimen pro vitando damno proprio, vel proximi, aut ſeruato ordine correctionis fraternæ; nullus enim horum tenetur ad reſtitutionem famæ.

Dicendum eſt 2. Qui famam abſtulit falſum dicendo, & iniuſtè, ad eius reſtitutionem teneri. Docet hoc etiam D. Tho. ibidem ſubdens: *Alio modo falſum dicendo, & iniuſtè, & tunc tenetur reſtituere famam*.

Quod preterea probatur: fama præſtat diuitijs, iuxta illud Prouerb. 22. v. 1. *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ*. Ergo, ſicut, qui iniuſtè pecuniam abſtulit, tenetur eam reſtituere, ita & multo magis, qui famam abſtulit iniuſtè.

Addunt communiter Doctores, teneri etiam ad reſtituenda omnia damna ex infamia ſequuta: nam hæc intulit contra iuſtitiam. Vnde, qui infamat adulterii aliquem, propter hoc ille priuatur officio, vel beneficio, quod obtinebat, vel ambiebat, illi reſtituere tenetur infamator tantũdem, quanti officium, vel beneficium valet, ſi illud obtinebat: ſi verò adhuc non obtinebat, quanti ſpes illa obtinendi valebat.

Aduertit autẽ M. Soto l. 4. de iuſtitia, q. 6. a. 3. ad 4. *Vt obligatio reſtitutionis famæ oriatur, requiritur, vt verè fuerit ablata, vel obſcurata*. Vt dãna etiã reſtituenda ſint, requiritur, vt verè fuerint ſequuta. Alias enim nihil tene-

bi-

bitur homo reſtituere, quantumcumque iſta procurauerit: nam tametſi quis conetur detrimentum proximo inferre, ſi non infert, non obligatur ad reſtitutionem, quamuis grauiter peccet. Vnde, qui ſcit ſibi non eſſe adhibitam fidem, cum proximum infamare nitebatur: & qui falſum crimen imponit viro alias infami in illo genere peccati, vt meretrici lenonem admiſiſſe, aut vſurario publico pecuniam dediſſe ad vſuram, & qui de alio dicit peccatũ, de quo ipſe non dedignatur, vt de viro ſæculari, ac milite interfeciſſe aliquem, à quo fuerat laceſſitus, aut virginem ſtupraſſe, nihil tenetur reſtituere: quia nec fama eſt reuera ablata, nec damna ſunt aliqua ſequuta.

Notat etiam idem M Soto ibidem: *Ad hæc requiritur quod, qui læſus eſt, non alia via famam recuperauerit*. Si enim recuperauit, aut quia infamatus oſtendit ſuam innocentiam, aut quia poſt longum tempus nullus de eius infamia recordatur, aut alia via, nihil tenetur infamator reſtituere, ſicut nec fur, quando alter, quod ſibi fuerat ablatum, recuperauit.

Alij denique requiri aſſerunt, vt infamatus non fecerit famæ, aut damnorum reſtitutionis condonationem: ſi enim eum fecerit gratis, aut pretio accepto, ad nihil reſtituendum tenebitur infamator.

Quomodo autem fama ſic ablata ſit reſtituenda, explicat D. Tho. immediatè poſt verba citata pro concluſione ſubdens: *Cõ-*

ſitendo ſe falſum dixiſſe. M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 6. art. 3. ad 4. loquens de eô, qui falſum dicendo iniuſtè famam abſtulit, inquit: *Non faciet idoneam ſatisfactionem antequam aſſerat, ſe eſſe mentitum*. Exiſtimo tamen neque D. Thom. loquutum fuiſſe de falſitate formali, nec M. Soto de mendacio habente perfectam rationem mendacii. Aſſerit enim D. Thom. infra q. 110. artic. 1. *Ratio mendacij ſumitur à formali falſitate ſecundum hoc, ſcilicet quod aliquis habet voluntatem falſum enuntiandi. Vnde, & mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur. Et ideo ſi quis falſum enuntiet credens id eſſe verum, eſt quidem falſum materialiter, ſed non formaliter: quia falſitas eſt præter intentionem dicentis. Vnde non habet perfectam rationem mendacij*. Ad reſtitutionem autem famæ non requiritur confeſſio voluntatis falſum annunciandi, ſicut nec odii, ſi fortè ex illo falſum dicendo, quis famam iniuſtè abſtuliſſet; ſed ſatis eſt, vt conſtet, quod dixit infamator, falſum eſſe materialiter: ſi enim hoc conſtiterit, mala opinio de proximo ceſſabit, ſicque fama eius reſtituetur. Vnde optimè poteſt infamator ſine detrimento propriæ famę reſtituere famam, quam iniuſtè abſtulit. Infamia enim non reſultat niſi ex falſitate formali, & mendacio perfectam rationem mendacij habente, cum conſtet viros probos, ac nobiles ſæpe multa falſa materialiter dicere, vera eſſe exiſtimantes, ex quo, nec minimam infamiæ labem contrahunt, cum ſe deceptos

ptos aſſerunt, ſeque retractant, & falſum eſſe quod dixerunt aſſerunt. Hęc tamen eſt differentia inter hos, & iniuſtos infamatores: qui enim ſcienter falſum dixerunt, cum famam reſtituunt, dicere non poſſunt, ſicut alij, ipſos exiſtimaſſe verum eſſe, nam hoc nouum eſset mendacium. At dicere poſsunt ſe fuiſse deceptos, quia peccatum ipſum deceptio quædam eſt, qua præponitur bonum apparens, & commutabile bono verò, ac incommutabili. Vnde ſi quis diceret, deceptus hoc, vel hoc dixi de tali, modo tamen falſum eſse mihi conſtat, ſicque falſum me dixiſse fateor: & ſuam infamiam vitaret, & alterius famam ſufficienter reſtitueret.

Hinc colligitur non eſse verum, quod nonnulli recentiores dicunt, perſonas maximè auctoritatis, quales ſunt Epiſcopi, Prælati, & Comites, non teneri ad reſtituendam famam modo aſſignato a D. Th. nempè, *Confitendo ſe falſum dixiſſe*: nam hoc eſset in magnum detrimentum honoris ſui. Si ita eſset, benè: communis enim doctrina Theologorũ eſt, virum illuſtrem, ſi plebeij famam reſtituendo grauem ſui honoris iacturam, aut ſui ſtatus amiſſionem incurreret, à tali reſtitutione excuſari, & irrationabiliter plebeium hominem, velle ſibi fieri reſtitutionem famæ cum tãto proximi detrimento excedente damnum, quod intulerat. Non tamen ita eſse ex dictis conſtat: dum enim non conſtat falſum dixiſse formaliter, animo ſcilicet

falſum annunciandi, infamia non incurritur, cum ſæpe homines probi, ac nobiles fallantur, & ſic decepti falſa multa dicant, & poſtea confiteantur abſque vlla infamiæ labe, ſe fuiſse deceptos, ſicque falsũ dixiſse.

Obſeruandum tamen eſse hoc documẽtum docet M. Soto vbi ſupra. *Iureiarando ſi opus fuerit, adhibitiſque inſuper teſtibus, monſtrare te debes falſum dixiſſe: vt qui tua culpa fuerat infamia reſperſus, tua quoque diligentia repurgatus euadat.* Hoc inquit Nauarrus cap. 18. num. 45. *Durum videtur nobis putantibus ſatis eſſe iurare, ſi aliàs ei non crederetur.* Si iurare ſufficeret, vt illi, apud quos frater infamatus eſt, crederent falſum eſse, quod infamator dixerat, abſque dubio ſatis eſset iurare: ſicut, & ſatis eſset abſque iuramento confiteri, ſe falſum dixiſse, ſi hoc ſufficeret, vt crederent falſum eſse. At ſi præterea ad hoc opus eſset teſtes adhibere, adhibendos eſse exiſtimo, præſertim ſi id ſine magno incommodo fieri poſset: quia iuſtitia obligat eum, qui famam abſtulit alicui, illum ab infamia liberare, ſi abſque magno incommodo poteſt.

Dicendum eſt 3. Qui iniuſtè verum dicendo famam abſtulit, etiam teneri ad eius reſtitutionem. Docet hoc D. Thom. ibidem dicens: *Tertio modo* (poteſt ſcilicet aliquis alteri famam auferre) *Verum dicendo, ſed iniuſtè: puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad reſtitutionem famæ quantum poteſt, ſine mendacio tamen.*

Quod

Quod prętere a probatur: Ille, cuius peccatum eſt occultum, adhuc retinet poſſeſſionem ſuæ famæ; ergo, qui hanc illi aufert prodendo peccatum, contra ordinem debitum, contra iuſtitiam peccat, ſicque ad reſtitutionem famæ tenetur, ſicut ad reſtitutionem cuiuſlibet rei ſubtractæ. Si peccatum ſit omnino occultum, manifeſtum eſt illud reuelare eſſe contra iuſtitiam, cuius violatio ad reſtitutionem obligat, etiam ſi in iudicio reueletur, denuntiatione, vel accuſatione: nam cum ex tali reuelatione nihil ſequi poſſit aliud, quam infamia, nulli ius eſſe poteſt illud patefaciendi. Si verò aliquid ſit notorium nempe notorietate iuris, quia per teſtes in iudicio probari poteſt, dicunt nonnulli illud manifeſtare in iudicio eſſe contra charitatem, non tamen contra iuſtitiam: quia committens peccatum, quod in iudicio probari poteſt, licet maneat illud occultum, iam non habet ius ad ſuam famam: ſicque reuelans illud in iudicio non tenetur ad reſtitutionem famæ. Hoc mihi non placet; alias enim, qui tale peccatum probabile in iudicio occultum reuelaret extra iudicium per detractionem, non peccaret contra iuſtitiam famam auferendo: nam qui aufert alicui id, ad quod non habet ius, non peccat contra iuſtitiam, ſiue illud auferat in iudicio, ſiue extra iudicium: conſequens eſt falſum, & contra D. Thom. infra q. 73. art 2 ergo, &c. Vnde aſſerendum eſt, quotieſcunque verum dicendo, ac crimen oc-

cultum etiam probabile in iudicio prodendo, fama alicuius auſertur iniuſtè, hoc eſt abſque iuſta, ac legitima cauſa, aut ſuccurrendi ſcilicet bono communi, quod periclitatur, aut defendendi innocentem, ac liberandi hominem ab iniuſto damno imminenti, aut proſequendi apud iudicem propriam iniuriam, peccari mortaliter, non ſolum contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, ſicque obligationem reſtituendi famam incurri.

Quomodo autem fama ſic ablata reſtituenda ſit, hic labor eſt. Primus modus eam reſtituendi eſt, quem D. Thom. hic aſſignat: *Vtpote quod dicat ſe malum dixiſſe; vel quod iniuſtè diffamauit*. De quo dici ſolet, apud ſimplices ſępe vtilem eſſe, & vſurpandum; apud peritos tamen inſtructos, & ingenioſos non ſufficere: nec illum, vt vnicum, & ſemper ſufficientem adduxiſſe D. Thom. ſed quaſi exemplum eius quod dixerat, debere famam reſtitui ſine mendacio tamen.

Secundus eſt Caietani hic §. *In eadem*, quem ſequuntur M. Soto lib. 4. de Iuſtitia q. 6. ar. 3 ad 4. Nauarrus cap. 18. n. 45. & alii, nempe: *Tacendo de priori dicto, laudare (cum veritate tamen) perſonam illam pluries aperiendo, quod credit eſſe virum bonum, & dare operam ad hoc, quod ſic habeatur ab illis. Et hoc ita cautè, ne videatur hoc facere pro reſtitutione, quia hoc eſſet infamię confirmatio*. De hoc etiam aſſerendum eſt, ſi ſic ſenſim ex vna parte tantundem famam illuſtraret, quan-

tum

tum ex altera obſcurauit, & ita infamiam deleret, ſufficere.

Tertius eſt, quem tradit M. Bañes hic dubio 8. con 3.& multi recentiores ſequũtur, vt dicat apertè ſe mentitum eſſe, & cum neſciret tale delictum de fratre, illum infamaſſe. Quod verè dici poſſe colligitur ex D.Thom.1 p.q.17.art.1. dicente: *Ipſa peccata falſitates, & mendacia dicuntur in Scriptis ſecundum illud Pſalm. 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*. Cum autem, qui crimen alterius occultum reuelando illum infamat, abſque dubio peccet, verè dicere poteſt ſe fuiſſe mentitum: quia licet ſpeculatiuè non fuerit mentitus; practicè tamen mendacium dixit, eo ipſo, ac crimen occultum reuelando peccatum commiſit. Similiter verè poſſe dicere fratrem infamaſſe, cum neſciret delictum, quo de illo dixit, inde colligitur: nam licet illud delictum ſciret; non tamen ad reuelandum aliis; vnde ſicut Chriſtus Matt.13. v.32. verè dixit: *De die illo nemo ſcit, neque Filius*, nempe ad reuelandum aliis: ita verè dici poſſunt prædicta. Sed quamuis hęc verè dici poſſint in ſenſu prædicto, ad hunc tamen modum reſtituendi famam neminem, qui verum dixit, ego obligarem, immo, nec vlli illum ſuaderem: fit enim verbis, quibus iudicabitur mendax, & falſi criminis impoſtor, quod maxima inſamia eſt. Si infamia, quam hoc modo reſtituens incurrit, maior ſit ea, quam ipſe cauſauit in fratre, delictum eius occultum

reuelando,concedunt prædicti auctores nõ eſſe hunc modum obligatorium. Sed quãuis non ſit maior, obligatorium non eſſe ego exiſtimo: nam reſtitutio famæ non ſit infamia, aut manifeſtatione peccati infamatoris, ſed falſitatis rei. Si ergo poteſt falſitas rei manifeſtari abſque infamia, aut manifeſtatione peccati infamatoris, cur hunc ad manifeſtationem ſui peccati, aut ad ſe infamandum obligabimus?

Quartus ergo modus eſt. vt dicat: quando tale delictum de tali dixi, illud verum exiſtimabam, ſed poſtea adhibita diligentia inueni me falſum dixiſſe. Hic modus reſtituendi famam ſuauior: & conuenientior mihi videtur: eſt enim non minus efficax, quã præcedens, & non minus verus, & qui illo vtitur nõ ſe infamat. Nõ ſe infamare patet cum nulla ſit infamia, dicere de aliquo aliquid falſum, exiſtimando inculpabiliter verum eſſe. Non minus verum eſſe etiam conſtat, nam verum eſt, quando tale delictum dixit, exiſtimaſſe verum eſſe, verum eſt etiam, poſtea inueniſſe ſe falſum dixiſſe, nam inuenit ſe illud dicendo peccaſſe, peccata autem falſitates dicuntur in Scripturis, vt diximus cum D. Thom. tertium modum explicantes. Non eſſe denique minus efficacem, probatur: nam quãuis id non poſſit dicere, qui falſum crimen fratri impoſuit ſciens falſum eſſe; dicere tamen poteſt, qui falſum dixit, ſolum materialiter verum eſſe exiſtimans. Vnde, ſicut, qui putans verum eſſe, quod dixit

com-

comperiens falſum eſſe, ſufficienter, & efficaciter prædicto modo famam reſtitueret, etiam ſi non diceret,ſe illud dixiſſe ex odio, aut propter vindictam, vt reuera dixerat: ita qui verum dicendo, ſed iniuſte famam abſtulit, ſufficienter, & efficaciter prædicto modo famam reſtituit,etiamſi ſuum peccatum non manifeſtet. Quod ſi illi apud quos reſtituit,credunt non falſum, ſed verum dixiſſe, temere,& abſque fundamento id iudicabunt, cum id dici poſſit ab eo, qui reuera falſum dixit putans verum eſſe. Hunc præterea modum reſtituendi famam colligo ex Diu. Thom. in 4. diſtinct. 15. quæſtione prima articul. 5. quæſtiiuncula 2. ad 1. vbi de eo, qui verum dicendo infamauit alium,loquens ait, cum reſtituit famã, *Se verum dixiſſe dicat*. Quod intelligendum eſt, non quidem in re, nam ſic magis infamiam confirmaret, ſed ſecundum ſuam exiſtimationem, quia ſcilicet exiſtimabat verum eſſe quod dixit. Quod etiam hic aſſerit S. Doct. *Dicat ſe malum dixiſſe, vel quod iniuſtè eum diffammauit*; intelligendum eſse exiſtimo de maledicentia, & iniuſta diffamatione, non formaliter (alias enim famam ſic reſtituens ſe ipſum infamaret, ad quod non tenetur; cum abſque ſui infamia poſſit famam proximi reſtituere) ſed materialiter, vt de falſitate diximus con præcedente. ita vt eodem modo malum ſe dixiſſe, vel iniuſtè diffamaſſe aperiat,quo qui id ignoranter feciſſet. Poſſe enim id aſſerere inde conſtat,
quod

quod omnis peccans eſt ignorans, & peccata in Scriptura ſacra, præſertim Pſal. 24. v.7. ignorantia appellantur.

Hoc hic aduerte: illum, qui ignorantia inuincibili putans publicum eſſe crimen alicuius illud refert, cum aduertit non ita eſſe, teneri damnum illud infamiæ prędicto modo reparare. At ſi poſt quam aliquis iniquè proximum infamauit, ipſe proximus alias publicè infamaretur de crimine, non tenetur prior infamator reſtituere famam illius, ſed ea damna dumtaxat, quæ infamatus paſſus eſt ob infamiam antequam alias infamaretur.

Si queras, an qui iniquè verum crimen reuelando fratrem infamauit, teneatur ad reſtituendum illi in integrum omnia damna, ſicut tenetur, qui falſum crimen imponendo illum infamauit? M. Soto vbi ſupra inquit: *Tenetur ei de damno dato. Non tamen in integrum, ac ſi per mendacium eum diffamaſſet, ſed ad arbitrium ſapientum prudentūque virorum.* Cuius ratio eſt: quia cauſa pręcipua illorum damnorum non eſt reuelatio criminis illius (hæc enim ſolum eſt cauſa ſine qua non) ſed crimen illud reuelatum. Aliis cum Nauarro vbi ſupra videtur, teneri ad reſtituendum in integrum: quia damna non ſequuntur formaliter, & directè ex crimine, ſed ex ſiniſtra opinione, quam infamator in animis audientium generat; alias ſi nullum eſſet crimen, nulla damna ſequerentur, ſicque non ſequerentur quando falſum crimen imponitur,

quod

quod aperte falſum eſt. Conſtat etiam crimen non nocere ſeu damna inferre, quamdiu ignoratur, & de illo, qui illud commiſit, habetur optima opinio.

Si quæras 2. an infamator teneatur proximo reſtituere famam, quando ex nimia diuturnitate temporis, aut alia via eſt infamia obliuioni tradita? Reſpondetur: ſi cõſtat auditores eſſe infamię omnino oblitos, ita vt non ſint amplius eius recordaturi, non teneri infamatorem ad famæ reſtitutionem, vt docent S. Antonin. 2. p. tit. 2. c. 2. §. 3. & Syluest. verbo, *Detractio*, q. 4. ſi tamen auditores, licet actu infamiæ non recordentur; facile tamen recordari poſsũt, & recordaturos timetur, ad famæ reſtitutionem teneri, vt docet Caiet. hic. §. *Ad ſecundum dubium*. Aſſerit tamen Nauarrus c. 18. n. 47. ſufficere, vt infamator, quærat, ab eo, cui crimen proximi retulerat, an recordetur alicuius delicti, quod ipſi de fratre illo dixerat. Si reſpondeat negatiuè, ei dicat, nihilominus ſi forte aliquid dixi, me falſum dixiſſe puta.

Si quæras tertio, an teneatur infamator famam reſtituere apud eos, quibus ipſe nõ dixit crimen fratris, ſed alii, qui ab ipſo acceperunt? Reſpondetur: ſi aduertit periculum vlterioris infamiæ, ſi illi, quibus dixit, non reſtituant, teneri ad reſtitutionem famæ apud eos, quibus ipſe non dixit: nam fuit cauſa infamiæ. Si tamen illi, quibus dixit, ſilentium promiſerunt, aut putauit omnino rem tacitam fore, ſolum tenetur

apud

apud eos, quibus, dixit reſtituere; quia infamia per eos irrogata cenſetur quaſi fortuita reſpectu ipſius.

Ad 1. verò factum in principio reſpondetur: de eius minore duas eſſe DD. ſententias. Quidam cum M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 6. art. 3. ad 4. affirmant, tam grauem poſſe eſſe infamiam, vt etiam cum detrimento propriæ vitæ, ſi aliter non poteſt, teneatur homo damnum, quod infama intulit, reſarcire ſe ipſum retractando. Vt ſi de crimine hæreſis, aut læſæ maieſtatis illuſtrem aliquam familiam infamaret: aut ſi infamia, quam impoſuit, cauſa eſſet, vt innocens occideretur. Quod enim in reſtitutione attenditur, non eſt, an bonum, quod exponitur ad ſatisfaciendum pro bono, quo expoliatus eſt frater iniuſte, ſit ſuperioris ordinis, vel non: ſed an excedat plurimum iudicio prudentum, vel ſit æquale, aut minus: nam hoc exigitur ad ęqualitatem, quam intendit reſtitutio. Fama autem, & dignitas illuſtris familiæ, & proſapiæ iudicio prudentum præſtat, eſtque maius bonum vita huius, vel illius priuati hominis; ſicque eam tenetur hic reſtituere cum periculo vitæ, ſi non poſſit ſe in loco tuto conſtituere. Alii cum Caietano hic a. 6. circa reſponſionem ſecundi, & Opuſc. 31. Reſp. 14. id negant: nullus enim tenetur rem inferioris ordinis reſtituere cũ detrimento rei ſuperioris ordinis: nam non tenetur homo temporale aliquid reſtituere cum damno alicuius ſpiritualis, nec

tene-

tenetur vendere ſe ipſum, vt reſtituat pecuniam, quam furatus eſt, nec mulier adultera tenetur ad reuelandum crimen, & infamandum ſe, ne vir eius inſtituat hæredem, quem ipſa ex adulterio concepit, vt colligitur ex cap. *Officij*. De Pœnit. eſt remiſ. At vita ſuperioris ordinis eſt reſpectu famę, ſicut fama reſpectu hæreditatis, & libertas reſpectu pecunię, & bonum ſpirituale reſpectu temporalis; ergo cum detrimento, aut periculo vitę nullus vnquam tenetur famam proximi reſtituere. Quamuis enim fieri poſſit, vt quis prudenter pręferat ingentem pecuniæ ſuæ ſummam famæ, aut vitæ alterius conſeruandæ: non tamen prudenter præferret famæ, aut vitæ propriæ, nemo namque prudenter pro quantumuis magna fama eliget mori, vel pro maxima vi pecuniæ ſuſcipiet infamiã. Vide Nauarrum cap. 17. n. 89. & 90. & 91. Ex his patet, quid ſit ad minorem argumenti dicendum: iuxta primam enim opinionem neganda eſt, ſi infamia fuerit grauiſſima, iuxta ſecundam vero cõcedenda, quantumuis grauis fuerit infamia.

Ad 2 reſpondetur, duas etiam eſſe de eius minore opiniones. Quidam cum M. Soto minorem negant, nam vt hic ad 2. ait D. Thom. *Si non poſſit famam reſtituere debet ei aliter recompenſare, ſicut & in alijs dictum eſt*: Aliter autem compenſare quid eſt, niſi famam in alio bonorum genere, vt in pecunia reſtituere? Ad probationem reſpondent, pecuniam poſſe famæ æquiua-

lere:

lere: nam vt ait M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 6. ar. 3. ad 4. *Et ſi fama genere ſuo præſtantior ſit, quam pecunia: tamen tantum poteſt æris accumulari, vt cumulus ille multo ſit pretioſior fama tua. Eſt quidem aurum ſuo genere argeto pretioſius, ſed tamen tantum eſſe poteſt argenti pondus, vt multo æſtimetur pluris, quam minus auri.* Fama ergo recompenſari poteſt pecunia, hancque recompenſationem facere tenetur, qui non poteſt famam in proprio genere reſtituere; quam ſi non fecerit, licitum erit infamato ſibi ipſi ſatisfacere ex debito pecuniario infamantis. Si forte infamatus noluerit ſibi reſtitutionem fieri in pecunia, ſed in proprio genere; tunc infamator, ſi non poteſt famam hoc modo reſtituere, a reſtitutione excuſabitur. Si verò potuerit, ad id obligabitur, nec æquiualens famæ erit quęcunque sūma pecuniæ, ſicut nec æquiualens eſt libertati, ſi ſe ipſum homo vendere non vult. Alij cum Caietano minorem veram eſſe dicunt propter eius probationem in argumento poſitam. Ad verba autem D. Th. pro pręcedente ſolutione adducta reſpondent, intelligenda eſſe de damnis conſequutis ex infamia, pro quibus, qui non poteſt reſtituere famam, quam abſtulit, illaque damna, quæ intulit reſarcire, debet infamato aliter recompenſare. Ad exemplum auri, & argenti reſpondet Nauarrus cap. 17. num. 91. non concludere: *Quia vtrumque ſua natura pecunia eſt æſtimabile, & ideo maior quantitas vnius poteſt pretio ſuperare*

perare minorem alterius. Sed fama non eſt res pecunia æſtimabilis, ſicut nec etiam vita, ſalus, & libertas. Cui non obſtat, interdum quoſdam famam pretio exponere: nam hoc ex eorũ animi vilitate accidit; ſicque æſtimationi famæ non officit. Moderatur tamen Nauarrus ibidem, hanc Caietani opinionem: *Vt ſolum procedat in fama bonitatis virtutem theologam, & moralem conſequente, & non infamæ ingenij, ſcientiæ iurium, ſolertiæ, artium, diuitiarum, & aliarum rerũ ſimilium in qua opinioni cõtrariæ ſit locus. Quia fama harum non videtur ineſtimabilis, vt eſt fama bonitatis.* Mihi vtraque opinio videtur probabilis.

Dubium 4. An honor ſit reſtituẽdus, & quomodo.

QVid inter honorem, & famam interſit, dicemus infra q. 72. ar. 1. Hic ſolum ſcire oportet, honorem lædi contumelia, famam vero detractione: vnde D. Thom. infra q. 73. art. 1. ait detractionem differre à contumelia: *Quia contumelioſus derogat honori, detractor famæ.* Hoc ſuppoſito.

Dicendum eſt 1. reſtituendum eſſe honorem ab eo, qui illum abſtulit. Docet hoc D. Thom. hîc ad 3. cum enim argumentum probaret, cum alicui aufertur honor ſuæ perſonę, non poſſe ſibi reſtitui, quod ablatum eſt, quia quod factum eſt, non po-

poteſt fieri, vt factum non fuerit, reſpondet S. Doctor: *Quod actio contumeliam inferentis non poteſt fieri, vt non fuerit. Poteſt tamen fieri, vt eius effectus ſcilicet diminutio dignitatis perſonæ in opinione hominum reparetur per exhibitionem reuerentiæ.* Sicque honor reſtituatur.

Probatur etiam ratione: Qui honorem abſtulit alicui iniuriam ei fecit contra iuſtitiam: ergo illum ei tenetur reſtituere, ſicut, & qui famam alicui abſtulit, illam ei reſtituere tenetur. Hoc quidam intelligendum eſſe dicunt, cum honor poſitiue aufertur contumelia: ſi enim ſolum auferatur honor priuatiuè omiſſione reuerentiæ debitę, non eſt propriè reſtituendus: quia tunc non peccatur contra iuſtitiam, ſed contra virtutem obſeruantiæ: niſi forte ratione alicuius contumeliæ interpretatiuę in omiſsione reuerentiæ debitæ incluſæ.

Dicendum eſt 2. Honorem reſtituendũ eſſe exhibitione reuerentiæ. Colligitur hoc ex verbis D. Thom. con. præc. relatis. Probatur etiam. Ratio iuſtitiæ commutatiuæ poſtulat, vt reſtituatur, quod iniuſte ablatum eſt, maximè ſi in eodem generę bonorum reſtitui poteſt: ſed honor ablatus, vel læſus per contumeliam poteſt reſtitui, & reparari per exhibitionem reuerentiæ, quæ quidam honor eſt, vtpote teſtificatio excellentię alterius; ergo exhibitione reuerentiæ reſtituendus eſt.

Quod non ſolum fieri debet, quando quis alterius honorem læſit coram aliis,

ſed etiam quando priuatim nullo alio vidente alterum contumelia dehonorauit. Vnde Matth. 5. v. 23. Chriſtus dixit: *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis:* Significans conuitium, vel contumeliam eſse peccatum mortale. Subdit vero Dominus: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Indicans non remitti hoc peccatum, niſi qui illud commiſit, reſtituat honorem ablatum, ipſi ſcilicet cui ablatus eſt honor ſatisfaciendo pro contumelia, etiam ſi priuata fuerit.

Dicendum eſt 3. Exhibitionem reuerentiæ, qua honor reſtituitur, præſertim debere fieri petitione veniæ. Colligitur hoc ex D. Aug. in Regula vbi petitionem veniæ appellat verborum duriorum medicinam. Probatur etiam: cum enim contumeliæ, & conuitia ſigna ſint contemptus, eiſque homo, vt ſuperiorem ſe gerat, alterum ſubigens, proprium antidotum illorũ erit contraria humiliatio, quę eſt in petitione veniæ, hæcque in priſtinum locum alterum rediget; ſicque accommodatiſſimus modus erit honorem reſtituendi.

Aduertendum tamen eſt, petitionem veniæ, licet communiter ſit accommodatiſſimus modus honorem reſtituendi; tamen non ſemper eſſe neceſſarium ad reparationem honoris, neque ſemper ad illam ſufficere. Hoc poſtremum patet: nam

quandoque tanta eſt contumelia, vt non ſufficiat veniæ petitio, ſed requiratur alia compenſatio. Qui enim colapho, aut fuſte præſertimque arundine alium percuſſit, non ſatisfacit ei veniam petendo, ſed ampliori indiget ſatisfactione. Ea autem facienda eſt, quæ ſecundum morem patriæ fieri ſolet, dummodo non ſit contra legem Dei.

Primum vero docet Caietanus infra q. 72. articul. 3. & tom. 1. Opuſc. tract. 31. reſponſione 13. Probatur etiam: honor poteſt aliter reſtitui, ac reparari; ergo ad eius reſtitutionem non eſt ſemper neceſſaria veniæ petitio. Antecedens probatur: Tum quia inter nobiles in multis prouintiis non eſt mos pro honore ablato veniam petere. Tum etiam quia, vt dicit S. Aug. in Regula, cum prælatis loquens: *Non à vobis exigitur, vt a vobis ſubditis veniam poſtuletis*. Et idem eſt de magiſtris, & de viris illuſtribus, etiamſi in verbis contumelioſis ſentiant ſe exceſſiſſe, diſcipulos aut plebeios inhonorando. Tum denique, quia in petitione veniæ eſt maxima hominis, à quo petitur, honoratio, & hominis, qui eam petit, maxima ſubmiſſio; quæ contingere poteſt, vt multum excedat proximi inhonorationem factam per contumeliam; ergo non erit neceſſarium eam per veniæ petitionem reparare, ſed poterit honor aliter reſtitui; nullus enim tenetur reddere niſi æquale ei, quod ablatum eſt.

Si quæras, cur qui detractione alterum infa-

infamat, non teneatur illi reuerentiam exhibere, aut ab eo veniam petere; ad id vero teneatur, qui per contumeliam alterum inhonorat? Reſpondetur, rationem huius eſſe: quia cum fama, quæ per detractionẽ denigratur, conſiſtat in bona æſtimatione, & opinione, quæ de homine habetur, ad eius reſtitutionem ſufficit dicti prioris retractatio, & non requiritur reuerentiæ exhibitio. Cum autem honor teſtificationẽ quandam importet de excellentia alicuius vt docet *D.* Tho. infra q. 103. art. 1 ſi per contumeliam læditur, exhibitione reuerentiæ, quæ teſtificatio quędam eſt excellentiæ alterius, reparari debet, ſiue hoc fiat petitione veniæ, ſiue aliter.

Dubium 5. An qui impedit ne habeat aliquis præbendam, vel officium, teneatur ei aliquid reſtituere.

Pars negans probatur 1. D. Thom. art. præced. ait: *Reſtituere nihil aliud eſſe videtur, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ.* Sed præbenda, vel officium nunquam fuit eius, qui, ne illud haberet, fuit impeditus; ergo qui illum impedit, nihil ei tenetur reſtituere.

Secundò, qui impedit ne fiat alicui donatio aliqua, eleemoſyna; aut legatum, non tenetur ad reſtitutionem, ergo neque qui impedit ne habeat quis præbendam, vel officium, aut beneficium, non enim

hæc magis ſunt eius, quam illa.

Tertiò, ipſe, ad quem ſpectat conferre præbendam, aut beneficium, vel officium, etiam ſi non det digniori, non tenetur ad reſtitutionem; ergo neque qui impedit digniorem, ne hæc conſequatur.

Dicendum tamen eſt: Qui iuſte impedit aliquem, ne habeat prębendam, vel officium, aut beneficium, non teneri ad reſtitutionem; bene vero, qui illum impedit iniuſtè. Vtramque concluſionis huius partem docet D. Th. hic ad 4. dicens: *Aliquis poteſt impedire aliquem, ne habeat prebendam multipliciter. Vno modo iuſte, puta ſi intendẽs honorem Dei, vel vtilitatem Eccleſiæ procurat quod detur alicui perſonæ digniori, & tunc nullo modo tenetur ad reſtitutionem, vel ad aliquam recompenſationem faciendam. Alio modo iniuſte: puta ſi intendat eius nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid huiuſmodi, & tunc ſi impedit ne prębenda detur digno, conſulens, quod non detur antequam ſit firmatum, quod ei detur tenetur quidem ad aliquam recompenſationem penſatis conditionibus perſonarum, & negotij ſecundum arbitrium ſapientis: non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si vero iam firmatum ſit, quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam cauſam procurat, quod reuocetur, idem eſt ac ſi iam habitã ei auferat; & ideo tenetur ad reſtitutionẽ æqualis, tamen ſecundum ſuam facultatem.*

Probatur deinde prima pars: nam ille

bene agit, & nulli facit iniuriam; ergo nulli tenetur aliquid reſtituere.

Secunda pars intelligenda eſt de eo, qui ita impedit iniuſte, vt contra iuſtitiam commutatiuam agat: nam ſolius iuſtitiæ commutatiuæ violatio ad reſtitutionem obligat, vt diximus art. 1. Nec obſtat, quod hic ait D. Thom. *Puta ſi intendat eius nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid huiuſmodi.* Hoc enim non dixit, quia animus nocendi, odium, aut vindicta ad reſtitutionem obligent, ſicut nec alia, quæ ſunt contra charitatem; ſed quia iuſtitiæ commutatiuæ violatæ ſigna ſunt, taliſque violationis cauſæ, vt in plurimum. *Facere enim ex odio, aut vindicta,* (inquit M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 6. ar. 3. ad 6. §. *Et per hæc claret*) *non te onere reſtitutionis grauat, ſed facere iniuſte: ſcilicet nullo tuo iure, ſed violando alienum: facere tamẽ ex odio eſt ſignum aliquod nullo tuo te iure vti.* Eodem pacto intelligendæ ſunt l. 1. *Denique*, & leg. 2. §. *Idem labeo*, num. 9. ff. De aqua pluuiali arcenda, & aliæ ſignificantes, qui aliquid facit animo nocendi, teneri reſtituere.

Iniuſte autem, hoc eſt, contra iuſtitiam cõmutatiuam quis impedit alterũ, ne cõſequatur officium, beneficium, aut præbẽdã, qui vi, & dolo impedit. Vi impedit, qui alium vi detinet, aut minatur ei, ne ſe opponat, aut procuret præbendam; vel collatori, ne conferat eam illi; vel qui literas intercipit. Dolo vero impedit, qui fraude

alium auertit à re proſequenda, vel apud collatorem illum infamat, falſum crimen imponendo.

Contra iuſtitiam vero commutatiuam peccare, qui vtroque modo impedit alterum, ſicque ad reſtitutionem teneri, inde patet, quod eius ius violat: nam licet non habeat ius ad officium, beneficium, aut præbendam, ius tamen habet ad illud procurandum; ſi tamen fuerit illo dignus: nã ſi fuerit indignus officio, nullum ius habet ad illud procurandum, quin potius illud procurando contra iuſtitiam peccat. Idem: eſt, ſi dignus procurat contra digniorem; nam reſpectu dignioris indignus reputatur & contra iuſtitiam peccat procurando officium, [illegible] beneficium, quod ſi conſequatur, ad [illegible]itutionem faciendam digniori tenetur iuxta dicta ſupra artic. 1. dubio vnico con. 5. Vnde qui vi, aut dolo impedit indignum, ne conſequatur, aut procuret præbendam, aut dignum ne eam conſequatur, aut procuret contra digniorem, reſtituere quidem illi tenetur iniuriam illatam; non tamen prębendam: nam ad hãc obtinendam, vel procurandam non habet ius, ſed ſolum ne vi, aut dolo impediatur. Si tamen impedit dignum, ne obtineat, aut procuret præbendam contra indignum, vel alium ęque dignum, aut digniorem impedit, ne eam obtineat, aut procuret contra dignum; non ſolum tenetur ad reſtitutionem iniurię illatæ, ſed etiam præbendæ: nam dignus ius habet ad procurã-

dum

dum prębendam contra indignũ, aut ęque dignum, & dignior contra dignum, illamque obtinendam, ſi collator eam illi voluerit dare.

Si non vi, aut dolo, ſed ſolis precibus, aut conſilio quis alterum impediat, videndum eſt, an collator illi non tribuens præbendam reſtituere teneatur. Si tenetur, etiam conſulens, aut rogans, ſi tamen fuerit cauſa efficax, tenebitur reſtituere tanquam con cauſa damni, & iniuſtitiæ, quæ alteri fit, iuxta ea, quæ dicemus infra artic 7 dubio 1. con. 2. Si collator non tenetur reſtituere, nec etiam conſulens, rogans, aut munera largiens collatori, vt non conferat huic, tenebitur aliquid reſtituere: nam ius, quod habet dignus, vel dignior ad obtinendum beneficium, non eſt abſolutũ, ſed conditionatum in libera collatoris voluntate poſitum, ſi collator ſcilicet velit dare; ergo qui relinquit collatorem in ſua libertate, nec aliquid facit, quod illius libertati repugnet, non cenſetur ius digni, aut dignioris violare. At conſilium, preces, munera, blanditiæ, & alia huiuſmodi, non repugnant libertati; ergo qui hæc præſtat, nullo modo infert alicui iniuriam; ſicque nulli tenetur reſtituere aliquid. Quando autẽ collator non conferens præbendam alicui teneatur ad reſtitutionem, explicuimus art. 1. dubio 1. con. 4. & 5. Vnde ſicut diſtributor, ſi conferat beneficium digno, omiſſo digniori, iuxta ſentẽtiam M. Soto ibi con 4. explicatam, licet

peccet mortaliter, non tamen tenetur aliquid reſtituere: ita, & qui hoc illi conſuliit. Iuxta ſententiam vero Caietani ibidē con. 5. explicatam vterque peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur. Quantū autem teneatur impediens reſtituere, explicat D. Tho. dicens, ſi impedit antequā ſit firmatum, vt detur prębenda digno, nō teneri ad reſtituendum æquale. ſed aliquid ſecundum arbitrium ſapientis; quia, quæ ſunt in ſpe, & in cauſa impedibili, minus valent, quam quæ ſunt actu; quanti ergo iudicio prudentum æſtimatur ſpes obtinēdi prębendam, reſtituendum eſt, & non ęquale. Si vero impedit, poſtquam iam firmatum, ſeu decretum eſt; vt detur digno præbenda, ad reſtitutionem æqualis, ſeu in integrum tenetur. Contra, quod ſi obiicias, quamuis hoc ſit decretum, non eſt tamen executioni mandatum; ergo præbenda adhuc non eſt digni, ac per cōſequens impediens non tenetur ad ęquale. Reſpondet Caietan hic §. *Vnde ad motum*, negando conſequentiam: nam paria ſunt eſſe actu meum, & eſſe ex debito decretum, vt ſit meum. Si dicas hinc ſequi, hoc decreto non poſſe dari præbendam digniori, ſi antequam executioni mandetur appareret; ſicut non poſſet dari illi, ſi appareret poſtquam eſt executioni mandatum. Reſpondet §. ſequenti negando ſequelam: nam eſſe actu meum, & eſſe decretum, vt ſit meum, ſolum ſunt paria quandiu decretum habet rationem iuſti: apparente

autem

autem digniore iuſti rationem non habet. Vide illum.

Ex dictis colligunt nonnulli, ſi vacante aliquo beneficio aliquis collatori ſoli detegeret aliquod crimen occultum commiſſum ab vno ex oppoſitoribus, ſicque impediret illum, ne conſequeretur beneficiũ, non teneri ad reſtitutionem: quia non vi nec fraude, vel dolo impediret, cum ius ſit, quando de officiis agitur, vel beneficiis, patefacere ea, quæ hominem minus habilem, vel collationem minus decoram reddunt. Immo addunt: etiam ſi tale crimen occultum patefaceret multis, non teneri ad reſtitutionem præbendæ; ſi tamen collator, non tam ob infamiam, quam ob crimen occulte commiſſum nolit conferre: nam patefactio talis criminis, qua parte ad collatorem pertinet, non eſt iniuſta, etiam ſi apud alios iniuſta ſit.

Colligunt etiam: ſi vacante beneficio in menſe Pontificis, Petrus, e Valentia, ſcriberet Romam ad Ioannem eius procuratorem; & literæ venirent ad manus Andreæ, qui ſuſpicatus, quod res erat, illas aperiret: licet hic ſi eas ſuppimeret aut ſero redderet, ne Ioannes poſſet procurare beneficiũ, Petro teneretur reſtituere, quanti ſpes obtinendi beneficium æſtimabitur. Si tamen literas tempeſtiue traderet, ſed vſus notitia, quam ex illis habuit, in ſuum commodum, ſibi beneficium impetraret, nihil teneretur reſtituere. Iniuriam quidem faceret Petro eius literas aperiendo, & legẽ-

do; non tamen impetrando ſibi beneficiũ, cum Petrus non haberet maius ius, quam ipſe, & cuius eſſet ius ſolicitandi, & tradens literas procuratori Petri tam cito ac ſi ipſe non eas aperuiſſet, aut legiſſet, nulla vi, aut dolo vſus fuiſſet. Et quamuis notitia parta ſit per iniqua media; poſtquam tamen iam habetur, poteſt quis ea vti in ſuum commodum.

Ad 1. vero fictum in principio reſpondetur cum Caietano hic § *Ad tertium* negando minorem; præbenda enim eſt eius, qui impeditur, non quidem abſolutè, quia nondum eſt ſibi data, ſed ſecundum quid ob diſpoſitiones, quæ ad eius collationem ſunt, reſpectu quarum habet ius in re, & reſpectu prębendæ ius in ſpe. *Sicut enim diſpoſitiones agri ad fructificandum ſunt expectantis fructus, & qui illius diſpoſitiones tollit, impedit fructificationem, & tenetur ad reſtitutionem: ita diſpoſitiones ad conſequutionem beneficii ſunt illius conſequuturi beneficium, & qui eas tollit, tenetur ad reſtitutionem. Et ſic interuenit hic ius in re reſpectu diſpoſitionũ & ſuper hoc fundatur ius in ſpe reſpectu beneficii: Et propterea impediens diſpoſitiones ad cõſequendum beneficium, non tenetur ad reſtituẽdum æquiualens beneficio, ſed ad reſtituendum aliquid, penſata propinquitate, vel elongatione potentiæ ab actu, ſicut in lædente ſemina accidit.* Quidam eandem minorem negant, & rationem reddunt, quia licet præbenda adhuc non ſit eius, qui impeditur: parum tamen abeſt, vt illam habeat, & quod pa-

rum diſtat, nihil diſtare videtur Caietanus tamen hic §. *Ad quintum*, oſtendit ex propoſitione iſta nõ eſſe ſumendam rationem efficacem in hac materia. Vide illum.

Ad 2. reſpondetur, verum eſſe antecedens de eo, qui ſolis precibus. & conſilio impedit, ne fiat alicui donatio aliqua, eleemoſyna, vel legatum; non enim tenetur ad reſtitutionem. Cuius rationem aſſignat Caietanus hic §. *Ad ſextum*, quia nulli facit iniuriam, & nullius ius violat, cum adhuc maneat in ſua libertate voluntas donantis, & legantis. Vnde ſicut hic, reuocando libere ſuam voluntatem, nulli facit iniuriam, nulliuſque ius violat, ita nec inducens, & excitans illum ad reuocandum eam ſolis precibus, & conſilio. De illo verò qui vi, & dolo impediret, ne donatio, eleemoſona, aut legatum fieret alicui, falſum eſt antecedens, teneretur enim ad reſtitutionem: nam quamuis impeditus non haberet ius ad donationem, eleemoſynam, & legatum, ius tamen haberet ad hæc procuranda, immo, & obtinenda, ſi donans, aut legans vellet illi conferre. Quod ius violaret, qui voluntatem eius, qui proponit, vel deliberat hęc conferre, per vim, aut fraudem impediret, alioue inflecteret; ſicque iniuriam faceret ei, cui conferenda erant, nam violaret ius eius poſitum in voluntate collatoris. Et idem in propoſito contingit, quando quis alterum impedit, ne habeat præbendam; ſi enim vi, & dolo impedit, ad reſtitutionem tenetur, ſi

ſolis precibus, & conſilio nequaquam, niſi forte conferens etiam ad reſtitutionem obligaretur.

Ad 3. reſpondetur; quando is, ad quem ſpectat conferre præbendam, non tenetur ad reſtitutionem neque etiam teneri eum qui impedit, ſi ſolis precibus, ac conſilio impediat, bene tamen ſi vi, & dolo impediat, vt diximus.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſufficiat reſtituere ſimplum, quod iniuſte ablatum eſt.

Concluſio eſt affirmans.

Dvbitari hic ſolet, an teneatur, qui iniuſte rem alienam accepit, non ſolum illam reſtituere, ſed etiam pœnam, quam leges imponunt, ſoluere, antequam ſuper iudicem condemnatus. De hoc tamen nos egimus 1. 2. q. 96. ar. 4 dub. 3. Dictis ibi addo pœnam, quam quis ſolum poſtquam condemnatus eſt, tenetur ſoluere, ad eam luendam non obligari, etiam ſi in iudicio neget veritatem, quam tenebatur fateri, & quam ſi confeſſus fuiſſet, ad pœnam ſoluendum reuera condemnatus fuiſſet.

Oppoſitum huius tenet M. Soto lib. 1. de iuſtitia q. 6. art. 6. con. 4. ad finem.

Sed

Sed quod diximus docent M. Bañes hic dubio 2 con. 6. M. Salon controuerſia 2. & communiter alii diſcipuli D. Tho. Probatur etiam ex S. Doctore hic de eo, qui iniuſte accepit rem alienam dicente: *Antequam ſit condemnatus per iudicem, non tenetur reſtituere pluſquam accepit. Sed poſtquam condemnatus eſt, tenetur pœnam ſoluere.* At ille, de quo loquimur, non eſt actu condemnatus; ergo quamuis eſſet condemnandus, non tenetur pœnam ſoluere. alias idem in ſe ipſum eſſet agens, & patiens, iudex, & reus, puniretur que, ac ſuppliciũ pateretur non conuictus, nec confeſſus, & alia quam plura inconuenientia ſequerentur. Confirmatur ratione M. Bañez: ille non tenebatur confiteri veritatem ex iuſtitia commutatiua, ſed ſolum ex iuſtitia legali. ergo cum ſolius iuſtitiæ commutatiuæ læſio obligationem reſtituendi inducat, vt diximus artic. 1. dubio 1. con. 1 non tenebitur ad reſtitutionem aliquam pœnæ, ad quam fuiſſet condemnatus, ſi fuiſſet confeſſus veritatem.

Dubitari ſolet etiam, an qui tributa defraudant, teneantur ea reſtituere ante iudicis ſententiam? Sed quia hoc dubium continetur ſub ſecundo, quod loco citato ex 1. 2. excitauimus, An leges pœnales obligent ad culpam, breuiter nos ab illo hic expediemus.

Nauarrus cap. 23. num. 60. ſentit, eos, qui important in regna vel vrbes, vel expectant ab eis prohibita inferri, vel detrahi

non ſoluto vectigali, vel tributo, non peccare, niſi volendo ea defendere vi, & armis, ne cuſtodes eis auferant illa quia, qui reſiſtit iuſte aggredienti, peccat. Fundamentum eius, ex quo id colligit, eſt, quod ibidem nu. 55 dixerat, & multipliciter probauerat, leges humanas præſertim ſeculares, quæ pœnam temporalem conſtituunt, non obligare ad culpam, ſed ſolum ad pœnam conſtitutam poſt iudicis ſententiam. Tales enim ſunt leges tributorũ, in eis namque pœnæ temporales conſtituuntur amiſſionis mercium, &c.

Beia 1. parte caſu 13 Nauarrum ſequitur, & ait. Tributa quidem iuſte impoſita eſſe iure diuino principibus debita, vt colligitur ex Paulo ad Rom. 13. v. 7. At quibus ex rebus, & quanta in quantitate ſint tributa ſoluenda, ex humana lege pendere. Humanas autem leges illa imponentes non obligare in conſcientia: tum quia pœnam temporalem conſtituunt: tum etiam quia ſi obligarent in conſcientia, nequaquam Principes tot, & tam magna tributa imponerent, medietas enim illorũ ſufficeret ad id, cuius ratione imponuntur: Vnde fraudantes gabellas, & ea imponentes, ſe fortunę exponere videntur, illi quidem perdendi omnes merces pro lucranda porcione gabellæ pro lucrandis omnibus mercibus; ſicque ſicut iſti inuenientes eos, qui non ſoluunt, tuta conſcientia retinent omnes merces: ita illi ſi non inueniãtur, tuta cõſcientia retinẽt portionẽ gabellæ.

An-

Antonius Fernãdez de Moure in ſuo examine Theologię moralis p. 1, c. 15. §. 7. n. 19. & 20. idem tenet, dicens: ſiue diu, ſiue noctu quis occulte vendat, aut trãſportet etiam ſummo mane, & per vias ab arbitris remotas eo animo, vt publicanos lateat, & ita à nemine inuentus occultus euadit, tributa non debet in conſcientia: & ita recepta eſt conſuetudo, & aliter opinari eſſet peccatis orbem implere. Probat deinde, quia tributa tantum debentur, quantum ſufficiunt ad regni, regiſque decentiam: ſed hæc tributa cum hac occultatione ſufficiunt, quia ſi abſque occultatione redderentur in conſcientia, ærarium non caperet pecuniam; ergo &c. Subdit præterea in hac occultatione fundari publicanos, cum de tributis ſoluendis pro mercibus conueniunt cum mercatoribus in multo minori quantitate, quam deberetur ſi in conſcientia etiam pro rebus occultatis ſoluerentur.

P. Sà v. *Gabella*, n. 6. inquit eos, qui defraudant gabellas, ad reſtitutionem non obligari: quia in tanto dubio, & grauiſſimorum DD. opinione melior eſt conditio poſſidentis.

Denique alij, quos refert Diana 1. par. tract. 10 reſol. 19 aut probabilem eſſe dicunt, aut abſolutè docent hanc opinionem.

Contraria tamen ſententia aſſerens, qui tributa defraudant, teneri ea reſtituere in conſcientia ante iudicis ſententiam, cõ-

munior eſt, quam tenent omnes diſcipuli D. Thom. maximumque fundamentum habet in verbis illis ad Rom. 13. verſic. 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributū. cui vectigal, vectigal*. Eſt enim in illis ſermo de tributis, & vectigalibus, quæ principibus ſoluebantur iuxta leges humanas, quibus fuerant impoſita.

Ratione etiam probatur. Licet leges purè pœnales non obligent ad culpam, ſed ſolum ad pœnam; vt loco citato ex 1. 2. oſtendimus, & probat Caſtro lib. 1. de lege pœnali c. 8. & 9. quæ tamen non ſunt purè pœnales ſolam pœnam ſtatuentes ſed præterea aliquid prohibent, vel præcipiūt ad culpam etiam obligant, nam de intrinſeca ratione precepti eſt obligare ad culpam, vnde eius tranſgreſſio eſt inobedientia: ſed leges tributorum ſunt huiuſmodi, precipiunt enim tributa ſolui, & non ſoluentibus pœnam imponunt, ergo in conſcientia obligant. Confirmatur, tributa ex iuſtitia commutatiua debentur principibus, vt ſtipendia pro labore, & officii ſui dignitate; non ſecus, ac miniſtris Eccleſiaſticis pro ſtipendio officii ſui debentur ex iuſtitia decimę: ergo qui tributa defraudat, hæc tenetur reſtituere in cōſcientia ante iudicis ſententiam.

Aduertit tamen M. Soto lib. 4. de iuſtitia, q. 6. artic. 4. poſt 2. con. *Dum res venduntur, quæ non ſunt grandis pretij, non tenentur venditores publicanos ad ſoluendum quærere: ſatis enim eſt ſoluere, dum ab illis petitur:*

dum-

dummodo venditores non vtantur fraude, & dolo, vt ſe occultent. Idem dicit M. Bañes hic dubio 3. con. vltima de his, qui bona fide merces aliaſue res transferunt de Regno in Regnum, ſi portitor non adſit, qui exigat portorium. Vnde, qui per vias publicas tranſit, & non inuenit exactores tributorum, quæ ſoluuntur ratione tranſitus per ſaltus, vel portam, aut pontem, non tenetur illos quærere, ſed poteſt tributum ſibi retinere. Cuius ratio eſſe poteſt, quia ita receptus eſt vſus legum tributorum.

Aduertendum eſt etiam, quod ait idem M. Soto lib. 3. de Iuſtitia, q. 6 art. 7 con. 3. *Hoc iniuſtitiæ ſpecimen præſefert, quam lex vniuerſi. C. de veſtiga. cauere in tributis iubet. Nempè ne pro his rebus, quæ ad vſum proprium pertinent, exigantur.* Vnde niſi tributum expreſsè ſuper his rebus fuerit impoſitum ob aliquam vrgentem publicam neceſſitatem, vel cauſam, nullus pro illis tenetur ſoluere tributum. Multi etiam, quos refert Diana 3. p. tract. 3. Miſcel. reſolut. 28. dicunt, nunquam pro his teneri aliquem ſoluere, quia non ſeruatur iuſta forma gabellæ; cum pauperes plus grauentur, quam debeant.

Dubitari denique ſolent. An qui in locis prohibitis ſcindit ligna, arborum fructus colligit, paſcit greges, venatur, aucupatur, vel piſcatur, teneatur ad aliquam reſtitutionem? Quod ego breuiter ſequentibus concluſionibus explico.

Dicendum eſt 1. Si loci prohibiti ſint communes populi, in quo quis moratur, aut

aũt illi vicini non peccat mortaliter, nec ad reſtitutionem tenetur, qui in illis ligna cędit, aut arborum fructus colligit, aut venatur, aut aucupatur, aut piſcatur, niſi magnam deuaſtationem faciat. Probatur: Non accipit de alieno, ſed de eo, quod ſibi cum aliis ciuibus commune eſt: nec nocet Reipublicæ, cum moderatè accipiat; ergo non peccat mortaliter, nec ad reſtitutionem tenetur. Quod etiam verum eſt, quando loci prohibiti ſunt oppidi vicini: nam oppida vicina mutuo ſibi talia condonant, ac compenſant, ſi in quolibet eorum ſit, in quo fiat compenſatio. Vnde conſuetudo (quę eſt optima legum interpres) hæc communiter obſeruatur, vt qui moderatè accipit, ſiue ſit oppidi, aut vicini eius deprehenſus à iudice non damnatur ad reſtitutionem rei acceptæ, ſed tantum ad ſolutionem pœnæ.

Si magnam deuaſtationem faceret contra iuſtitiam commutatiuã peccaret mortaliter, & ad reſtitutionem damni illati teneretur: priuaret enim alios ciues iure, quod habent ad linga ſcindenda, arborum fructus colligendos, paſcendum greges, venandum, aucupandum, & piſcandum.

Dixi ſi loci prohibiti ſint oppidi, in quo quis moratur, aut eius vicini: ſi enim eſſent oppidi non vicini, qui ligna ab illis cederet, teneretur ad reſtitutionem pretii lignorum: nam verè committeret peccatum furti genere ſuo mortale. Ad pœnam tamen ſoluendam non teneretur niſi con-

dem-

demnaretur, de quo vide M.Soto lib. 4. de iuſtitia q.6. ar. 4.

Dicendum eſt 2. Si loci prohibiti applicati ſint alicui dono Regis, vel Reipublicæ, qui inde aliquid moderate accipit, non peccat mortaliter, nec ad reſtitutionem tenetur, niſi perſona, cui ſunt applicati, illos muris cingendo, plantando, propriaque induſtria, & expenſis arboribus, herbis, animalibus terreſtribus, aquatilibus, & volatilibus replendo ſibi proprios fecerit.

Prima pars probatur: Qui loca illa habet dono Regis, aut Reipub. nec expenſas ibi fecit; non habet aliud ius in illa, quam habebat Rex, vel Reſpub. ſed quando erant Regis, vel Reipublicę, inde aliquid moderate accipiens non peccabat mortaliter, nec ad reſtitutionem tenebatur; ergo nec poſtquam ſunt alicui perſonę particulari applicata. Cenſentur enim applicari particulari perſonæ hac lege, & conditione, vt ipſi liceat inde, quod libuerit accipere, quin pœna aliqua dignus ſit, alijs id impunè non liceat, ſed ſi capiantur, pœnam impoſitam luant.

Secunda pars etiam probatur: Talis acceptio eſt rei alienæ inuito domino, ac verè furtum, non ſecus, ac acceptio rei, quam alter ſeminauit in nouali ipſi appropriato; ergo eſt peccatum mortale, ſi ſit in quantitate ad illud ſufficienti, & ad reſtitutionem obligat.

Notandum autem eſt cum Gloſſa lib. 2. Inſt. Imp tit. 1. de rerum diuiſione: Tria eſ-

ſe

ſe genera animalium. Quędam fera prorſus. Alia fera naturaliter, ſed accidentaliter manſueta. Alia manſueta. De primis quales ſunt feræ beſtiæ, & volucres, ac piſces, ibi, § *Quidquid*, dicitur: *Quidquid autem eorum ceperis, eo vſque tuum eſſe intelligitur, donec tua cuſtodia coerceatur. Cum verò tuam euaſit cuſtodiam, & in libertatem naturalem ſeſe receperit, tuum eſſe deſinit, & rurſus occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos effugerit; vel ita ſit in conſpectu tuo, vt difficilis ſit eius proſequutio.* Idem §. *Apum*, dicitur de apum examine quod ex alueo alicuius euolanit.

De ſecundis, quales ſunt pauones, & columbæ, §. *In ijs*, dicitur: *In his autem animalibus, quæ ex conſuetudine abire, & redire ſolent, talis regula comprobata eſt, vt eo vſque tua eſſe intelligantur, donec animum reuertendi habeant. Nam ſi reuertendi animum habere deſierint, etiam tua eſſe deſinunt, & fiunt occupantium. Reuertendi autem animum videntur habere tunc, cum reuertendi conſuetudinem deſeruerint.*

De tertijs, quales ſunt gallinę, & anſeres, §. *Gallinarum* dicitur: *Si anſeres tui, & gallinæ tuæ, quæ aliquo modo turbati, turbatæque euolauerint, licet conſpectum tuum effugerint, quocumque tamen loco ſint, tui, tuæue eſſe intelliguntur.* Idem in noſtri Valentini Regni legibus ſtatuitur. Vide Summarium Taraconæ lib. 2. tit 2.

Ex his colligitur 1. Qui venatur, aucu-

patur, vel piſcatur animalia prorſus fera egreſſa extra locum, in quo erant incluſa, non teneri ea reſtituere domino loci, in quo incluſa erant, etiam ſi conſuetudinem redeundi ad talem locum non amiſerint, ſed ad illum ſæpe redeant ob paſtum, vel eſcam. Docet hoc M. Bañes hic dubio vltimo con. 3. Patet etiam, nam hæc animalia non ſunt domini loci, niſi dum eius cuſtodia coercentur, & naturalem libertatem non habent; at egreſſa extra locum, in quo erant incluſa, non coercentur domini loci cuſtodia, & in naturalem libertatem habent; ergo non ſunt ſub dominio poſſeſſoris loci, ſicque ei non ſunt reſtituenda, etiã ſi ipſe ea antea cepiſſet in loco ſuo, vel extra illum, in illoque ea collocaſſet. Vnde in noſtri Valentini Regni legibus ſtatuitur: *Y ſi fugintli auran tornat en ſa llibertat, y per al tre ſeran preſes, ſien del vltim que les prengue.* Nec obſtat quod ſubditur: *Com no ſia falcoNi aſtors, o eſparuer, o altres animals, que ſolen tornar a hom.* Nam animalia, quæ hic excipiuntur non ſunt prorſus fera, ſed manſueta per accidens.

Colligitur ſecundò. Animalia manſueta per accidens, etiam ſi extra locum, in quo erant incluſa, quis ea ceperit, tenetur ea domino loci reſtituere. Patet hoc, nam ſunt domini loci, quandiu conſuetudinem reuertendi ad talem locum nõ amiſerint. Quando cenſeantur conſuetudinem redeũdi amiſiſſe, prudentis arbitrio diffiniendum eſt: nam quod ait Nauarrus cap. 17. n. 129.

Quam amiſiſſe videntur, cum ad horas, & dies conſuetas bis redire deſinunt, difficile eſt, cum ex hoc colligi non poſſit, amplius non eſſe reditura, aut facile reduci non poſſe, quod requiritur, vt animum; & conſuetudinem redeundi amiſiſſe cenſeantur, vt patet in certis manſuefactis, qui talem conſuetudinem amiſiſſe non cenſentur quandiu facilè patiuntur ſe reduci, quamuis ſæpe per alienas domos diſcurrentes ſponte per plures dies non redeant. Quod ſpacium requiratur, vt qui hæc capit, intra illud teneatur domino loci, in quo erant incluſa, reſtituere, v.g. columbas captas extra columbarium, M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 6. ar. 4. circa finem ait, ſtandum eſſe municipalibus legibus: *Nempe quod ſi lege præſcripta eſt periodus, ſcilicet intra tot paſſus nemo illas capiat, cenſendum eſt vſque ad illam lineam eſſe domeſticas. Quare extra illam poteſt eas quiſque captare. Si autem infra ſpacium lege præſcriptum capiantur, forte non ſunt captores à reſtitutione immunes.* M. Bañes hic dubio vltimo, con. 5. docet captores, licet peccet legem tranſgrediendo, immunes eſſe à reſtitutione: quia iſtæ columbæ, poſtquam exeunt, & vagantur, non ſunt poſſeſſoris columbarij, ſed ſolum dum ſunt intra, vel prope columbarium. Hoc tamen mihi falſum videtur, & contra regulam iuris cõmunis ſuperius adductam: *Eo vſque tua eſſe intelligantur, donec animum reuertendi habeant*. Conſtat enim talem animum non amiſiſſe columbas, dum ſunt infra prædi-

ctum

ctum ſpacium, cum raro eas non rediſſe viſum ſit. Vnde ſententia M. Soto tenenda eſt, eique addendum, vbi leges municipales nihil de hoc ſtatuunt, reſtituenda eſſe animalia per accidens manſuefacta domino illorum, vbicunque capiantur, ſicque quod in noſtri Regni Valentini legibus ſtatuitur: *Si fugiran de ſon amo, qui les pendrà deules hi tornar*, de vbicunq capiente intelligendum eſt. Niſi fortè tantum ſit ſpacium, vt merito cenſeri poſſit, iam animum, & conſuetudinem redeundi amiſiſſe.

Colligitur 3. Animalia manſueta per ſe quocunque loco, & tempore capiantur, reſtituenda eſſe domino eorum. Patet hoc, nam nunquam deſinunt eſſe ſuorum dominorum, vt patet ex verbis relatis ex Inſt. & ex noſtri Valentini Regni legibus, vbi dicitur: *Y les gallines, o oques, o pagos, ſi fugiran de caſa ſon amo, tempes ſon de aquell.*

Si quæras, an qui feram ab alio vulneratam, aut per retia, & inſtrumenta alterius illaqueatam capit, teneatur eam reſtituere ei, qui eam vulnerauit, aut parauit laqueũ? Reſpondet Couarruuias ad Reg. Peccatum parte 2 § 8. num. 13. *Feram ab aliquo vulneratam etiam lethali vulnere non aliter effici vulnerantis, quam ſibi ab eo capta fuerit: & ideò ſi ea vulnerata fugiens per aliquem capta ſit, ipſius capientis fieri. Et idem erit in fera per retia, & inſtrumenta venatoris illaqueata: nam ſi per alium, quam apponentem retia, fuerit capta ex ipſis laqueis, eius efficitur, non illius,*

lius, qui rete poſuit. Idem dicit Nauarrus cap. 17. num 176 his verbis: *Auis, & fera in laqueo etiam alieno inuenta accipientis fit, niſi vbi contraria conſuetudo ei, qui laqueum poſuit, adiudicat.* Alijs verius eſſe affirmant, auem, aut feram laqueo captam eius eſſe, qui laqueum poſuit: quia hic eam apprehendit, & occupauit per ſuum inſtrumentum, & per hoc in eius poteſtatem venit: niſi forte fera ſe erat explicatura; nam tūc ab alio poſſet occupari, quamuis æſtimanda eſſet ſpes eius, qui laqueum poſuit, & compenſanda. De fera vulnerata etiam dicunt, fieri percuſſoris; ſi tamen eam læſerit, quantum ſatis eſt ad capiendum, & ſic læſam inſequitur, & moraliter certum ſit eam eſſe apprehenſurum. Secus eſt, quando dubium erat vtrum fera eſſet euaſura: tunc enim fit occupantis, quia adhuc videtur retinere ſuam naturalem libertatem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum aliquis debeat reſtituere, quod non abſtulit.

Concluſio eſt negans.

Du-

Dubium. An qui damnum intulit, reſtituere teneatur.

Pars negans probatur, nam vt hic in arg. *Sed contra* dicitur: *Si aliquis reſtitueret, quod non accepit, hoc non eſſet æquale:* ſed qui damnum intulit nihil accepit, ergo nihil tenetur reſtituere.

Dicendum tamen eſt primo, Qui inuoluntariè, & abſque vlla culpa damnum intulit, nihil reſtituere tenetur: Culpa dupliciter accipitur, nempe theologicè pro peccato, quod in mortale, & veniale diuiditur, & iuridicè pro negligentia, quæ in latam leuem, & leuiſſimam diuiditur, vt infra art. 6. dubio 6. explicabimus: Si ergo quis abſque omni culpa tam theologicè, quam iuridicè accepta damnum inferret, certum eſt ad nihil reſtituendum teneri: clamant enim iura ad reſtitutionem teneri, qui damnum infert, ſi eius culpa damnum datum ſit. Noſtra tamen concluſio etiam de culpa ſolum theologicè accepta intelligenda eſt. Vnde, qui certus eſt, nullum commiſiſſe peccatum in damni illatione, nullam tenetur reſtitutionem facere in foro conſcientiæ, quamuis in foro exteriori ad eam faciendam condemnaretur ob culpam iuridicè acceptam maximè latam.

Probatur: vbi nullus interuenit contractus commodati, conducti, depoſiti, & c.

nullus obligatur ad reſtitutionem, niſi, aut ratione rei acceptę, aut ratione iniuſtæ acceptionis : ſed hic loquimur de inferente damnum nullo interueniente contractu (de inferente enim damnum contractu aliquo interueniente agemus artic. 6. dubio 6.) & qui abſque omni peccato damnum intulit, domum verbi gratia, aut ſyluam alienam incendens, oblitus naturali obliuione ignem extinguere, quo cibos parauerat, aut occidens hominem inuincibiliter putans eſſe feram, nec habet rem alienam, nec iniuſte eam accepit, cum iniuſta acceptio non ſit abſque peccato: ergo nihil tenetur reſtituerę.

Quod verum eſt, etiam ſi daret operam rei illicitę, venationi ſcilicet prohibitæ : nam damnum eſt illi omnino inuoluntarium, & nullo modo intentum, aut præuiſum ab illo, nec iniuſtè illatum, ſicque licet in foro exteriori, reus damni iudicaretur, & ad illius compenſationem condemnaretur; in conſcientia tamen illud reſtituere non teneretur. Quod amplius patebit ex his, quæ dicemus infra q. 64. art. 8. dubio vnico.

Si quæras, an ad incurrendam obligationem reſtitutionis requiratur, culpam, qua damnum infertur, eſſe peccatũ mortale, an vero ſufficiat eſſe peccatum veniale? Reſpondetur: ſi damnum ſit leue ſufficere peccatum veniale, vt ſub veniali teneamur reſtituere, vt patet in eo, qui alterius ſudariolum in ignem proiiceret, ac cre

maret. Si verò damnum ſit graue, requiri peccatum mortale, & non ſufficere peccatum veniale ad obligationem reſtituendi etiam ſub veniali. Ratio eſt, quia damnum graue ex peccato veniali ſequutum cenſetur fortuitum, & inuoluntarium, nam ſi perfecte, ac plenè voluntarium eſſet, non veniale, ſed mortale peccatum eſſet actio eius illatiua. Vnde ſi quis ſubita ira correptus, quæ ſolum eſſet motus ſecundo primus, ac peccatum veniale aliquem interimeret, aut ex negligentia, quę ſolum eſſet culpa leuis, ac veniale, peccatum domum eius combureret, non teneretur hoc tam magnum damnum reſtituere. Probabile tamen eſt teneri ad aliquam reſtitutionem maiorem, vel minorem, iuxta maiorem, vel minorem negligentiam intra limites negligentię venialis. Si dubitaretur, an culpa, quæ in damno inferendo interceſſit, fuerit venialis, an mortalis, ad dimidiam partem reſtituendam obligandus eſſet.

Dicendum eſt 2. Qui voluntariè, & culpabiliter damnum infert alicui in re, quam actu habet, tenetur ei aliquid æquale damno illato reſtituere. Docet hoc D. Th. hic, vbi loquens de damno, quod patitur aliquis, cum ei aufertur, quod actu habebat, ait: *Tale damnum eſt ſemper reſtituendum ſecundum recompenſationem æqualis, puta ſi aliquis damnificet aliquem diruens domum eius, tenetur ad tantum, quantum valet domus.*

Quod

Quod adeò manifeſtum eſt, vt maiori non egeat probatione.

Dicendum eſt 3. Qui voluntariè, & culpabiliter, mortaliter peccando, damnum infert alteri in re, quam non actu poſſidet, ſed ſolum eſt in via habendi, tenetur ad aliquid reſtituendum; non tamen tantum, quantum res illa valeret, ſi eam iam actu poſſideret. Docet hoc D. Thom. hic dicens: *Si damnificet aliquem impediendo ne adipiſcatur, quod erat in via habendi, tale damnum non oportet compenſare ex æquo, quia minus eſt habere aliquid in virtute, quam habere actu: &c. Tenetur tamen aliquam recompenſationem facere, &c.*

Magiſter Soto lib. 4. de iuſtitia, quæſt. 6. art. 5. dicit, hanc concluſionem, & doctrinam D. Thom. intelligendam eſſe, *quando damnum datur caſu, & non conſulto per iniuriam*. Vbi per dari, caſu, non intelligi dari furtuito, & inuoluntariè, ſed inuoluntarie quidem, non tamen directe, & per ſe, ſed indirectè, & interpretatiuè. Per dari vero, conſulto per iniuriam, intelligit dari voluntariè per ſe directè, & formaliter, ſcienterque, & ex malitia. Sic nonnulli ipſum intelligunt, aſſeruntque cum illo, eum, qui primo modo damnum dat, ſcilicet voluntariè indirectè, vt qui per ignorantiam culpabilem, vel negligentiam conculcat ſegetes, vel occidit ſeruum, vel iumentum alterius, teneri ad reſtituendum aliquid; non tamen quantum res illa, in

qua

qua nocuit, valeret, ſi ad maturitatem, vel perfectionem perueniſſet, ſed quantum iudicaretur valere tempore damni illati. Illum tamen, qui ſecundo modo damnum dat, ſcilicet voluntariè, directè, ſcienterque, & ex malitia, teneri ad reſtituendum in integrum, non ſolum quantum res in ſpe valebat, ſed etiam quantum eſſet valitura perueniens ad maturitatem, vel perfectionem, deductis tamen expenſis. Etenim ratio perſuadere videtur, in totũ teneri eũ, qui ſata deſtruit ſcienter, & ex malitia agricolæ, qui locupletiſſimas meſſes metere expectabat; & non apparet iuſtitiæ cõſonum, vt pullus equinus, qui de ſe magnã promittebat ſpem, malitiosè interfectus ſit ſolum compenſandus decem, quibus æſtimatur, quando interficitur, & non centum, quæ valiturus erat, ſi ad perfectionem perueniſſet.

Huius oppoſitum alij verius eſſe dicunt: quia reſtitutio damni illati non eſt vnquã facienda, niſi ſecundum æqualitatem: conculcatæ autem ſegetes, & tenerrimus pullus equinus non tantum valent, quantùm ſi ad maturitatem, & perfectionem perueniſſent; ergo non hoc reſtituendum eſt, ſed quod prudentes ſpectatis circumſtantijs iudicabunt tunc valere. Exiſtimant tamen, quando damnum ſolum voluntariè indirectè infertur, reſtituendum eſſe nõ pretium rigurosſum, ſed minimum, quo æſtimatur res, quando vltro exponitur venditioni: nam tunc obligatio reſtituendi tã-

tum oritur ex iniuſta acceptione; inter iniuſtas autem acceptiones, ea minima reputatur, quæ fit per ignorantiam, & negligentiam; ac proinde ſolum obligat ad minimum pretium reſtituendum. Quando autem damnum voluntariè, directè, ſcienter & ex malitia datur, æſtimandum eſſe pretium riguroſum, quale habet res, quando emptor rogat dominum, vt vendat: nam cum talis acceptio ſit omnino iniqua, & iniuſta, vtpote ex malitia, & ſcianter facta, obligat ad ſummum pretium reſtituendum, quo venderentur res in tali potentia exiſtentes.

Alijs denique hęc etiam differentia diſplicet: quia damnum ab vtroque illatum eſt æquale, vt ſupponitur, & vtriuſque actio eſt ſimpliciter voluntaria, ergo æqualis eſt vtriuſque obligatio, magis enim, vel minus voluntarium non facit damnum minus, vel maius, ſed iniuriam maiorem, vel minorem, iniuria autem debet veniæ petitione, vel alia via compenſari.

2 Ad argumentum autem factum in principio reſpondetur negando minorem, nam vt hic ait D. Thom. *Quicunque damnificat aliquem, videtur, ei auferre id, in quo ipſum damnificat.* Ablatio autem quædam acceptio eſt, & vt dicemus art. 6. dubio 1. ſub iniuſta acceptione iniuſta damnificatio comprehenditur.

AR-

ARTICVLVS V.

Vtrum oporteat ſemper reſtitutionem facere ei, à quo acceptum eſt aliquid.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium 1. An qui accepit à fure, quod iniquè ſuſtulerat, debeat illud eidem furi reſtituere.

PArs affirmans probatur 1. ex cap. *In literis* de reſtit. ſpoliat. vbi dicitur: *Prædo etiam eſt ſecundum rigorem iuris reſtituendus*, Confirmatur, quia alias non eſſet vniuerſaliter vera concluſio articuli.

Secundo fur tenetur, quod iniquè ſuſtulerat, eius domino reſtituere; ergo, qui à fure accepit, ipſi reſtituere tenetur, vt poſſit ipſe domino reſtitutionem facere.

Dicendum tamen eſt 1. Qui rem alienam accepit à fure, non ipſi, ſed domino debere eam reſtituere, ſi poteſt abſque vllo ſuo damno, vel detrimento. Probatur primo, nam D.Thom. hic, ideò ait reſtitutionem faciendam eſſe ei, à quo acceptum eſt aliquid; quia *minus habet, quam quod ſuū eſt*: ſed non latro, ſed dominus rei minus habet, quam quod ſuum eſt; ergo non la-

troni, ſed domino rei eſt facienda reſtitutio.

Secundò, illi eſt facienda reſtitutio, cui damnum eſt illatum: at damnum eſt illatum verò domino; ergo illi, & non furi eſt facienda reſtitutio.

Dixi, ſi poteſt abſque ſuo damno, & detrimento, propter ea, quæ dicemus conſeq. Vnde cum abſque ſuo detrimento poſſit domino reſtituere, quando rem quis à latrone dono datam accepit, aut illi furatus eſt, domino tunc reſtituere tenetur; niſi fortè certus eſſet furem reſtituturum fore eam domino, vt ait Nauarrus capit. 17. num. 29.

Aduertendum eſt tamen cum eodem Nauarro ibidem, num. 28. nomine domini non ſolum eſſe intelligendum illum, qui habet rei dominium, ſed etiam eum, cuius cuſtodiæ eſt commiſſa res, vt creditori pignus, depoſitario depoſitum, ſartori veſtis fingenda, fulloni veſtimentum lauandum, commodatario res commodata. Vnde his, & vniuerſaliter illis, qui habent ius ad rem retinendam, & cuſtodiendam, reſtituenda eſt. Quamuis in foro conſcientiæ veris dominis etiam reſtitui poſſit, habita tamen neceſſaria cautione, ne prædicti damno denuo, reſtituendi, afficiantur, aut alia moleſtia, vel ſumptu ad eam inquirendam, neue incurrant in iacturam exiſtimationis, fidelitatis, diligentiæ, aut probitatis; & modo illud ſine ſcandalo, & ſine alterius iniuria fiat.

Dicen-

Dicendum eſt 2. Qui rem furtiuam emit à latrone bona fide, quando ſcit eſſe furtiuam, non teneri eam domino reſtituere, ſed poſſe reſcindere contractum, & reddere furi, vt pretium recuperet, etiam ſi ſciat latronem nunquam eſſe reſtituturum. Oppoſitum huius docet M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 7. a. 2. Sed noſtram concluſionem tenet Syluester, verbo *Reſtitutio* 3. q. 7. Illam etiam tenuiſſe Magiſtrum Victoria refert M. Bañes art. ſequenti, dubio primo, vbi con. 4. ipſe veroſimilem iudicat, Mag. Salon ibidem, controuerſia 1. con. 3 & M. Ledeſma 2. par. Sum. tract. 8. cap. 14. con. 4. dubio 1. dicto 3. probabiliorem eſſe dicunt. Illam denique tenent Nauarrus capitul. 17. num. 84. & ex recentioribus innumeri.

Probatur primo. Nemo abſque vlla culpa ſua tenetur cum proprio detrimento reducere rem alienam in meliorem ſtatum eo, in quo illam inuenerat, quando illam accepit: ſed qui bona fide rem furtiuam emit, & accepit à latrone, quando accepit, inuenit apud latronem, & abſque culpa accipit, & eius culpa ad latronis poteſtatem non peruenerat; ergo cum reddendo illam furi, quando ſcit eſſe furtiuam, poſſit pretium recuperare, non tenetur cum detrimento amiſſionis pretij, quod latroni dederat, illam domino reddere, ſed poterit illam in eum ſtatum, in quo antea fuerat, reducere, reſcindendo contractum, qui cum ex parte latronis iniquus fuerit, & ex parte ementis exiſtimantis non eſſe alienam

rem, quam emerat, inuoluntarius, in irritum reuocari poteſt.

Secundò, in pari cauſa, & innocentia nemo tenetur nocere ſibi, vt alteri proſit: ſed qui bona fide emit à latrone rem furtiuã, quando ſcit eſſe furtiuam, ſicut dominus rei non habet rem ſuam, ita ipſe non habet pecuniam ſuam: ergo non tenetur omiſſa recuperatione ſuæ pecuniæ efficere, vt dominus rem ſuam recuperet.

Tertiò, ſi quis rem proximi à loco vbi erat à latronibus abducenda tolleret; cum aduerteret ſibi eſſe nociuam, poſſet eodem loco reponere, nec teneretur cum ſuo dãno ſeruare, ne dominus eam amitteret; ergo idem erit in noſtro caſu.

Neque his obſtat, quod obijcit Mag. Soto vbi ſupra: *Res enim ipſa in cuiuſcunque poteſtate ſit, reum eum facit reddendi legitimo domino*. Nam hoc intelligendum eſt, ſi poteſt abſque ſuo damno, & detrimento, vt ipſemet M. Soto ibidem articulo primo dixerat his verbis: *Vt tenearis dare domino requiritur, quod id poſſis abſque magno tuo detrimento facere. Quoniam ſi latronem timeas, aut filium familias, à quibus niſi eis reddas vapulabis, aut graue aliquod damnum accipies, non teneris cum tuo incommodo reddere niſi eis*. Amiſſio autem pretij, præſertim ſi magnum ſit, non eſt minus detrimentum vapulatione.

Non obſtat etiam quod ibidem obijcit: *Nam ſi latro diſparuiſſet, vt compœrere non poſſet, tunc, qui rem emit debitor eſſet domino, &c.*

ab

ab id autem quod reperiri latro poſſit, idē dominus nullum ius amiſit: ergo etiam tunc tenetur domino. Nam reſpondetur, ſi latro comparere non poſſet, qui ab eo emerat rem furtiuam, non poſſet pretium recuperare: nam non habet ius recuperandi pretium, niſi à latrone, reſcindendo contractum iniquum, & reducendo rem ad ſtatum, quem ante habebat, quod non comparente latrone facere non poteſt, ſicque domino debet eam reſtituere: quia non habet ius ad retinendum, aut vendendum eam, quin potius, hoc faciendo, contractum iniquum latronis confirmat, & ſe illius cooperatorem facit. Quod non facit, quando comparente latrone, rem furtiuam ei reddit: vtitur enim iure ſuo, vt ſe indemnem præſtet, relinquens furem ſuæ conſcientiæ. Si abſque ſuo damno poſſet rem domino reſtituere, & latroni redderet, cooperaretur vtique eius iniquæ detentioni: quando tamen, vt pretium recuperet, latroni reddit, non cooperatur cum latrone, ſed ſolum ſeſe indemnem reddit reſciſſione contractus.

Non denique obſtat, quod ibidem obijcit: *Nam ſi in foro iudiciali compertum eſſet, illum emptorem, poſtquam certo ſciuit rem eſſe alterius domini, tradidiſſe latroni, conuinceretur domino ſoluere*. Nam reſpondetur, hoc ideò eſſe, quia in foro contentioſo non crederetur emptori bona fide emiſſe. Et quamuis hoc conſtaret, nihilominus iudex emptorem condemnaret, vt rem domino re-

ſtitueret: quia ſi fur inueniri poſſet, ipſi iuberet, vt pretium reſtitueret, ſicque emptor ſine damno maneret. Si verò non poſſet fur inueniri, aut mutatus pretium reddere; in tali caſu etiam in conſcientia teneretur emptor rem, quam habet, reſtituere domino.

Dicendum eſt 3. Qui ſciens rem furtiuam eſſe, mala fide à latrone emit, & accepit, vt eam ſibi retineat, probabilius eſſe teneri eam domino reſtituere, & non poſſe furi reddere, vt pretium recuperet, niſi ſit omnino certus latronem reſtituturum. Docent hoc M. Bañes vbi ſupra dub. 4. & reliqui citati con.preced. exceptis his, quos ſtatim referemus.

Probatur: iſte non ſolum ratione rei acceptæ, ſed etiam iniuſtæ acceptionis tenetur reſtituere; ergo etiam ſi rem furtiuam latroni reddiderit, & apud ipſum non maneat, adhuc tenetur eam domino reſtituere: qui enim ratione iniuſtę acceptionis ad reſtitutionem tenetur, etiam ſi res apud ipſum non maneat, eam tenetur reſtituere, vt art. ſequenti docet D. Thom. Vnde ſicut ſi res apud ipſum periret, aut conſumpta eſſet, eius valorem non furi, ſed domino reſtituere teneretur, & ſi furi daret, non ſatisfaceret ſuæ obligationi: ita nec ſi re apud ipſum manente redderet furi, vt pretium recuperaret. Etenim per illam iniquam à fure rei acceptione ſe officium furis facit, & iniquæ detentionis cooperatorem; ſicque ſibi obligationem inijcit

ſer-

ſeruandi rem domino eius, reſtituendiq. ei illam: immo, & lucrum ceſſans, & damnum emergens, & omnia detrimenta, quæ ſunt domino ſequuta.

Dixi probabilius: nam oppoſitum probabilitate non caret, cum illud teneat Syluester verbo *Reſtitutio* 3.p. q.7. de eo, qui emit rem, quam ſciebat furtiuam, dicens num. 1. cum Alexandro de Ales: *Poteſt rem eidem reſtituere, & ab eo pretium petere, cùm ſibi potius, quam alteri poſſit conſulere*. Quem ſequuntur Nauarrus cap. 17. num. 84. & alij recentiores verbis Syluestri addentes: Præſertim cum reſcindendo contractum, non conſtituat rem peiori loco, quam erat ante.

Dixi etiam, mala fide, vt ſibi eam retineat: nam vt ait Syluester loco citato: *Si emit bona fide, vt reſtitueret domino, quia eam alias non erat habiturus, aut non tali pretio, repetere poteſt pretium quod dedit, & intereſſe ſuum* (à domino ſcilicet) *quia vtiliter egit negocium eius, & expenſas moderatas, niſi ex re vtilitatem habuiſſet, quia teneretur compenſare fructus cum expenſis, & pretio. Et ſi periret, aut eam amitteret, ſine ſua culpa, non teneretur. Hæc tamen intellige, ſi vtiliter egit pro domino, vt quia emit pretio paruo, non aliter, quia ceſſaret cauſa.*

Ad 1. verò factum in principio reſpondetur; ibi ſermonem eſſe de prædone nondum iuridicè conuicto, aut in facto deprehenſo quo ad forum externum. Vnde cum huic conuicto, aut deprehenſo quoad

conſcientiam par ſit, qui certo ſcitur eſſe prædo, ex prædicto capite ſolum colligitur illum, qui accepit aliquid a latrone, ſi dubitat an ſit latro, & res furtiua ſit, teneri eidem reſtituere: quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis. Ad confirmationem dico, concluſionem articuli intelligendam eſſe de eo, à quo acceptū eſt aliquid, quod ſuum eſt; ſicque intellectam veram eſſe vniuerſaliter.

Ad 2. reſpondetur negando conſequentiam. Dico tamen, illum, qui quod accepit à fure, reſtituit vero domino, teneri aliqua bona via, tam furem, quam verum dominum admonere, ne dominus bis rem iterum procuret, & ne fur, ſi redierit ad cor, iterum reſtituat, ignorans reſtitutam eſſe, & dum non redit, ne perſeueret in peccato, credens ſe adhuc teneri ad illud reſtituendum, & nolens reſtituere.

Dubium ſecundum, An quando res reſtituenda eſt nociua ei, cui eſt reſtitutio facienda, vel alteri, debeat reſtitui.

PArs affirmans probatur 1. Qui petit rem ſuam vtitur iure ſuo: ſed vtenti iure ſuo reſtitui debet res ſua, alias iniuria ei fieret; ergo etiam ſi nociua ſit ei, aut alteri, reſtituenda eſt ipſi petenti.

Secundò, ſi ille cuius eſt res, petat eam coram iudice, hic condemnabit retinentem,

tem, vt ſtatim reddat; ergo ſaltem tunc poterit eam domino reſtituere, quantumuis ſciat illum ea eſſe vſurum in ſui, vel aliorum perniciem.

Tertiò, ſi ex retentione rei prædictæ timeretur aliquod detrimentum, vtpotè ſi ille, cuius eſt res, minaretur mortem non reddendi, poteſt, qui eam detinet, domino reſtituere; ergo, & ſecluſo tali metu, nā metus non poteſt facere licitum, quod alias illicitum erat.

Dicendum tamen eſt: Quando res reſtituenda nociua eſt ei, cui eſt reſtitutio faciēda, vel alteri, non eſſe ei reſtituendam. Docet hoc D. Thom. hic ad 1. his verbis: *Quando res reſtituenda apparet grauiter nociua ei, cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri, non ei debet reſtitui: quia reſtitutio ordinatur ad vtilitatem eius, cui reſtituitur. Omnia enim, quæ poſſidentur, ſub ratione vtilis cadunt. Nec tamen debet ille, qui detinet ſic rem alienam, ſibi appropriare, ſed reſeruare, vt congruo tempore reſtituat, vel etiam alibi tradere tutius cōſeruandam.*

Deinde probatur ex C. *Ne quis*. 22. q. 2. vbi dicitur: *Si forte gladium ſuum repetat furens, manifeſtum eſt, tunc non eſſe reddendū, ne vel ſe occidat, vel alios, donec ſanitas reſtituatur.* Ergo idem erit de mentis compote, ſed irato, & parato ſe, aut alium occidere.

Tandem probatur: Deus vt dicitur Eccleſiaſtici 17 verſ. 12. *Mandauit vnicuique de proximo ſuo*. Et Prouerb. 24. v. 11. præ-

cipitur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*: ergo ſi retinendo rem alienam poſſum illũ, cuius eſt, vel alium à morte corporis, vel animæ, & à damno temporali, vel ſpirituali eripere, teneor illam non reſtituere, & reſtituendo pecco.

Intelligendum tamen hoc eſt, quando ex retentione nullum periculum timetur; ait namque D. Tho. in 4. d. 32. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. ad 3. *Gladius furioſo etiam eſſet reſtituendus, quando maius periculum timeretur in non reddendo*. Vnde ſi ex retentione rei alienæ graue damnum mihi immineret, non tenerer cum tanto detrimento detinere, ſed eam domino petenti reſtituere poſſem, quamuis ſcirem ipſi, aut alteri hinc fore ſequuturum graue damnum: dum tamen hoc non ſit perſonæ publicæ, cuius vita, & ſalus eſt maxime Reipublicæ neceſſaria, & cuius bonum, vtpote etiam commune, præferendum eſt particulari.

Diſtinguendum etiam eſt de damno: ſi enim fuerit corporale rerum, quarum homo non eſt dominus, vt vitę, teneor ſemper ab illo ſeruare, tam petentem rem ſuam, quam alium, ſi abſque vllo meo detrimento poſſim, rem talem detinendo. Secus eſſet, ſi non poſſem ſic detinendo damnum vitare: puta ſi ille, qui petit, alium gladium haberet, quo ſe, aut alium occideret. Si vero fuerit ſpirituale damnum, & redundet in tertiam perſonam, vt ſi dominus pecuniæ illam à debitore, vel depoſitario petit ad ſolicitandum mulierem

non

non paratam, eadem de illo eſt ratio, ac de corporali damno. Vnde qui abſque vllo ſuo detrimento poteſt vitare illud, detinendo pecuniam, aut rem alienam, tenetur eam non reſtituere. Si autem damnum ſpirituale non redundet in tertiam perſonā, ſed ſolum ſit eius, qui rem ſuam petit, vt ſi pecuniam debitam, aut depoſitam petit, vt ſe inebriet, aut fornicetur, aut luxurioſe viuat, teneor quidem illum monere, ac charitatiue corrigere, immo, & reſtitutionem differre, quamdiu ſpes eſt illum à malo affectu auocandi: tamen ſi nolit conſentire in dilationem, & nulla ſit ſpes reducendi ipſum ad bonum, reſtituendum erit ei, quod petit, ne eo negato magis peccet ſæpius in malum finem petendo.

Et non eſt eadem ratio de damno corporali petentis, aut ſpirituali alterius: Tum quia nō reſtituere, non eſt efficax medium, vt vitetur damnum ſpirituale, ac peccatum petentis; nam fortaſſe plus peccabit: eſt tamen medium efficax ad vitandum damnum corporale ipſius, aut ſpirituale alterius, carebit enim, quo ſe poſſit interficere, aut mulierem nō paratam ſolicitare. Tum etiam, quia homo eſt dominus ſuarum actionum ſpiritualium; non tamen bonorum corporis, vitæ ſcilicet, & ſalutis, nec actionum ſpiritualium alterius: Vnde ne in his damnum inferat, poteſt violenter detineri; non tamen poteſt illi fieri vis à nemine, niſi forte iudex, aut prælatus ſit, ne fornicetur, aut luxurioſe viuat, etiam

ſi

ſi opes conſumpturus ſit, harum namque etiam eſt dominus.

Si quæras, an quando eſt peccatum reddere rem alienam, ſit ſolum contra charitatem, an etiam contra iuſtitiam; ita vt reddens teneatur reſtituere damna ex tali redditione conſequuta? Reſpondent nonnulli nunquam eſſe contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem: quia, qui rem alienam reſtituit, id non præſtat eo fine, vt damnum proximo ſequatur, ſed ſolum, vt debitum ex iuſtitia impleat: quod autem ſciat petentem velle re illa abuti in proximi iniuriam, non eſt reddentem cooperari ad iniuſtitiam illam, ſed eam non impedire, cum ſine graui damno ſuo id poſſit; ad quod ſolum lege charitatis, & non lege iuſtitiæ tenetur.

Oppoſitum tamen aſſerendum eſt cum aliis. Hic enim ad iniuſtitiam illam opem fert, & inſtrumenta confert, ergo non ſolum non impedit eam, ſed etiam ad eam cooperatur, eiuſque cauſa eſt, & contra iuſtitiam peccat; ex hac enim tenetur ad non dandam opem, aut non conferendum inſtrumenta ad damnum inferendum proximo. Vnde in Leg. *Si pignore* §. 4. ff. De furtis dicitur: *Qui ferramenta ſciens commodauerit ad effringendum oſtium, vel armarium: vel ſcalam ſciens commodauerit ad aſcendendũ licet nullum eius conſilium principaliter interuenerit ad furtum faciendum, furti tamen actione tenetur*. Et capit. *Si tua culpa*, De iniuriis, & damno dato, ſic habetur: *Si*

tua

tua culpa datum eſt damnum, vel iniuria irrogata, ſeu alijs irrogantibus, opem forte tulisti, iure ſuper his ſatisfacere te oportet. Igitur aſſerendum eſt; ſi damnum, quod ſequitur, tantum eſt contra charitatem, ipſam etiã redditionem rei ſolum eſſe contra charitatem. Si tamen contra iuſtitiam ſit damnum, ipſam quoque redditionem rei eſſe contra iuſtitiam, & obligationem reſtitutionis damni conſequuti inducere: ad hoc enim damnum reſtituendum cogeretur reddens in foro externo, ſententia autem iudicis, quæ non fundatur in falſa præſumptione, non obligat de nouo ad reſtitutionem, ad quam antea non tenebatur reus in foro conſcientię.

Ad primum vero reſpondetur, qui petit rem ſuam, vt damnum inferat ſibi, aut alteri, vti iure ſuo materialiter, & quantum ad ſubſtantiam actus; non tamen formaliter ſecundum rationem iuſtitiæ, prout eſt virtus requirens circumſtantias virtutis. Vnde ſicut vxor marito petenti debitum in Eccleſia, aut publica platea, non tenetur reddere, licet ille vtatur iure ſuo materialiter: ita hic petenti rem ſuam non eſt reſtituenda.

Ad ſecundum reſpondetur, in illo caſu, qui detinet rem, teneri admonere iudicem de periculo, quod timetur contra proximum. Si autem nihilominus cogatur reddere illam, quia ſine ſui detrimento detinere non poteſt, excuſabitur à culpa.

Ad

Ad tertium reſpondetur negando conſequentiam: quando enim timetur graue detrimentum ex reſtitutione rei; dãnum ſequutum ex eius redditione non eſt reddenti voluntarium etiam indirecte; nam ad hoc voluntarium, vt diximus prima ſecundæ, q 6. art. 3. requiritur, vt homo teneatur; nullus autem tenetur cum tanto ſuo periculo, & detrimento damnum alterius impedire: tenetur vero, qui abſque vllo ſuo detrimento poteſt.

Dubium 3. An qui accipit aliquid propter rem illicitam, & contra legem, teneatur illud reſtituere.

Pars affirmans probatur primo. Res illicita, & mala, actioque peccaminoſa, cum ſit nullius valoris, ſed omnino tanquam vilis, turpis, & inutilis fugienda, venalis non eſt; ergo ficut qui aliquid accipit pro re ſacra, & ſpirituali, quia vena lis non eſt, tenetur illud reſtituere, ita & qui accipit pro re illicita, & mala. Vnde Iudas Matth. 27. verſ. 3. *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus*. Quos ſcilicet ab illis acceperat, vt eis Chriſtum traderet.

Secundo, ſententia iuſta à iudice lata non eſt venalis, nec poteſt iudex aliquid pro ea accipere, nec acceptum retinere; ergo à fortiori ſententia iniqua non eſt venalis, nec poterit pro ea aliquid recipi,

nec

nec receptum retineri. Antecedens patet ex D. Auguſtino Epiſt. 54. ad Macedoniū, & ex cap. *Non ſane*, 14. q. 5. vbi ſic dicitur; *Non debet iudex vendere iuſtum iudicium, aut teſtis verum teſtimonium*. Conſequentia probatur ex eiſdem locis vbi ſubditur: *Cum autem iudicia, & teſtimonia, quæ nec iuſta nec vera vendenda ſunt, iniqua, & falſa venduntur, multo ſceleratius vtique pecunia ſumitur*. Ergo cum ſceleratius ſit, multo magis reſtituenda eſt pecunia accepta pro iniqua ſententia.

Tertiò, qui accipit aliquid, vt faciat, quod tenetur facere, aut omittat, quod tenetur omittere, illud tenetur reſtituere; ergo, & qui accipit, vt faciat opus malum, quod tenetur omittere, aut vt omittat opus bonum, quod tenetur facere. Antecedens probatur, ex L. *Vt puta* ff. De condictione ob turpem cauſam, vbi dicitur: *Si dedero ne hominem occidas, condici poſſe. Item ſi tibi dedero, vt mihi rem apud te depoſitam reddas*. Tum etiam, quia id ad quod tenemur, gratis præſtare debemus, ergo non poſſumus pro illo aliquid accipere.

Dicendum tamen eſt 1. Qui contra legē accipit aliquid, illud reſtituere teneri: Si tamen acceptio non ſit cōtra legem, etiāſi res, pro quà accipitur ſit illicita, & contra legem, qui aliquid accipit, non tenetur illud reſtituere. Vtramque concluſionis huius partem docet Diu. Thom. hic ad 2. Primam illis verbis: *Et quia etiam ille qui accipit, non debet ſibi retinere*. Secundam illis:

lis: *Sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem. Vnde mulier poterit ſibi retinere, quod ei datum eſt.*

Vtramque etiam partem docet S. Doct. ſupra q. 32. ar. 7. & clarius in 4. d. 15. q. 2. ar. 4. quæſtiunc. 2. vbi ſic habet: *Aut lex prohibuit ipſum lucrum, vel cauſam lucri tantum. Si ipſum lucrum eſt prohibitum, tunc impoſſibile eſt, quod iuſte detineatur. Ex hoc enim ipſo efficitur aliquis iniuſti tituli, & malæ fidei poſſeſſor; quia contra legem aliquid habet.* Ecce primam concluſionis partem; ſubdit vero: *Si autem lex prohibuit actum, ex quo lucratur, ſed non lucrum, ſuppoſito actu, tunc quamuis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo non facit contra legem: ſicut cum quis de lenocinio, vel meretricio lucratur, & ideo hæc retineri poſſunt.* En ſecundam partem.

Probatur deinde prima pars ratione D. Thom. iniuſti tituli, & malæ fidei poſſeſſor reſtituere tenetur, quod poſſidet: ſed qui aliquid accipit, & habet contra legem, eſt iniuſti tituli, & malæ fidei poſſeſſor, vt ait S. Doctor; ergo illud tenetur reſtituere.

Si quæras, an reſtituere teneatur ſtatim ante iudicis condemnationem? Reſpondeo Quando acceptio ſecundum ſe iniuſta, & contra legem naturę eſt, ad reſtitutionem ſtatim ante ſententiam iudicis obligari, qui aliquid accipit, illud reſtituere. Docet tamen Caietanus ſupra q. 32. a. 7. §. *Aliter*, tunc ſolam acceptionem eſſe hoc modo iniuſtam, quando accipitur pretium pro rein-

reinuendibili, vt in ſimonia: *Et ſimile eſt in ſubuerſione iuſtitiæ, non enim eſt vendibilis iniuſtitia.* Quod intelligendum eſt de iniuſtitia, vt ſic, ſeu quatenus eſt formaliter peccatum.

Cui autem, qui accipit, teneatur reſtituere, explicat D. Thom. hic ad 2. dicens: *Debet in pios vſus conuertere.* M Soto lib. 4. de Iuſtitia q. 7. art 1. ad 2. in fine id exponit, poſt condemnationem: nam ſtando in iure naturali inquit: *Ante condemnationem facienda eſt reſtitutio ei, qui dedit.*

Quando verò acceptio non eſt ſecundũ ſe mala, & iniuſta, ſed quia prohibita iure humano, non ſtatim, & ante condemnationem tenetur, qui aliquid accipit, reſtituere, niſi lex ſit irritans, & inhabilem faciat hominem ad recipiendum. Si enim talis non fuerit, licet prohibeat acceptionem, non tam tranſlationem dominij, ſed repetitionem concedit, vt in ludo. Vnde quod de lucro illicito, & prohibito legibus ciuilibus docet D. Thom. ſupra q. 32. ar. 7. ad 2. *Apud illos, qui ſunt huiuſmodi, legibus obſtricti tenentur vniuerſaliter ad reſtitutionẽ, qui lucrantur.* Eponit M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 5. art. 2. con. 4. circa finem: *Vel intelligit, quando lex ciuilis exprimeret non tranſferendum dominium. Aut intelligit, quod reſtituatur, ſi repetatur.* Ac proinde ad reſtitutionem teneri poſt iudicis condemnationem, non ante. Vide quę dicemus infra q. 66. ar. 1. dub. 5.

Secunda pars concluſionis manifeſta

eſt;

eſt; ſi enim acceptio non eſt contra legem, etiam ſi res, pro qua accipitur, ſit illicita, acceptio licita erit, ſicque, qui aliquid accipit, non tenebitur illud reſtituere. Exemplum ponit D. Thom. in lenonibus, & meretricibus, & idem eſt de ſicariis, licet enim pro neſario opere pretium accipiant; quia tamen acceptio talis pretii non eſt contra legem aliquam illam prohibentem, retineri poteſt tale pretium, & nō neceſſario debet reſtitui.

Medina, C. de rebus reſtituendis q. 20. exiſtimat, acceptionem pretii pro re illicita ſemper eſſe contra legem, & illicitam; ſicque non poſſe aliquid accipi pro re, quæ eſt illicita, & contra legem, quin acceptio ipſa illicita, & contra legem ſit, præſertim ſi res, pro qua accipitur, ſit ſecundum ſe iniuſta, & contra legem naturæ, (qualis eſt fornicatio, & homicidium) & quod accipitur, ſumatur, vt pretium, & non titulo liberalis donationis. Ex quo infert, meretricem non poſse pretium proſtibuli recipere, nec retinere velut pretium illi neſario operi reſpondens: niſi alia cauſa concurrat nempe donatio ipſius dantis, qui liberè vult illi donare. Ex quo vlterius inferunt alii Medinæ opinioni adhærentes, & ea ſuppoſita bene, neminem teneri ad ſoluendum meretrici pretium operis neſarii: de quo vide Dianam 2. part. tract. 2. miſce. reſ. 40.

Si Medina, & eius ſequaces loquerentur ante operis conſummationem, verum aſſererent:

rerent:

rent: non enim licet accipere aliquid inducens ad peccatum; nec retinere; ſicque illud reddere tenemur, & contractum reſcindere iuxta illud, In male promiſſis reſcinde fidem. Tunc tamen etiam eſſet diſtinguendum de obligatione: nam qui pretio accepto pro homicidio v. g. patrando, intentioně haberet hoc implendi occaſione oblata, ſolũ ex charitate teneretur reddere pretium ante operis conſummationem. Qui vero non haberet intentionem huiuſmodi, aut non conſummaret opus, ex iuſtitia teneretur pretium acceptum pro tali opere reſtituere; non ſecus, ac conductus ad vineam excolendam, ſi non haberet intentionem operandi, aut non operaretur in ea, pretium acceptum pro operatione reſtituere teneretur ex iuſtitia.

Sed auctores prædicti loquuntur etiam opere conſummato conuicti argumentis factis in huius dubij principio: quare contra illos probandum eſt, opere conſummato, etiam ſi peccaminoſum ſit, poſſe pro illo pretium accipi, & acceptum retineri.

Et quidem ſi opus non ſit malum ex ſuo genere, ſed ſolum ratione circumſtantię extrinſecæ, nempe loci, aut temporis, vel finis &c. manifeſtum eſt: qui enim merces ſuas vendit in loco ſacro, in quo nő licet eas vendere, licet peccet vendendo, non peccat, poſtquam eas vendidit, pretium illarum accipiendo, nec tale pretium tenetur reſtituere. Qui etiam in die feſto opus ſeruile facit, licet peccet hoc faciendo,

do, non tamen hoc opere conſummato ſtipendium accipiendo; nec tenetur reſtituere tale ſtipendium. Denique, qui gladium conficit, aut acuit, vt alter hominem interficiat, quamuis peccet gladium conficiendo, vel acuendo hoc fine, non tamen poſt opus confectū pretium accipiendo, nec tenetur tale pretium reſtituere: ſicut nec qui venenum vendit ad hominem occidendum.

Probatur etiam, quando opus eſt peccatum ex genere, cum M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 7. art. 1. ad 2. Peccata enim licet ratione culpæ, & formaliter accepta nullius ſint valoris, cum ſint nihil, iuxta illud Ioãne 1. v. 3. *Sine ipſo factum eſt nihil.* Hoc eſt peccatum, vt ibi exponit S. Aug. tamen materialiter ſumpta, quatenus ſunt quædam actiones humanę libere factæ, delectabiles, ac vtiles vni, alteri verò laborioſę, ac periculoſę, pretio æſtimari poſſunt, ſicut, & reliquæ actiones humanæ, quæ ad humanos vſus accommodantur, & humanæ vitæ ſunt conducibiles; ergo pretium pro illis opere conſummato accipi poteſt, & acceptum retineri, nec tenetur reſtituere, qui illud accipit. Quia tamen inter hæc opera nefaria, quantum ad hoc nonnulla eſt differentia, humano iure præſertim ſpectato; ideo de illis ſpecialius agendum videtur.

Dicendum eſt 2. Meretrices, neque iure diuino, neque humano obligari ad reſtituendum, quod pro opere nefario fornica-

tio-

tionis acceperunt. Docet hoc Diuus Thomas, hic ad ſecundum, & alijs locis citatis con. præced. vt patet ex verbis ibi relatis.

Deinde non teneri ad reſtituendum iure naturæ, ac diuino, indicat cura, & ſolicitudo Iudæ ad ſoluendum Thamar, quam meretricem ſuſpicatus eſt, quod ei pro concubitu promiſerat Gen. 38. Idem etiam inſinuat illud Prouerb. 6. verſ. 26. *Pretium ſcorti vix eſt vnius panis*. Licet enim vile ſit, pretium tamen eſt, quod meretrix retinere poteſt. Nec obſtat quod dicitur Deut. 23. v. 18. *Nec offeras mercedem proſtibuli*. Hoc enim non eſt, quia iniuſtum ſit, ſed propter ſacrorum reuerentiam, vt ait Diu. Thom. ſupra quæſt. 32. art. 7. ad 2. propter quam ibidem ſubditur: *Nec pretium canis*, nempe venatici, aut cuſtodis ouium, qui locabatur ad impregnationem canicularũ, vt cum Ioſepho exponit Lyra. Idem denique probat ratio facta in 2. p. con. præced. cum M. Soto contra Medinam.

Præterea, nec etiam teneri ad reſtituendum iure humano, probatur ex L. *Idem*, ff. De condictione ob turpem cauſam, vbi dicitur: *Quod meretrici datur, repeti non poteſt*. Et additur: *Illud turpiter facere, quod ſit meretrix, ſed non turpiter accipere, cum ſit meretrix*. Neque huic opponitur quod in l. 2. C. De dona inter virum, & vxorem iubetur, nempe reſtitui cuidam militi ancillam, quam ipſe donauerat concubinæ. Nam hinc ſolum colligi poteſt, quod cum

Adria-

do, non tamen hoc opere conſummato ſtipendium accipiendo; nec tenetur reſtituere tale ſtipendium. Denique, qui gladium conficit, aut acuit, vt alter hominem interficiat, quamuis peccet gladium conficiendo, vel acuendo hoc fine, non tamen poſt opus confectũ pretium accipiendo, nec tenetur tale pretium reſtituere: ſicut nec qui venenum vendit ad hominem occidendum.

Probatur etiam, quando opus eſt peccatum ex genere, cum M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 7. art. 1. ad 2. Peccata enim licet ratione culpæ, & formaliter accepta nullius ſint valoris, cum ſint nihil, iuxta illud Ioãne 1. v. 3. *Sine ipſo factum eſt nihil*: Hoc eſt peccatum, vt ibi exponit S. Aug. tamen materialiter ſumpta, quatenus ſunt quædam actiones humanę libere factæ, delectabiles, ac vtiles vni, alteri verò laborioſę, ac periculoſę, pretio æſtimari poſſunt: ſicut, & reliquæ actiones humanæ, quæ ad humanos vſus accommodantur, & humanæ vitæ ſunt conducibiles: ergo pretium pro illis opere conſummato accipi poteſt, & acceptum retineri, nec tenetur reſtituere, qui illud accipit. Quia tamen inter hæc opera nefaria quantum ad hoc nonnulla eſt differentia, humano iure præſertim ſpectato; ideo de illis ſpecialius agendum videtur.

Dicendum eſt 2. Meretrices, neque iure diuino, neque humano obligari ad reſtituendum, quod pro opere nefario fornica-

tionis acceperunt. Docet hoc Diuus Thomas, hic ad ſecundum, & alijs locis citatis con. præced. vt patet ex verbis ibi relatis.

Deinde non teneri ad reſtituendum iure naturæ, ac diuino, indicat cura, & ſolicitudo Iudæ ad ſoluendum Thamar, quam meretricem ſuſpicatus eſt, quod ei pro concubitu promiſerat Gen. 38. Idem etiam inſinuat illud Prouerb. 6. verſ. 26. *Pretium ſcorti vix eſt vnius panis*. Licet enim vile ſit, pretium tamen eſt, quod meretrix retinere poteſt. Nec obſtat quod dicitur Deut. 23. v. 18. *Nec offeras mercedem proſtibuli*. Hoc enim non eſt, quia iniuſtum ſit, ſed propter ſacrorum reuerentiam, vt ait Diu. Thom. ſupra quæſt. 32. art. 7. ad 2. propter quam ibidem ſubditur: *Nec pretium canis*, nempe venatici, aut cuſtodis ouium, qui locabatur ad impregnationem canicularũ, vt cum Ioſepho exponit Lyra. Idem denique probat ratio facta in 2. p. con. præced. cum M. Soto contra Medinam.

Præterea, nec etiam teneri ad reſtituendum iure humano, probatur ex L. *Idem*, ff. De condictione ob turpem cauſam, vbi dicitur: *Quod meretrici datur, repeti non poteſt*. Et additur: *Illud turpiter facere, quod ſit meretrix, ſed non turpiter accipere, cum ſit meretrix*. Neque huic opponitur quod in l. 2. C. De dona inter virum, & vxorem iubetur, nempe reſtitui cuidam militi ancillam, quam ipſe donauerat concubinæ. Nam hinc ſolum colligi poteſt, quod cum

Adriano tract. De reſtit. §. *Oritur alia quæſtio*, nonnulli colligunt, milites gaudere priuilegio repetendi in iudicio quod meretricibus donarunt. Ego tamen exiſtimo, hoc priuilegium non eſſe de pretio moderato pro meretricio actu, ſed de ſuperfluo, & exceſſiuo, quod extorquent fictis verbis, ac blanditijs; hoc enim indicant hæc legis illius verba: *Milites tamen meos à focarijs ſuis hac ratione fictiſque adulationibus expoliari nolo*,

Si quæras, an idem ſit iudicium de alijs mulieribus, quæ occulte ſuorum corporum copiam faciunt? Reſpondet M. Soto vbi ſupra: has multo iuſtius poſſe pretium recipere, quippe, quæ ob honeſtatem maiorem pluris ſint æſtimandæ. Ex quo nonnulli colligunt, poſſe eſſe aliquam mulierem adeo celebrem, vt pro copia ſui corporis centum aureos, immo, & plures poſſet exigere, nam tanti poſſet ſuam honeſtatem æſtimare.

De virginibus conſtat, non poſſe ab eis repeti, quod datum eſt pro actu, quo ſuã virginitatem amiſerunt, ex L. *Idem* ff. De conditione ob turpem cauſam, quæ ſic habet: *Idem ſi ob ſtuprum datum ſit, ceſſat enim repetitio*.

Nuptis non obſtat, dominiũ corporis earum eſſe apud maritum, Nam ipſæ ſaltem ſunt dominę actionis liberæ, qua vſum corporis tradunt, & pro hac poſſunt pretium recipere. Hoc tamen pretium dicunt, quidam reponendum eſſe in communi theſau-

ſauro mariti. Mag. Soto vbi ſupra inquit, idem eſſe iudiciũ de hoc pretio, ac de alijs, quæ labore manuum ſuarum acquirunt nuptæ, & quæ ſunt ſub cura parentum: poteſt enim nupta clam marito, & filia clam patre illud in ſuos vſus conuertere. Ait etiam M. Soto inter has mulieres, & publicas meretrices hanc eſſe differentiam quantum ad forum iudiciale; quod meretrici datur in iudicio actio petendi pretiũ: ei autem, quæ non eſt in publico loco expoſita, denegabitur, quia illis ſolis lege decreta ſunt pretia. Vxores autem, & filiæ familias non ſolum à iudicio arceantur, ne petant, verum etiam in pœnam ſui criminis priuabuntur acquiſito pretio. Sed tamen ante condemnatione iure naturę illis debetur, & poteſt quælibet mulier mercedem recipere pro voluptate, quam vir capit, ſicut, & poſſet, vt prolem illi gigneret.

Maſculum etiam à fœmina pretium recipere poſſe dicit M. Soto ſicuti (inquit) Alexander iure naturæ potuit à duce illa Amazone, quæ illum gratia recipiendæ prolis inuiſit, quod & præce, & pretio, vt fertur, impetrauit. Alii addunt, poſſe etiam maſculum ab alio maſculo pretium recipere, quia libidini eius deſeruijt.

Aduertendum tamen eſt, quod hic ad 2. àddit D. Thom. de meretrice loquens: *Sed ſi ſuperfluè aliquid per fraudem, & dolum extorſiſſet, teneretur eidem reſtituere.* Ei ſcilicet, qui dedit. Exemplum eſt, ſi fingeret ſe

eſſe virginem, aut non cognitam, niſi ab vno, eoque magnate, aut nullum alium amatorem eſſe admiſſuram, ob idque maius pretium exigeret, & acciperet, quem ex natura rei meretur. Si ſolis blanditiis, & verbis amatoriis communibus hoc extorqueret, non teneretur reſtituere. At ſi extraordinariæ, & exorbitantes eſſent, ita vt inuoluntarium mixtum inducerent, donationem inualidam redderent, & ſic accepta reſtitutioni obnoxia eſſent; vt docet Caiet. ſupra q. 32. art. 7. § *Ad hoc dicitur*. Similiter ſi fœmina peteret à ſuo amaſio aliquid pretioſum coram aliis perſonis, ſicque ille, ne amitteret ſuum honorem, cogeretur concedere, teneretur fœmina illud non recipere, & receptum reſtituere, quia ſic licet inuoluntariè mixtè ei datum eſſet.

An vero ſi amaſius mulieri aliquid ſuperfluum ſponte promitteret, teneretur promiſſum ſoluere? Reſpondet M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 7. art. 1. ad 2 §. *An vero. Teneri in conſcientia: quia ius hoc naturale docet: niſi exceſſus ad prodigalitatem pertingeret. Nam tunc male promiſſum eſſet, in quo reſcindenda eſſet fides, etiam ſi cum iuramento eſſet promiſſum: nam iuramentum de re illicita non obligat*. Idem docent M. Bañes hic dub. 5. con. 3. M. Salon controuerſia 4. con. 3. & communiter diſcipuli D. Thom. & alii fere omnes. Hanc doctrinam negandam eſſe cum Molina aſſerit Sanchez lib. 1. de matrimonio diſp. 14. ad 1. etiam quamuis pro-

miſ-

miſſio prodigè, & cum peccato veniali fiat; in executione tamen nulla eſt prodigalitas, ſed debiti impletio. Hic tamen auctor manifeſtè fallitur: ſi enim exceſsus eius, quod promittitur, ad prodigalitatem pertingit, non poteſt in promiſſionis executione nulla eſſe prodigalitas, cum conſtet prodigalitatem eſſe illud dare abſque promiſſione, & promiſſionem non auferre rationem prodigalitatis, ſicut nec promiſſio mentiendi aufert rationem mendacii. Si autem adimpletio promiſſi prodigalitas eſt, vt expreſsè aſſerunt ſupradicti, præſertim Mag. Bañes, etiam ſi cum iuramento quis illud promiſiſſet, manifeſtum eſt non teneri illud ſoluere: nam iuramentum promiſſorium de re illicita, qualis eſt prodigalitas, quæ ad minus peccatum veniale eſt, non eſt validum, nec obligatorium. Si tamen de facto daret amaſius prodigè, factum teneret, & mulier dominium accepti haberet, niſi forte amaſius eſſet filius familias, & datum excederet, quod ille ex voluntate interpretatiua patris poteſt expendere.

Dicendum eſt 3. Criminoſi alii licet iure naturæ non teneantur, probabile tamen eſt iure humano obligari ad reſtituendum acceptum præſertim pro delictis, quæ ſunt contra iuſtitiam, ſtatim, & ante iudicis ſententiam. Probabile etiam eſt oppoſitum. Prima pars patet ex dictis con. 1.

Secunda pars patet etiam, nam illam docent quamplures iuriſperiti, & ex theo-

logis, quod attinet ad acceptum pro delictis contra iuſtitiam, inter alios Mag. Soto lib.4.de Iuſtitia, q.7.art.1. ad 2. §. *Secundus ergo modus*.

Probatur deinde, Stipulatio, & promiſſio pretii pro delicto præſertim contra iuſtitiam eſt inualida, & nulla iure humano; ergo pretium, quod pro tali delicto accipitur, verbi gratia pro homicidio, non fit accipientis, ſicque ante iudicis ſententiam reſtituendum eſt. Conſequentia patet: Tum quia ſi tale pretium poſset retineri, etiam poſset promitti valida promiſſione. Tum etiam, quia tale pretium ſemper accipitur ex vi alicuius promiſſionis, pacti, & contractus, quo vnus promiſit aliquid facere, & alter pretium dare; ergo ſi id, ex vi cuius accipitur, ſit irritum, & nullum, non poteſt pretium fieri accipientis. Antecedens verò probatur: Tum ex L. *Iuris gentium*, ff. De pactis, vbi dicitur: *Si vt maleficium fiat promiſſum ſit, nulla eſt obligatio ex hac conuentione*. Tum etiam ex L. *Si plagij*, ff. de verb.oblig.quæ ſic habet: *Si plagij faciendi, vel facti accepta eſt ſtipulatio ab initio non valet*. Tum denique ex L. *Generaliter*, eod.tit.quæ eſt huiuſmodi: *Generaliter nouimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti*. Cuius exempla in lege ſequenti ponuntur: *Veluti ſi quis homicidium, vel ſacrilegium ſe facturum promittat*. Quorum primum contra iuſtitiam eſt, ſecundum nequaquam, niſi forte materialiter, ſed contra religionem, quæ ſolum eſt pars iuſtitiæ potentialis. Vnde

de per delicta contra iuſtitiam etiam hic intelligenda eſse exiſtimo, quæ ſunt contra partes iuſtitiæ potentiales, aliiſque ſiue Deo, ſiue hominibus iniurioſa ſunt. Non tamen ea, quæ ſolùm ſunt contra iuſtitiam ratione alicuius circumſtantiæ, alias enim mulier conjugata reſtituere teneretur pretium, quod accipit pro actu impudico, qui ratione circunſtantiæ perſonæ adulterium, & contra iuſtitiam eſt.

Si quæras cui reſtituendum ſit pretium acceptum pro delicto contra iuſtitiam? Reſpondet Magiſter Soto vbi ſupra, reſtituendum eſse ei, qui dedit. Nam etſi recipiens legibus prædictis irritantibus contractus potuit fieri inhabilis ad recipiendum, quod non erat ſuum; alter tamen, qui dedit, non potuit re ſua niſi per iudicis ſententiam expoliari, ſicque ante ſententiam illi eſt facienda reſtitutio; non fiſco, cui in iure largitio illa addicitur, ac per ſententiam iudicis pretium eſt applicandum.

Tertia pars etiam patet: nam illam docent communiter recentiores, illam etiam docuiſse Magiſtrum Orellana refert Mag. Ledeſma ſecunda parte Sum. tract. octauo capite vndecimo concluſ. 8. difficultate prima.

Probatur deinde: nam in L. 3. ff. De condictione ob turpem cauſam dicitur: *Vbi dantis, & accipientis turpitudo verſatur, nõ poſſe repeti dicimus, veluti ſi pecunia detur, vt male iudicetur*. Et L. 4. *Idem ſi ob ſtuprum*

datum ſit; ceſſat enim repetitio. Et L. 8 *Porrò autem. ſi, & dantis, & accipientis turpis cauſa ſit, poſſeſſorem potiorem eſſe, & ideò repetitionem ceſſare, tametſi ex ſtipulatione ſolutum ſit.* Ex his autem colligi, transferri dominium, etiam quando delictum eſt contra iuſtitiam, & iniurioſum, pretiumque pro illo datum fieri accipientis, oſtendo: Tum quia ex quarta L. citata colligit Mag. Soto datum pro ſtupro fieri ipſius violatæ virginis, ad illamque transferri dominium: cum ex 3. L. etiam citata non poterit colligi ſimile, quando pecunia datur, vt malè iudicetur, quod eſt contra iuſtitiam? Tum etiam, quia quod repeti non poteſt à dante, accipientis factum eſt, illiuſque dominium accipiens acquiſiuit, & non tenetur reſtituere. Si dicas, repetitionem ſolum negari danti à legibus prędictis in foro iudiciali; in foro tamen conſcientiæ poſſe fieri ex vi legum citatarum pro ſecunda parte concluſionis, quia per illas accipiens fit inhabilis ad recipiendum, quod non erat ſuum, & dans non expoliatur re ſua ante iudicis ſententiam. Contra hoc eſt; nam potius leges citatę pro ſecunda parte concluſionis ſolum decernunt, promiſſiones, ſtipulationes, & conuentiones eſſe nullas quantum ad obligationem ciuilem, ob quam poſſit in iudicio peti promiſſum; non tamen quantum ad obligationem naturalem, quæ ex eis oritur opere completo, ſicque non reddunt irritam acquiſitionem rei, quæ datur, nec faciunt accipien-

tem inhabilem ad comparandum eius dominium. Confirmatur, iure humano, ſicut nec diuino, non tenetur miles reſtituere ſtipendium, quod accepit in bello iniuſto; ergo nec tenetur ſicarius reſtituere pretium, quod accepit, vt hominem occideret, opere completo, ante iudicis ſententiam.

Ad 1. verò factum in principio reſpondetur ex dictis con. 1. rem illicitam, vt illicita eſt, & peccatum formaliter, non eſſe venalem, neque alicuius valoris; ſicque illum, qui pro ea, vt ſic, nempe ſolum, vt Deum offenderet, & in peccato eſſet, aliquid acciperet, non poſſe retinere acceptum: venalem tamen eſſe, & pretio æſtimabilem actionem, quæ eſt materiale peccati. Etenim quantum ad humanos vſus, vnde ſumitur valor rerum, eiuſdem rationis eſt occiſio hominis facta à ſicario, & à carnifice iuſtitiæ miniſtro, quam pro ea pretium accipere poſſe conſtat. Exemplum autem Iudę proditoris nihil probat; nam etiam laqueo sè ſuſpendit: vnde, & quod ſibi non licebat, fecit, & ad quod non tenebatur.

Ad 2. reſpondetur, in ſententia iuſta lata à iudice duo eſſe conſideranda. Primum, quod ſit iuſta. Secundum, quod ſit actio maximè vtilis, & neceſſaria Reipublicæ, egens multo labore, & examine actorum, & probationum. Ratione primi non eſt venalis, nec pro ea poteſt iudex aliquid accipere. Ratione ſecundi poteſt iudex ha-

bere ſalarium à Republica: vnde D. Tho. infra q.71.art.4.ad.3 ait: *Iudicibus de publico ſunt ſtipendia laboris ſtatuta, & teſtes accipiunt, non quaſi pretium teſtimonij, ſed quaſi ſtipendium laboris, & expenſas*. In ſententia iniuſta duo ſimiliter conſiderari poſſunt: nempe quod ſit iniuſta, quod ſit actus vtilis ei, in cuius fauorem fertur, & laborioſa, & periculoſa iudici. Concedimus ergo, quod ſicut ratione primi non eſt venalis iuſta ſententia: ita nec ratione primi ſententia iniuſta, & hoc aſſerit S. Aug. Sicut enim non debet iudex vendere iuſtum iudicium, aut teſtis verum teſtimonium: ita nec debet vendere iniuſtum, aut falſum, hocque multo minus, nam ſceleratius eſt hoc vendere. Si vero ſit ſermo de ſententia iuſta, vel iniuſta ratione ſecundi, dico: iudicem, qui vltra iuſtum ſtipendium, quod habet à Republica pro labore, & vtilitate actionis iuſtæ ſententiæ, aliquid aliud exigeret, ac reciperet, peccaret, & reſtituere teneretur: nam vt dicitur in capit. *Militare* 23. quæſt. 1. *Quicunque ſtipendia publicè decreta conſequitur, ſi amplius quærit, tanquam calumniator, & concuſſor Ioãnis ſententia condemnatur*. Si tamen aliquid acciperet pro actione iniquæ ſententiæ, quatenus ipſi eſt periculoſa, & alteri vtilis, non teneretur id reſtituere: quia, vt ſic eſt pretio æſtimabilis, & pro illa, vt ſic non habet ſtipendium à Republica. Sicut ſi carnifex, non auctoritate iudicis, ſed rogatus ab aliquo noctu, aliquem ſuſpenderet,

ret, poſſet pro hac occiſione pretium accipere, quia ſolum habet ſalarium ad occidendos quos iudex condemnat.

Ad 3. M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 7. art. 1. ad 2. §. *Retrocedendum*, reſpondet diſtinguendo de eo, ad quod tenemur: nam vel tenemur ex iuſtitia, vel ex charitate, & alijs virtutibus. Si ex iuſtitia, id quod pro illo datur, condici poteſt, hoc eſt repeti à dante, vt probat lex citata in argumento. Si tamen non repetat, ad nullam reſtitutionem tenebitur accipiens: nam lex citata translationem dominij non prohibet, ſed repetitionem concedit, vt in ludo. Vnde ſi alicui darem decem aureos, ne homicidium, aut furtum faceret, poſſem quidem poſtea illos repetere; ſi tamen non repetam, ille non tenetur mihi illos reſtituere: *Nam etſi ille gratis tenetur abſtinere, nihilominus, quia in gratiam mei abſtinet, alioquin mala illa facturus, poteſt iure naturæ pro ſua illa voluntate pretium ex me recipere*. Si ex charitate, aut aliis virtutibus ſolum tenemur, id quod pro illo datur alicui, hic recipere poteſt, & ad reſtitutionem non tenetur, neque daretur danti repetitio. *Quoniam lex illa pœnalis reſtringenda eſt ad ſuum ipſius exemplum: quod non profert, niſi in vitijs habentibus iniuriam annexam*. Quale eſt homicidium: aut in his, ad quæ ex iuſtitia tenemur, quale eſt reddere depoſitum.

Mag. Bañes hic dubio quarto hoc ſecundum quod aſſerit M. Soto, de accipiente pretium pro his, ad quæ tenetur ex chari-

tate, abſque vlla limitatione admittit, & confirmat exemplis medici, & aduocati; quorum primus extremè indigentem curare debet, ſecundus eidem patrocinari ex charitate, & tamen neuter, ſi recipiat pretium, tenetur illud reſtituere. Primum vero, quod M. Soto aſſerit de accipiente pretium pro his, ad quæ tenetur ex iuſtitia limitat ad id, quod quis tenetur ex iuſtitia, reſpectu tertij: nam ſi ex iuſtitia tenebatur præſtare ipſi danti, non poteſt pro illo pretium accipere; nec retinere, ſed illud debet in foro conſcientiæ ante omnẽ iudicis ſententiam reſtituere. Vt ſi pretium accipiat à me, ne me occidat, ne contra me iniuſtam ſententiam ferat; aut pro me ferat iuſtam. Tunc enim pro re non ſua, ſed mea accipit pretium, & ego inuoluntariè mixtè do, vt meam redimam vexationem, ac proinde non transfero dominium, & qui accipit, non acquirit illud, ſicque pretium nequit retinere, ſed reſtituere tenetur.

Alijs etiam cum hac limitatione difficilis videtur M. Soto doctrina. Tum quia id, quod quis tenetur, ſiue teneatur ex iuſtitia, ſiue ex charitate, gratis debet præſtare: ſed id, pro quo pretium accipitur, non exhibetur gratis, ſed pro pretio; ergo pro illo non poteſt pretium accipi, nec eſt illud pretio æſtimabile. Tum etiam, quia, ſi quoniam in gratiam mei præſtat, poſſet pro ſua voluntate pretium ex meis recipere, etiam vſurarius poſſet recipere

pre-

pretium ex me, quoniam in mei gratiam dat mutuum alteri, & iudex, quoniam in mei gratiam fert iuſtam ſententiam in fauorem alterius, & collator beneficii, quia in mei gratiam huic confert: ſed hoc eſt falſum; ergo, &c.

Vnde iſti auctores dicunt pro his nihil poteſt recipi, vt pretium; bene tamen ex liberalitate donatum. Cenſetur autem (inquiunt) liberaliter donatum, quando id, pro quo datur, ſolum cadit in commodum accipientis, vel in honorem Dei: nemo enim emit ab alio actiones, vel omiſſiones liberas illi ſoli commodas, vel Deo honorificas, ad quas tenetur, ſed ſi quid pro illis offert, vel dat, cenſetur datum in bonum illius, vel ad honorem Dei mere liberaliter. Ex quo ſequitur, eum, qui aliquid accipit ab altero, vt fiat Chriſtianus, vt confiteatur in paſchate, vt non fornicetur, vt nõ blaſphemet, poſſe retinere, nec teneri reſtituere, niſi repetatur in iudicio. Quãdo autem id, pro quo datur, eſt debitum proximo ex iuſtitia, vel charitate non cenſetur liberaliter, & gratis datum, ſed coactè. Si tamen conſtaret, vel prudenter præſumeretur aliquid datum per modum muneris liberalis ad inclinandum eum, qui accipit, ad bonum opus ex iuſtitia, vel charitate debitum, vel ad eum a malo auertendum, non eſſet reſtituendum, niſi lex poſitiua in aliquo caſu expreſsè inhabilem reddat ad dominium eius rei capiendum, ſicut videtur feciſse Iudices, L. *plebiſcito* 18.

ff. De

ff. De officio præſidis, & L. *ſolent*, §. finali, ff. De officio Proconſulis.

Sed his non obſtantibus doctrinã M. Soto verum eſse exiſtimo; maximè cum limitatione M. Banes. Quod attinet ad ea, ad quæ tenemur ex charitate, veram eſse conuincunt exempla medici, & aduocati adducta à M. Banes. Eius etiam, qui ex charitate tenetur liberare domum proximi ab incendio, & eius, qui tenetur dare equum alteri, vt euadat mortem; vterque enim poteſt recipere pretium, hic equi, ille ſui laboris. Quod attinet etiam ad ea, quæ tenemur ex iuſtitia probatur. Tum quia licet quis ex iuſtitia ad aliquid teneatur, nempe ad nõ occidendum hominem: hoc tamen non debet mihi ex iuſtitia; ergo ſi mei gratia hoc faciat, alioquin non facturus, propter iſtam gratiam, quã mihi facit, quę certè eſt pretio æſtimabilis, poſsum illi dare pretium, & ſi accipiat, non tenetur reſtituere: nam reſpectu mei non peccat contra iuſtitiam, nec in tali acceptione eſt violatio alterius iuris, aut iuſtitiæ meæ, quæ per reſtitutionem ſit reparanda. Tum etiam, quia non occidere hominem eſt pretio æſtimabile: eſt enim illum non priuare vita, pro qua dabit homo cuncta, quæ poſſidet, & ſi libertas poteſt redimi, multo magis vita; ergo niſi alias largitio pretij ſit inuoluntaria, qui pro non occidendo hominem pretium accipit, illud poteſt ſibi retinere, & non tenetur reſtituere, quantumuis ex iuſtitia non teneatur

tur

tur occidere; hęc enim obligatio non tollit valorem, quem talis omiſſio habet ſecundum ſe, neç eſt reſpectu non acceptionis pretii, ſed ſolum reſpectu omiſſionis,ita vt homo non occidat hominem, ſiue hoc fiat pro pretio, aut ſine illo: ſicut, & obligatio medici, qui ex charitate tenetur curare extremè indigentem, ſolum eſt reſpectu curationis, & non reſpectu non acceptionis prætii; illud enim poteſt medicus recipere; immo indigens curatione, ſi diues ſit, tenetur pretium curationis illi ſoluere. Hæc ratio videtur probare, poſſe quoque retineri pretium acceptum ab eo, qui occidendus erat. Sed quia hic nō voluntariè pretium offert, ſed ad redimendam ſuam vexationem, inquit M. Bañes reſtituendum eſse. Nam huiuſmodi omiſſio, licet ſit pretio æſtimabilis; non tamen eſt pro ea neceſsario ſoluendum, ſicut eſt ſoluendum pro re vendita, quam ſi emptor non ſoluat, poteſt, qui vendidit cogere, & pretium coactè ſolutum retinere: Sed ſicut,qui cōtra voluntatem alterius in eius vinea laborat, & qui alteri rem pretio ęſtimabilem gratioſè offert, poteſt quidem pretium accipere, ſi alter voluerit ſoluere; non tamen illum cogere: ita & qui non occidit hominem aliquem, poteſt ab illo pretium pro hac omiſſione accipere, ſi ille liberè dat; non tamen illum cogere; nec ſi ille coactus det, accipere, & retinere.

Ad argumenta autem prędictorum au-

ctorum

ctorum contra hanc doctrinam reſpondetur. Ad 1. falſum eſſe, quod aſſumit id ad quod quis tenetur ex iuſtitia, vel charitate, gratis, & ſine pretio eſſe præſtandum, vt patet ex adductis exemplis medici, & aduocati, & eius, qui poteſt, & tenetur incendium domus extinguere. Patet etiam in eo, qui iuſſus à Rege militare tenetur, non tamen ſuis ſtipendijs, aut gratis; in miniſtris etiam iuſtitiæ, qui ratione officii tenentur capere malefactores; pro eorum tamen captura pretium accipiunt. Longe namque diuerſa ſunt, teneri ad aliquid faciendum, & teneri ad faciendum gratis, & ſine pretio; licet enim illud omnino faciendum ſit, etiamſi non detur pretium ſi tamen ſit, qui det, poteſt accipi.

Ad 2. reſpondetur, diuerſam rationem eſſe de vſurario, & collatore beneficii; ille enim mutuum, hic beneficium gratis dare debet, ita vt non poſſit pretium accipere: quia nec mutuum, nec beneficium eſt venale, aut pecunia æſtimabile; quod autem ex ſe huiuſmodi eſt, pro illo, nec quia fiat in gratiam alicuius pretium accipere licet, alias in gratiam alicuius liceret vſura, vel ſimonia. Illud tamen, ad quod quis tenetur ex iuſtitia, vt non occidere hominem, licet gratis debeat fieri, hoc eſt, etiam ſi non detur pretium, non tamen ita vt non poſſit pro illo pretium accipi, ſi eſt, qui liberè, & non coactè det. Nam quamuis ſit omiſſio, eſt pretio æſtimabilis, cum habeat adiunctam conſeruationem

vitæ, & eiuſdem rationis ſit cum ea, ad quam quis non tenetur, quam pretio æſtimari poſſe conſtat; nam ſæpe iudices ob ſolutam pecuniam ad vſus publicos pœnam mortis remittunt. De ſententia iuſta patet ex dictis non eſſe venalem.

Quod vero prædicti auctores dicunt, ſolum cenſeri liberaliter donatum, quod datur pro eo, quod cadit in commodum accipientis, vel in honorem Dei, nempe vt aliquis non fornicetur, aut non blaſphemet, non caret difficultate: nam cur hoc cenſendum erit liberaliter donatum, & nõ quod datur pro eo, quod eſt debitum proximo, ne ſcilicet parentibus, aut ſuperioribus inobediens ſit?

Ex his patet ſolutio argumenti tertii in principio dubii facti: negandum eſt enim antecedens. Ad eius probationes conſtat ex dictis quid ſit reſpondendum. Poſſet etiam reſpondere negando conſequentiam: nam quod quis tenetur facere, aut omittere gratis debet exhibere, non tamen quod non tenetur, nec poteſt licite omittere, aut facere, ſi alias ſit pretio æſtimabile ratione vtilitatis reſpectu vnius, & laboris, vel periculi reſpectu alterius, quale eſſe poteſt facere opus malum, aut omittere opus bonum.

Du-

Dubium quartum. Cui ſit facienda reſtitutio, quando dominus rei eſt ignotus, vel mortuus, vel multum diſtans.

TRes continet dubium præſens difficultates; ad quas reſpondet D.Tho. hic ad 3. Prima eſt, cui ſit facienda reſtitutio, quando dominus rei eſt ignotus. Ad quam his verbis reſpondet S. Doct. *Si ille cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere ſecundum quod poteſt, ſcilicet dando eleemoſynas pro ſalute ipſius, ſiue ſit mortuus, ſiue viuus, præmiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona eius, cui eſt reſtitutio facienda.*

Adeo eſt neceſſaria hæc diligens inquiſitio, quæ ſcilicet iudicio prudentum ſufficiens ſit pro qualitate negotiorum, & rerum, vt niſi hæc præmittatur, non cenſeatur dominus rei ignotus moraliter loquendo; cum culpabiliter ignoretur; quo poſtea comparente illi integre reſtituenda eſt res, etiam ſi in opera pia ſit conuerſa, & non extet. Quæ diligens inquiſitio, ſi bona fide res habetur, expenſis domini facienda eſt: ſi vero mala fide, & per iniquam acceptionem, expenſis eius, qui tenetur reſtituere. Ita M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 7. art. 1. ad 3.

Si facta ſufficienti inquiſitione dubium ſit, an hic, vel ille ſit verus dominus rei, in-

inter illos diuidendi eſt iuxta dubij proportionem. Si non conſtat, quis in particulari ſit verus dominus: conſtat tamen rem eſſe alicuius communitatis, vt cum exercitus iniuſte opidum deprædatur, tali communitati facienda eſt reſtitutio, vt opera Magiſtratus, Epiſcopi, vel Parochi diſtribuatur his, quos iudicauerint maius ius ad illam habere. Si res eſſet exigui pretij ſufficeret dare pauperi occurrenti, & non eſſet neceſſario Reipublicæ tradenda, Ita M. Bañez hic dubio 6. con. 3.

Quando verus dominus omnino ignotus eſt, res in eleemoſynas conuertenda eſt, & pauperibus eroganda. Pauperum autem nomine intelliguntur non ſolum mendici, ſed etiam alij, quibus neceſſaria ad decentem ſtatum deſunt, quales ſunt multi nobiles, qui a ſtatu deciderunt: non ſolum etiam perſonæ pauperes particulares, ſed etiam Monaſteria, Xenodochia, & Eccleſiæ ornamentis, ædificijs, & alijs ſimilibus indigentes. Cum autem eleemoſynę, quę ad miſſas celebrandas conferuntur, maximè ſaluti veri domini proficiant, in illas præſertim conuertenda eſt res, cuius dominus omnino ignoratur.

Si ipſemet, qui rem in eleemoſynas debet conuertere, eiuſque cognati, & amici verè pauperes ſint, poteſt ſibi, & ſuis rem totam, aut partem iuxta indigentiam, quam patiuntur, applicare, vt docet Caiet. hic 9. *In reſponſione ad tertium*, & colligitur ex D. Thom. ſup. q. 32. art. 9. ad 3.

iſti

iſti enim non ſunt deterioris conditionis, quam alij. M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 7. art. 1. ad 3. docet: quando neceſſitas fuerit patentiſſima, id debere facere auctoritate Epiſcopi, aut ſui pareciani curati, aut confeſſarij, & tunc quando grauiores aliæ miſeriæ pauperum non ſe oculis obijciunt. Alij tamen aſſerunt, id quidem expedire, & eſſe optimum conſilium, non tamen eſſe neceſſarium: ſicut enim non eſt neceſſarium, vt prædictorum auctoritate rem alijs applicet: ita nec vt ſibi, & ſuis applicet, ſed poteſt id propria auctoritate facere. Et non eſt neceſſe, vt det pauperiori, vel ſanctiori, ſed ſatis eſt, vt det pauperi. Vbi autem rem ſibi applicauerit, non tenetur poſtea, ſi venerit ad pinguiorem fortunam, alijs pauperibus reſtituere, cum vere rei illius dominus eſt factus fuerit.

An vero ſi poſt recte factam rei applicationem dominus illius appareat, illi reſtituenda ſit, quæri ſolet. Ad quod reſpondetur: illum, qui rem diſtribuit, ſi nihil ſibi retinuit, ſed rem totam pauperibus dedit, ad nihil reſtituendum teneri: nam nec ratione iniuſtæ acceptionis, neque ratione rei acceptæ. Illos etiam, quibus applicata eſt, ſi illam ita conſumpſerunt, vt nec in ſe, nec in pretio extet, ad nihil reſtituendum teneri, etiam ſi inter hos connumeres diſtribuentem, quando rem ſibi applicauit; nam qui rem alienam bona fide conſumpſit, non tenetur reſtituere, niſi quatenus eſt factus ditior. Si vero in ſe aut

in pretio extet, adhuc quidam exiſtimant non debere domino comparenti reſtitui. Tum quia dum applicata eſt pauperi, cenſetur in vtilitatem domini reſtituta, & dominus tenetur hanc reſtitutionem ratam habere. Tum etiam, quia per hanc applicationem transfertur dominium. Tum denique, nam alias ſi Eccleſiæ alicui tradita eſſet domus ignoti domini pro eleemoſynis miſſarum celebratarum; illam reſtituere teneretur comparenti domino, quod videtur inconueniens. Alij docent reſtituendam eſſe vero domino, niſi tempus præſcriptionis decurriſſet: nam licet bona fide poſſideatur; tamen ea implicita conditione videtur applicatio facta, vt ſi dominus rei appareat, ei reſtituere teneantur illi, quibus eſt applicata, ſiue in ſe, vel in ſuo pretio extet. Vnde illius non acquirunt dominiū, niſi poſtea poſſideatur tempore neceſſario ad præſcribendum, & dominus verus non tenetur habere ratum, donec rem ſuam inueniat. Mihi vtraque opinio videtur probabilis: idemque dicendum eſſe exiſtimo, quando facta compoſitione dominus rei apparet. Nec obſtat contra primam opinionem, in iudicio externo, qui rem habet, condemnandum fore, vt reddat domino apparenti, cui ille reſtituere tenetur poſt ſententiam; quæ cū non fundetur in falſa præſumptione, videtur etiam ante illam teneri, & non acquiſiuiſſe rei dominium. Reſpondetur namque, in illum tranſlatum fuiſſe dominium

infirmum tamen, & caducum cum ea conditione, vt ſi per ſententiam condemnatus fuerit, eam reſtituat, quale etiam dominium acquiritur in multis caſibus per ludum.

Si quæras, quo iure ſit eroganda pauperibus res, cuius dominus non apparet, ſed eſt omnino ignotus? Reſpondent M. Soto lib. 4. de Iuſtitia q 7. art. 1. ad 3. M Bañez hic dubio 7. Si ſolum ius naturę ſpectetur, prædictam rem tradendam eſſe Reipublicæ, cuius ciuis erat dominus talis rei, ſoloque iure humano, & legibus ciuilibus, & eccleſiaſticis, & ipſa conſuetudine introductum eſſe, vt in eleemoſynas conuertatur. Primum probant: Tum quia bona ciuium ordinantur ad bonum Reipublicæ iure naturę, ſicut bonum partis ordinatur ad bonum totius; ergo deficiente vero domino, Reſpublica habet ius ad bona illius. Tum etiam, quia in tali caſu bona quaſi redeunt ad ſtatum, in quo erant communia, antequam fieret rerum diuiſio, & applicatio; ergo ſicut tunc bona erant Reipublicæ, ita in noſtro caſu Reſpublica acquirit ius ad illa bona, alias omnino deſerta eſſent abſque vero domino. Secundum oſtendunt multis legibus adductis id ſtatuentibus. Quod maximè rationi conforme eſt: nam hęc bona ſuperflua, videntur eſſe Reipublicæ: vnde cùm ſuperflua in pios vſus, & eleemoſynas eroganda ſint, merito in vſus pauperum conuertenda eſſe decernunt leges latæ à principibus Ecclе-

cleſiaſticis, & ſæcularibus, ad quos attinet bona publica adminiſtrare.

Hinc inferunt, quemlibet principem ſiue ſecularem, ſiue Eccleſiaſticum poſſe, ſi attendamus tantùm ius naturę, compoſitionem facere pro huiuſmodi debito, ſi adſit iuſta cauſa. Nam cum ſtando in ſolo iure naturali, bona huiuſmodi redeant ad communitatem, princeps, qui eſt diſpenſator bonorum cõmunium, poteſt aliquam partem illorum applicare in aliquem vsũ vtilem communitati, & remittere aliquam partem debitori, ſi talis remiſſio fuerit etiam vtilis communitati, nempe vt pro eius aliqua neceſſitate, vt in ſubſidium belli, citius colligi poſſit pecunia neceſſaria, aut facilius.

Subdunt tamen, de facto à ſolo Summ. Pontifice fieri poſſe huiuſmodi compoſitionem. Nam cum legibus ſancitum ſit, vt huiuſmodi bona incerta diſtribuantur in eleemoſynas pauperum, Papa merito, & iuſte ſibi reſeruat mutationem, & diſpenſationem in huiuſmodi legibus de diſtribuendis his bonis pauperibus, tanquam pater pauperum in Eccleſia poteſtatem habens ſuper omnes principes Chriſtianos ad reſeruandum ſibi aliquam materiam, de qua leges ferendæ ſunt, quando hoc expedierit ad ſpirituale bonum, vel tranquillitatem Eccleſiæ.

Denique dicunt, multũ ſuſpectam eſſe de iuſtitia huiuſmodi compoſitionem, vt de facto fit, cum pro debito quinque mil-

lium dipondiorum componatur aliquis pro 68. Datur etiam hac via occaſio cauponibus, & alijs huiuſmodi paulatim defraudantibus populum, furandi aliena bona minutatim, ſi tuti manent poſtea, in conſcientia componendo ſe pro tam minimo pretio cum Bulla Cruciatæ. Excuſant tamen Sum. Pontificem; nam quando cōcedit Bullam huiuſmodi compoſitionis, præſupponit cauſam legitimam eſſe, quod iudicandum relinquit arbitrio diſcreti cōfeſſarij. v. g. ſi ipſe debitor ſit ita pauper, vt ægre, aut vix poſſit reſtituere, aut debitum non ſit adeo certum, poterit tunc confeſſarius admittere compoſitionem, & abſoluere pœnitentem; alias non eſt licitum debitori talem compoſitionem facere.

Sed hoc nimis ſcrupuloſum videtur: namque Corduba lib. 5. q. 44. probabile eſſe dicit. *Quod licet Papa, & ſimiliter taliter compoſitus pro tam parua quantitate, & ſine ſufficienti cauſa rationabili peccent: tamen valet compoſitio, ita quod ſic compoſitus, etiam ſi ditiſſimus ſit, reſiduum pauperibus, aut piis cauſis diſtribuere, aut reſtituere non tenetur.* Quod, & alii recentiores ſequuntur.

Mihi etiam probabilius videtur, de facto ſufficientem eſſe cauſam rationabilem concedendi compoſitionem omnibus etiam diuitibus pro parua illa quantitate; neque relinqui arbitrio confeſſarii iudicare de cauſa legitima, ac proinde nec Papam, nec

nec illum, qui componitur, peccare etiam venialiter.

Primum oſtendo: nam licet res, quæ pro compoſitione datur, parua ſit; quia tamen ſingula, quę non proſunt, multa collecta iuuant, vt communiter dicitur; plura parua, quę pro compoſitione dantur maximo ſunt Regi adiumento in ſubſidium bellorum contra infideles, valde non ſolum vtilia, ſed etiam neceſſaria, præſertim cum aliàs Rex ea nõ eſſet percepturus. Certè Pontifex bona huiuſmodi, in iure poſitiuo, quo debentur pauperibus, diſpenſando, poterat in integrum applicare Regi, aut Reipublicæ, cuius erant iure naturæ: iterum vero Rex aut Reſpublica ea remittere poterat debitoribus prò parua illa quantitate, vt ſic citius, ac facilius aliquam ſummam pecuniæ colligeret; cur ergo id non poterit Sum. Pontif. antequam Regi, aut Reip. applicentur?

Secundum etiam probo nam vnde conſtat Papam reliquiſſe arbitrio confeſſarij iudicare de cauſa legitimà? Imm͏̀o videtur Papam cum maturo conſilio decreuiſſe, illam paruam quantitatem penſatis omnibus habere ſufficientem proportionem cum ea, quæ remittitur, vt pro ea poſſit fieri compoſitio; Quod colligo: nam non concedit, vt fiat pro ea compoſitio cuiuſcunque quantitatis, ſed certę, & determinatæ; quæ licet abſolutè multum excedat, quod pro ea datur: conſiderata tamen

faci-

facilitate, & breuitate, qua ſic colligi poteſt aliqua conſiderabilis ſumma in ſubſidium bellorum, attentis etiam aliis huiuſmodi, proportionis æqualitatem inter ſe habent.

Tertium denique patet: nam non aliter poteſt eſſe peccatum, niſi ex defectu cauſæ ſufficientis rationabilis. Illud etiam docent recentiores innumeri.

Contra prædicta obiici poteſt, quod hic ad 3. ait D. Thom. *Si ille, cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere ſecundumquod poteſt, ſcilicet dando in eleemoſynas pro ſalute ipſius.* Sed hoc iure naturæ tenetur facere, nempe vt res ipſa, vel vtilitas ex ipſa ad dominum perueniat; ergo iure naturæ eſt res pauperibus eroganda. Et ita ſentiunt multi, quod, & Caietanus hic inſinuat, & clarius in Summa verbo, *Reſtitutio*, c. 4. dum ait: *Mortuo ſuccedit heres: ignoto vero poſt exactam diligentiam ad cognoſcendum ſuccedit Chriſtus; de quo ſcriptum eſt, quod eſt hæres vniuerſorum.* Reſpondetur tamen, eſſe quidem id probabile, ſed oppoſitum communius apud Theologos præſertim recentiores. Argumentum autem factum conuincit, quidem, eſſe valde æquitati conſentaneum, vt talis res in vſus pios expendatur, cum hæc videatur eſſe tacita dominorum voluntas: non tamen eſſe de iure naturæ & neceſſario faciendum eo ſpectato. Nam iure naturæ, non tenemur curare, vt ſi, vtilitas temporalis ex re ad dominum peruenire

neque

nequeat, perueniat illi vtilitas ſpiritualis: ſicut nec lege naturæ tenemur damna temporalia compenſare bonis ſpiritualibus.

Secunda difficultas eſt, cui ſit facienda reſtitutio, quando dominus rei eſt mortuus? Ad quam reſpondet D. Thom. *Si vero ſit mortuus ille, cui eſt reſtitutio facienda, debet reſtitui hæredibus, qui computantur quaſi vna perſona cum ipſo.* Nomine hæredis intelligendus eſt quicunque ſuccedit in ius defuncti: vnde bona hæretici condemnati, ac combuſti reſtituenda ſunt fiſco. Donec autem, qui habet bona defuncti, ſit certus non habere hæredem, nec eſſe qui ſuccedat in eius ius, non poteſt illa expendere in pios vſus, vel in eleemoſynas, aut ſacrificia pro anima defuncti.

Aduertendum eſt autem, quod docet M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 7. ar. 1. ad 3. *Quod quando reſtitutio alicuius eſt ponderis, hæreſque non inuenitur, coram publica poteſtate debet fieri diligentia, & penes ipſam deponendum eſt debitum. Si autem eius auctoritate, vel in pauperes, vel in pios vſus diſpenſatur, tunc reſtitutor tutus manet tam in conſcientia quam in foro iudiciali. In rebus autem leuioris momenti non eſt tam anxia indagatio neceſſaria.* Non deſunt tamen ex recentioribus qui aſſerant, ſi retinens rem defuncti applicet piis operibus pro eius anima, putans bona fide id ſibi licere, non teneri illam iterum reſtituere: nam videtur excuſari ignorancia inuincibili, & quaſi conſumpſiſſe rem bona fide.

Tertia difficultas eſt,quid faciendum ſit, quando dominus rei eſt multum diſtans. Ad quam reſpondet D. Thom. *Si vero ille ſit multum diſtans, debet ſibi transmitti, quod ei debetur, & præcipue ſi ſit res magni valoris, & poſſit commode tranſmitti. Alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, vt pro eo conſeruetur, & domino ſignificari.*

Diſtinguendum eſt hic cum Caietano, & aliis: Si enim debitor tenetur reſtituere ratione iniuſtæ acceptionis, nempe furti, rapinæ, vſuræ, &c. debet propriis expenſis tranſmittere debitum, etiam ſi expenſæ ſuperent principale in quadruplum, ſi aliter non poteſt facere, vt res domino reddatur. Ratio eſt: quia dominus rei eo quod alius ab eo rem iniuſte accepit, non debet damnum aliquod pati, ſed in priſtinum ſtatum reſtitui: at pateretur dānum, ſi propriis expenſis deberet recuperare rem ſibi ablatam; ergo non ipſius, ſed debitoris expenſis debet debitum tranſmitti ad eum, cum diſtat: ſiue hoc fit, quia debitor, aut quia dominus in alium locum migrauit; dominus enim non debet amittere libertatem transferendi ſe quo libuerit ob iniuſtitiam debitoris, qui ſibi imputet, quod rem alienam accipiendo ſibi hoc damnum intulerit, vt ſumptus illos facere cogatur. Si dominus, qui in alium locum migrauit, facturus erat expenſas ad rem ſuam illuc aſportandam, debitor non tenetur propriis expenſis tranſmittere: nam ſicut dominus non debet pati damnum,

ita nec lucrum reportare ex iniuſtitia. Si dominus, qui longius abeſt, rediturus ſit, poteſt debitor reſtitutionem differre. Si ſumptus, quos debitor facturus eſt, tot ſint, vt tranſmiſſionem rei impoſſibilem ei reddant, vel res ſit parui momenti, & ſine duplo, aut triplo ſumptu tranſmitti nequeat, inquit D. Thom. in 4. d. 15. q. 1. ar. 5 quæſtiunc. 4. ad 2. *Poteſt eam dare propinquis illius, ſi habet, vel alicui cœnobio, ſi non habet propinquos, cum proteſtatione tali, quod ei reddere teneantur ſi requiſierit, vel Vnquam comparuerit*. Dicunt etiam multi: ſi res ſit parui momenti, & ſine duplo, & triplo ſumptu reſtitui nequit, probabile eſſe pauperibus poſſe dari; præſumi enim poteſt, id domino non diſplicere. Et licet res ſit magni momenti, dicunt alij: poſſe eam pauperibus, aut alijs pijs operibus largiri pro anima domini illius, ſi propter trãſmiſſionis expenſas exceſſiuas debeat debitor in magnam pauperiem deuehire, & à ſuo ſtatu cadere, maiusque detrimentum notabiliter incurrere, quam ſit damnum creditoris: eſſet enim irrationabilis domini voluntas, ſi cum tanto damno debitoris vellet rem ſibi reſtitui. Sed hoc intelligendum eſſe puto: ſi nec dominus habet propinquos, nec ſit cui ſecurè tradi poſſit res cum onere, vt ſi dominus redierit, ei tradatur.

Si autem debitor ſolum tenetur reſtituere ratione rei acceptæ, non tenetur talem rem tranſmittere proprijs expenſis; ſed

domini: ceſſante tamen (vt ait Caietanus) mora, fraude, atque iniuſto quoad hoc receſſu debitoris. Si enim recedit, ne dominus rem ſuam ab eo repetat, expenſas tranſmiſſionis ſoluere tenetur debitor. Si verò non iniuſtè, ſed ob negotium, aut commodum, quando non eſſet obligatus domino rei ſuum receſſum ſignificare, ſe abſentauit, non tenetur tales expenſas ſoluere, debet, quia iure ſuo vſus eſt ſe abſentando; & non debet libertatem amittere eundi, quo libuerit, vt ſine expenſis domini illi reddat rem eius; quam ſcilicet, vel bona fide à latrone emit, vel alicubi inuenit, vel apud ſe depoſitam habet. Ratio eſt: quia qui non iniuſtè accipit, non tenetur cum ſuo damno dominum in priſtinum ſtatum reſtituere, ſed ſufficit, vt rem cuſtodiat monito domino, vt ſignificet quid de illa fieri diſponat.

Si denique tenetur reſtituere ratione iuſtæ acceptionis in ſuam vtilitatem, ſumptibus eius debet fieri reſtitutio. Vnde, qui rem aliquam commodatam accipit, cum cedat in eius vtilitatem, ſuo ſumptu debet eam reſtituere, niſi forte dominus locum mutaſſet, ob idque expenſarum cauſa fuiſſet, & commodatarius cum hoc onere non accepiſſet. Similiter (niſi aliter cautum ſit) qui rem emit, aut locat ſuis ſumptibus, pretium debet reddere, vbi eam accepit. Vbi etiam eſt ei mutua res, aut permutata, debet ſimile, aut aliam reddere.

Ad-

Aduertendum eſt autem: ſi dum tranſmittitur res, perit in via, domino ſuo perire, quando ſolum eſt reddenda ratione rei acceptæ. Vnde, qui rem inuenit, aut bona fide à latrone emit, vel cuſtodiendam accipit, ſi eam per fidelem portitorem traſmittit, etiam ſi pereat, non tenetur reſtituere. Quando vero reddenda eſt ratione iniuſtæ acceptionis, aut etiam iuſtæ in commodum, & vtilitatem debitoris, etiamſi abſque eius culpa pereat, ipſi perit, eamque tenetur reſtituere, vt patet in eo, qui rem furto, vel mutuo, vel commodatam accepit, aut rem aliquam emerat illius pretium tranſmiſſurus. Niſi forte cum conſenſu domini, aut ex iudicis imperio tradita eſſet prædicto portitori.

ARTICVLVS VI.

Vtrum teneatur ſemper reſtituere ille, qui accepit.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium. An ſufficienter, & rectè numerentur à D. Thom duo tituli, capita, & radices vnde oritur obligatio reſtituendi; nempe res accepta, & ipſa acceptio.

PArs negans probatur primo. Ob incendium, contumeliam, & iniquam diſtributionem obligatur incendiarius, contumelioſus, & iniquus diſtributor ad reſtitutionem: ſed non ratione rei acceptæ, nec ratione acceptionis, cum nihil acceperit, aut habeat alienum; ergo, &c.

Secundò, qui rem alienam bona fide putans eſſe ſuam vendidit, aut conſumpſit, tenetur pretium, aut id, in quo factus eſt ditior reſtituere: ſed nec titulo acceptionis, vt patet, nec rei acceptæ, nam hæc nō manet apud ipſum, cum eam vendiderit, aut conſumpſerit; ergo, &c.

Tertiò, qui iniquè retinet rem alienam, quam apud ſe habet depoſitam, tenetur ob iniquam retentionem reſtituere; ergo præter dictos, alius eſt titulus, vnde oritur obligatio reſtituendi.

Quartò. Qui obligatur ex ſtipulatione, vel cōtractu, vt ex mutuo, venditione, &c. tenetur reſtituere, & non ex aliquo iſtorum capitum, nam fieri poteſt, vt hęc non

ex-

extent; ergo non ſufficiunt hæc.

Dicendum tamen eſt: D. Thom. ſufficienter, & recte numeraſſe capita, vnde oritur obligatio reſtituendi. Ad hoc ſufficiat auctoritas. S. Doctoris hic dicentis: *Circa illum, qui rem alienam accepit, duo ſunt conſiderandа: ſcilicet ipſa res accepta, & ipſa acceptio.*

Aduertendum tamen eſt primo cum Caiet. hic: nomine rei acceptæ non ſolũ eſſe intelligendã ipſam ſecundũ ſe, ſed etiã quicquid loco eius extat, nempe, vel eius pretium, vel eius fructus, ſi res fructifera ſit, vel eius effectus, puta conſeruatio propriæ rei, pecuniæ, vini, frumenti, veſtis, &c. Eſt tamen differentia inter rem ipſam ſecundum ſe, & id quod loco eius ſuccedit, inquit Caiet. *Quod res ipſa obligat poſſeſſorem ſimpliciter, & abſolutè: id vero quod loco rei ſuccedit, obligat poſſeſſorem ſolummodo in caſu, quando ſcilicet ex hoc factus eſt locupletior, & ad tantum, quantum factus eſt locupletior, vt bene ius ciuile decernit.* Vnde qui ex dono poſſidet alienum bona fide, ſi ipſe alteri donat, nihil tenetur reſtituere, quando ſcit alienum eſſe: quia ex illo non eſt factus ditior. Si autem illud vendat, tenetur reſtituere pretium, quo factus eſt locupletior, detractis tamen expenſis, ſi quę in venditione factæ ſunt, illo etiam quod reſpondet, non quidem rei, ſed labori, vel induſtriæ, quia ſcilicet rem aſportauit ad locum vbi carius res venduntur. Similiter, qui ex dono poſſidet rem furtiuam bona fide,

& perceptis fructibus eam alteri donat, nõ rem, ſed fructus tenetur reſtituere detractis expenſis, quas in illis colligendis fecit, exceſſu etiam fructuum, non rei abſolute, ſed eius labori, vel induſtriæ reſpondente. Denique quando conſumptio rei alienę bona fide habitę redundat indirectè in lucrũ, & conſeruationem rei proprię, quia ſcilicet quis tantum de re propria erat conſũpturus, & quia alienum conſumpſit, proprium conſeruat, hoc quod ſcilicet erat conſumpturus, reſtituere tenetur; quia quantum adhoc factus eſt locupletior. Si verò nihil proprij erat conſumpturus, nihil tenetur reſtituere. *Propter quod* (inquit Caietanus) *inuitatus ad cœnam rei furtiuæ, ſi bona fide cœnat, & nihil propterea lucraretur, quia omnino in domo propria tantum expendit, ſi in ea cœnat, quantum ſi non, ad nihil tenetur. Sed ſi ex hoc, quod ad conuiuium accedit, minus domi expendit, tenetur non de tanto quantum conſumit in cœna, ſed quantum lucratus eſt indirectè non expendendo, & comedendo propria. Et ſimiliter dicendum eſt de veſte pretioſa conſumpta, qualem non conſumpſiſſet, niſi dono habuiſſet: non enim tenetur de tanto quantum valet veſtis illa, ſed quantum conſumpſiſſet de ſua veſte.* Ratio autem quare, qui habet rem alienam, vel quod loco eius ſuccedit, ex quo factus eſt locupletior, reſtituere teneatur, ſumitur ex D. Thom. hic: *Quia quod habet vltra id, quod ſuum eſt, debet ei ſubtrahi, & dari ei, cui de eſt ſecundum formam commutatiuæ iuſtitiæ.* Sed qui habet

bet rem alienam, vel quod loco eius ſuccedit, quo factus eſt ditior, habet hæc vltra id, quod ſuum eſt, & dominus rei tantundem habet minus de ſuo; ergo oportet ſecundum formam iuſtitiæ commutatiuæ auferri à poſſeſſore, & dari domino rei, quod eſt reſtitui, vt ſic inter eos ſit æqualitas.

Secundo aduertendum eſt, quod hic docet D. Thom. acceptionem rei alienæ tribus modis poſſe contingere: *Quandoque enim eſt iniurioſa, ſcilicet contra voluntatem exiſtens eius, qui eſt dominus rei, vt patet in furto, & rapina. Et tunc tenetur ad reſtitutionem, non ſolum ratione rei, ſed etiam ratione iniurioſæ actionis, etiam ſi res apud ipſum non maneat. Alio modo aliquis accipit rem alterius in vtilitatem ſuam abſque iniuria, cum voluntate ſcilicet eius, cuius eſt res, ſicut patet in mutuis. Et tunc ille, qui accipit, tenetur ad reſtitutionem eius, quod accipit, non ſolum ratione rei, ſed etiam ratione acceptionis, etiam ſi rem amiſerit. Tertio modo aliquis accipit rem alterius abſque iniuria, non pro ſua vtilitate, ſicut patet in depoſitis. Et ideo ille, qui accipit, in nullo tenetur ratione acceptionis, quinimo accipiendo impendit obſequium. Tenetur autem ratione rei: & propter hoc ſi ei ſubtrahatur res abſque ſua culpa, non tenetur ad reſtitutionem; ſecus autem eſſet, ſi cum magna ſua culpa rem depoſitam amitteret.* Ex quibus patet, rationem acceptionis non obligari hominem ad reſtitutionem rei, niſi quando, etiam ſi res fuerit amiſſa, eam re-

ſtituere tenetur: ac proinde non cuiuſcunque acceptionis ratione obligari ad reſtitutionem, nec ratione ſolius iniuſtæ acceptionis, ſed etiam iuſtæ; ſi tamen in vtilitatem accipientis res ſit accepta, aut cum eius culpa amiſſa eſt.

Tertio aduertendum eſt cum Caiet hic: ſub iniuſta, aut iniurioſa acceptione comprehendi omnem iniuſtam damnificationem in quacumque re: immo formale conſiderandum in acceptione eſſe damnificationem, ſiue fiat accipiendo, ſiue comburendo, ſiue preſcindendo, ſiue quouis alio modo: quocumque enim modo fiat, accipitur ab inuito domino, quod ſuum eſt, quamuis nulli quandoque detur, ſed annihiletur: ſicque omnis damnificator alterius tenetur ad reſtitutionem, non ratione lucri ſui, ſed ratione acceptionis ſeu damnificationis. Vnde cum hic ait D. Th. *Sicut enim, qui percutit aliquem, tenetur recompenſare iniuriam paſſo, quamuis apud ipſum nihil maneat: ita etiam, qui furatur, vel rapit, tenetur ad recompenſationem damni illati, etiam ſi nihil inde habeat*. Non intendit exemplo extra genus acceptionis probare, iniurioſam acceptionem ad reſtitutionem obligare: ſed vno contento intra genus acceptionis, oſtendere, eandem eſſe rationem de alijs, quamuis nihil maneat apud accipientem.

Ad 1. verò factum in principio reſpondetur negando minorem: tenetur enim ratione iniuſtæ acceptionis, ſub qua om-

nis

nis damnificatio comprehenditur, vt diximus.

Ad 2. reſpondetur negando minorem: nam nomine rei acceptæ intelligitur etiã quod loco rei ſuccedit, quale eſt pretium, & omne id, quo factus eſt homo ditior, vt diximus.

Ad 3. reſpondetur negando conſequentiam: nomine enim iniuſtæ acceptionis intelligitur iniqua detentio. etiamſi acceptio licita fuerit à principio, Vnde D. Th. infra quæſt. 66. artic. 3. ad 2. ait: *Sub iniuſta acceptione intelligitur etiam iniuſta detentio*.

Ad 4. reſpondent quidem illum, qui obligatur ex ſtipulatione, vel contractu, non teneri propriè ad reſtitutionem, ſed ad ſolutionem. Si tamen nomen reſtitutionis generatim accipiatur pro omni redditione, qua res ex iuſtitia debita redditur in ſe ipſa, vel in æquiualente, ſic aſſignanda eſſe tria capita reſtitutionis. Primum ex iniuſta acceptione, ſeu damno illato. Secundum ex re accepta iuſtè, vel iniuſtè. Tertium ex contractu: nam mutuum, & pretium rei emptæ, & ſimilia, non debentur proprie ratione rei acceptæ (nam fieri poteſt, vt hæc non extet) ſed ex contractu. Sed reuera hoc tertium caput ſub ſecundo numerato a D. Thom. nempe ipſa acceptione continetur. De mutuo expreſsè docet S. Doctor illis verbis: *Sicut patet in mutuis*; quæ ratione acceptionis iuſtæ in vtilitatem accipientis, ait eſſe reddenda.

Idem eſt de pretio rei emptæ, & quocunque alio debito ex cōtractu; debetur enim ratione acceptionis rei, cum contractus in traditione, & acceptione rei perficiatur, & ratione huius obliget: nam quid prodeſſet ſi quis rem venderet, ſi non traderet, & alius non acciperet? Qui ergo ex ſtipulatione obligatur ex acceptione rei, pro qua aliquid ſe daturum dicit, obligatur. Nam licet fortaſse tunc adhuc realiter non apprehenderit rem: eam tamen acceptat, & pro ſua habet, hocque talis rei quædam acceptio eſt.

Dubium ſecundum. An qui rem furtiuam accipit à latrone, teneatur eam cum fructibus domino reſtituere.

MAgiſter Bañes hic dubio 3. conc. 4 docet, qui rem furtiuam accepit à latrone, ſiue ſciat eſse furtiuam; ſiue hoc ignoret, & bona fide accipiat, non teneri ad eius, aut fructuum reſtitutionem, etiam ſi illis factus ſit locupletior; dummodo fur non reddatur impotens ex illa datione ad reſtituendum vero domino, & res ab illo accepta ſit vnico vſu conſumptibilis, & materia mutui, qualis eſt pecunia, panis, vinum, &c. Vnde ad 3. inquit, inuitatum ad cœnam furtiuam non teneri ad aliquā reſtitutionem, etiam eius, in quo factus eſt locupletior: ſi ille, qui inuitauit non eſt

factnrus impotens ad ſoluendum, propterea quod inuitatus cum illo cœnauit.

Probant 1. hanc ſuam ſententiam de accipiente bona fide; qui bona fide aliquid huiuſmodi à latrone accepit non tenetur ratione acceptionis, vt patet, neque ratione rei acceptæ, quia iam conſumpſit illam bona fide; ergo nulla ratione tenetur.

Secundo probat; & de eo etiam, qui ſcit rem, quam accipit, furtiuam eſſe procedit argumentum; ipſe verus dominus rei non habet ius petendi à latrone eandē numero rem, ſed ſimilem, vel eiuſdem pretij: ſed res ſimilis, vel eiuſdem pretij manet apud latronem, vnde poſſit reſtituere, ergo accipiens ab illo non tenebitur reſtituere, ſed poterit remittere verum dominum ad latronem.

Tertiò probat, & argumentum procedit de eodem: Latro poterat donare aliam pecuniam, vel aliud frumentum, cuius erat dominus, ipſi Petro; ergo etiam ipſam furtiuam pecuniam, vel frumentum. Probatur conſequentia, quia non magis eſt obnoxia reſtitutioni pecunia furtiua apud latronem, quam quæ erat propria; ergo cum apud latronem maneat, vnde poſſit ſoluere, poterit Petrus ab eo accipere dono pecunias, vel panem, vel vinum. Hanc opinionem probabilem eſſe cenſet Diana 3. p. tract. 5. miſcel. reſol 43.

Dicendum tamen eſt 1. Bonæ fidei poſſeſſorem, cum ſcit rem eſſe furtiuam, tene-

ri reſtituere eam domino eius cum omnibus fructibus ex ea perceptis, qui apud illum extant, aut quibus factus eſt ditior. An poſſit reſcindere contractum, & rem, quam à latrone emit illi reddere, vt pretium recuperet, diximus art. præced. dubio 1. Hic verò loquimur etiam quando rem furtiuam à fure ipſi datam dono accepit.

Probatur 1. ex L *Certum*, C. de rei vindicatione, quæ ſic habet: *Certum eſt malæ fidei poſſeſſores omnes fructus ſolere cum re præſtare: bonæ fidei vero extantes.* Quidam Iuriſperiti ex fructibus extantibus excipiunt illos, quibus poſſeſſor bonæ fidei non eſt factus ditior. Facitque pro illis, L. *Bonæ fidei*, ff. de acquirendo rerum dominio, quæ eſt huiuſmodi: *Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex re aliena, ſuos interim facit.* Ex qua Couarruuias lib. 1. var. reſol cap. 3. con. 1. infert: *Quo fit, vt hic poſſeſſor non teneatur hos fructus reſtituere etiam extantes, &c.* Si illis ſcilicet non eſt factus ditior. Vnde ſi ex pretio dato latroni, emptor bonæ fidei erat lucrum reuera reportaturus æquale fructibus rei, pro illo poteſt etiam fructus extantes ſibi retinere.

Theologi tamen communiter docent, quod Sylueſter verbo *Fructus*, q. 1. *Quantum ad conſcientiam hoc eſſe tenendum, quod omnes fructus tam naturales, quam induſtriales: ſiue cum titulo poſſideat, ſiue ſine titulo, reſtituere teneatur, ſi extent. Si vero conſumpſit, tenetur ſolum reſtituere in quantum factus eſt*

lo-

locupletior. Fructus naturales ſunt, in quibus producendis magis operatur ipſa natura, quam hominis induſtria, vt pratorum herba, glandes, caſtaneæ, &c. Induſtriales vero, qui potius proueniunt ex induſtria hominis, quam ex ipſa natura, vt triticum, vinum, oleum, &c. Et non eſt hic ſermo de fructibus nudæ induſtriæ: nam ij non ſunt reſtituendi etiam à malæ fidei poſſeſſore, vt ſi quis aliena pecunia negotiatus ſit, aut alieno penicillo depinxit.

Secundò probatur concluſio ratione. Fructus proueniunt ex re fructifera; ergo illius ſunt, cuius eſt res; & eodem modo ad illum pertinent. At poſſeſſor bonæ fidei, ſi res apud ipſum extat, quando deprehendit furtiuam eſſe, tenetur illam reſtituere; etiam ſi per illam non ſit factus ditior; ſi verò res fuerit conſumpta, nequaquam, niſi in quantum ex ea factus eſt locupletior, aliquid ſuum, quod erat conſumpturus, conſeruando; ergo idem erit de fructibus eius.

Lex autem *Bonæ fidei* explicari poteſt de fructibus conſumptis durante bona fide; quos dicit poſſeſſorem bonæ fidei facere ſuos, non abſolutè, ſed quantum ad hoc, quod intecim eos conſumendo, ita vt nihil eorum maneat, quo fiat ditior, non tenetur reſtituere, ac ſi ſui reuera eſſent.

Dicendum eſt 2. Etiam ſi res furtiua ſit vſu conſumptibilis, & materia mutui, & illam dando fur non reddatur impotens ad reſtituendum vero domino, qui illam do-

no accepit à latrone bona fide putans non eſſe furtiuam, cognita rei veritate tenetur illam, & eius fructus, ſi extant, reſtituere vero domino; ſi vero non extant, id quo factus eſt ditior. At ſi mala fide accepit, tam illam, quam eius fructus, etiamſi non extent, reſtituere tenetur.

Primam partem docet Caietanus hic, dũ ait, inuitatum ad cœnam furtiuæ rei, & bona fide cœnantem, cum cognouerit rem eſſe furtiuam; teneri ad reſtituendum id quo factus eſt ditior, vt patet ex verbis ipſius relatis dubio præcedenti, notabili 1. Nec exponi poteſt; loqui quando ille, qui inuitauit, eſt factus impotens ad ſoluendũ, propterea, quod ille, quem inuitauit, cœnauit cum illo: ex contextu enim conſtat; non ſic loqui, ſed abſolutè quando rem furtiuam comedit, Caietanum ſequuntur communiter DD.

Probatur deinde; quando latro fit impotens ad ſoluendum, non aliter, qui ab eo bona fide accepit rem furtiuam, tenetur ad reſtitutionem, quam ratione rei acceptæ, qua factus eſt ditior: ſed idem prorſus titulus manet, etiam ſi latro non ſit factus impotens ad ſoluendum, hoc enim per accidens ſe habet; ergo, &c. Confirmatur: nam idem eſſet dicendum de rebus, quæ non vnico vſu conſumuntur: nempe ſi à latrone acciperet gemmam, aut vineam alienam bona fide, non tenetur ad eius, aut fructus illius reſtitutionem, ſi latro non fuiſſet factus impotens ad ſoluendum, ſed

poſſe

poſſe remittere verum dominum ad latronem : cur enim hoc de his non poteſt dici, ſicut de illis cum in foro conſcientiæ ſatis fiat reddendo rem ſimilem, vel eiuſdem pretij; quæ apud latronem manet, vnde poſſit reſtituere ? Confirmatur. 2. In foro exteriori tam habens rem furtiuam vnico vſu conſumptibilem, quam habentem non conſumptibilem vnico vſu condemnaretur ad eam reſtituendam ſuo domino; ergo etiam in foro conſcientiæ vtrumque tenebitur reſtituere; nam res accepta, vt dici ſolet, ſemper clamat etiam apud bonæ fidei poſſeſſorem, à quo eius dominus recuperare poteſt; & non minus poteſt petere idem numero frumentum, ſi extat, quam eandem numero gemmam.

Secunda pars probatur, nam ſi mala fide accepit rem furtiuam eſſe ſciens, ad eã, & fructus eius reſtituendum tenetur ratione iniuſtæ acceptionis; ergo etiam ſi non extent, reſtituere tenetur: nam vt diximus dubio præcedente notabili ſecundo, ratione acceptionis non obligatur homo ad reſtitutionem rei, quando etiam ſi res fuerit amiſſa, eam reſtituere tenetur.

Aduertendum tamen eſt: ſi conſtaret, latronem non voluiſſe dare rem furtiuam, ſed propriam, quia iam erat permixta cũ eius rebus, etiam ſi daret pecuniam, quam ſurripuit, non eſſe reſtituendam ab eo, qui eam accepit: credere enim poſſet hãc pro illa

illa commutaſſe. Idem eſt ſi non conſtaret, voluiſſe dare alienam: nam ſicut recipiens pecuniam ab vſurario, non tenetur illam reſtituere mutuario, à quo eam vſurarius habuit per vſuram, quia præſumendũ eſt; niſi aliud conſtet, vſurarium propriam pecuniam, quam aliunde habet, voluiſſe dare, & quam modo per vſuram acquiſiuit, loco propriæ dediſſe, & quaſi commutaſſe: idem eſt hic dicendum. Et fortaſſe Mag. Bañes nihil aliud dicere voluit.

Si tamen conſtat latronem, nõ niſi quod furatus eſt, voluiſſe dare, & quod ſi non habuiſſet alienum, de proprio nihil dediſſet; non video à reſtitutionis obligatione eximi poſſe eum, qui ex re accepta à latrone etiam bona fide factus eſt ditior: & multo minus illũ, qui mala fide accepit ſciens eſſe furtiuam, etiam ſi apud illum non extet, & ex illa non ſit factus ditior. Poterit quidem expectare, vt latro ſoluat tanquã principalis obligatus, idque ei perſuadere; ſi tamen latro noluerit ſoluere, ipſe quod diximus tenebitur reſtituere.

Quæres, ſi quis latroni aliquid venderet, & ab eo bona fide pecuniam acciperet furtiuam, talem eſſe ignorans, teneretur ne talem pecuniam reſtituere? Reſpondetur: ſi pecuniam illam durante bona fide cum propria commiſcuiſſet, eſſe multorum ſententiam, de quo vide Dianam 3. p. tract. 5. miſcel. reſol. 40. non teneri ad talis pecuniæ reſtitutionem, quando ſciret eſſe furtiuam: nam non tenetur reſtituere ratio-

tione iniuſtæ acceptionis, quia bona fide eam accepit: nec ratione rei acceptæ, cum alienam pecuniam non poſſideat, quia eam cum propria miſcendo bona fide, eius dominium acquiſiuit, vt colligitur ex L. *Marcellus*, ff. De re vindicata, & ex Inſt. De rerum diuis. §. *Si duorum*, nec ex tali venditione factus eſt locupletior, nam ſupponimus iuſto pretio rem ſuam vendidiſſe. Secus eſſet ſi talem pecuniam non miſcuiſſet cum ſua, antequam ſciret eſſe furtiuam.

Ad primum vero factum in principio reſpondetur negando antecedens; tenetur enim ratione rei acceptæ: nam quamuis eam conſumpſerit, ex illa tamen factus eſt ditior.

Ad ſecundum reſpondetur, ſolum probare, latronem eſſe principalem obligatũ. Si tamen ipſe noluerit ſoluere, qui ab eo accepit rem alienam, qua factus eſt ditior, reſtituere tenetur. Nec ſatisfaciet remittendo dominum rei ad latronem; ſicut nec qui bona fide vendidit rem furtiuam, quã emerat à latrone, ſi emptor pretium repetat, ſatisfaciet cedendo actionem de euictione, quam habet contra latronem, vt dicemus dubio ſequenti. Dominus enim rei ius habet petendi, & recuperandi rem ſuam eandem numero, ſi extat, & ſi non extat in ſe, quod ex illa manſit, quo alius factus eſt ditior. Vnde apud quemcumque inueniatur veſtis aliena, iudex iubebit, vt eam domino reſtituat, & idem eſt de fru-

frumento, oleo, agno, & alijs.

Ad tertium reſpondetur, eodem argumento probari poſſe latronem, poſſe donare quamcumque rem furtiuam, etiam ſi non conſumatur vnico vſu, nempe vineā, quia ſcilicet donare poterat aliam vineam, cuius erat dominus. Solum ergo probat quod diximus in notabili poſito poſt 2. partem 2. concluſionis. Ex quo colligitur, quod ait Caietanus de inuitato ad cœnam furtiuam, & bona fide comedente, quando ſcit fuiſſe furtiuam, teneri ad reſtituendum id, quo factus eſt ditior, intelligendum eſſe, quando conſtat, latronem non voluiſſe dare niſi quod furatus eſt: ſi enim hoc non conſtaret, & latro haberet, vnde ex proprio ſimilem cœnam parare poſſet, præſumendum eſſet, hanc pro illa commutaſſe, & quod proprium erat voluiſſe dare, ſicque inuitatum ad nihil reſtituendum teneri. Quod ſi inuitatus ſciret cœnam eſſe furtiuam, & latronem non niſi ad cœnam furtiuam voluiſse inuitare, teneretur quidem quod perceperat reſtituere, etiā ſi non fuiſset ditior factus; ad totam tamen cœnam in ſolidum reſtituendam nō video cur obligandus ſit, cum non fuerit particeps furti totius cœnæ, nec cauſa eius, ſed illo iam facto partem acceperit à latrone: non ſecus, ac ſi poſtquam latro furatus eſt mille aureos, daret alicui decem, hic ſolum hos decē teneretur reſtituere, etiā ſi ſciret eſſe, ex mille, quos furatus fuerat latro.

Dubium 3, An qui bona fide poſſidens rem alienam, quam à latione emerat, vendidit, teneatur, cum ſciuerit eſſe alienam, pretium reſtituere.

TRes ſunt de hac re doctorum ſententiæ. Prima eſt Nauarri cap.17.nu.8. prædictum, ſi rem vendat eodem, vel minori pretio, quam emerat, ad nihil teneri domino, aut alteri, quia in nullo factus eſt locupletior, & nihil amplius, quam ſuum habet. Et quamuis teneatur emptori de euictione; liberabitur tamen cedendo actionem de euictione, quam contra eum, à quo bona fide emit, habet: quia ea factus eſt locupletior, ad quod etiam in conſcientia tenebitur.

Secunda eſt Magiſtri Soto lib 4 de Iuſtitia, q. 7. art. 2. prædictum etſi domino rei non maneat obligatus: neque ratione acceptionis, vt patet: neque ratione rei acceptæ, cum neque eam habeat, neque per eam factus ſit ditior, ſi tanti vendidit, quanti fuerat mercatus; teneri tamen emptorem ſuum indemnem ſeruare, ſiumq. proinde reſtituere pretium. *Quod ſi emptor (ait M Soto) ille ſecundus non comparet, neque vllus ſit metus quod ſit ab illo exigēda res illa: tunc ille, qui bona fide illi vendiderat, licet ſciat fuiſſe alienam, ad nullam reſti-*

ſtitutionem tenetur: quoniam à domino rei liber eſt poſtquam, nec rem habet, nec factus eſt per eam, ditior: & alteri nullum dedit damnum.

Tertia eſt M. Bañes hic dub.2.con.3 vbi, & refert eam docuiſse Magiſtrum Peña in Scola Salmantina, prædictum teneri reſtituere totum pretium iuſtum vero domino rei, ſi non poteſt rem ipſam reſtituere. Cui ſententiæ ita adhæret, vt dicat ſecundam à nobis relatam non videri ſibi probabilem.

Probat primo: Si prædictus homo retineret apud ſe rem illam, neque compareret latro, cum quo poſset reſcindere cõtractum, teneretur cognita veritate, quod res illa eſt aliena, reddere illam vero domino: ergo, & tenebitur reſtituere pretium, ſi rem illam iam vendiderat: res enim illa, & eius pretium, quaſi idem cenſentur quantum ad humanas commutationes; nam pretium loco rei ſuccedit, vt patet ex L. *Si rem*, ff. de pet. hęred.

Secundò, prædictus homo, ſi plures vendidiſset rem, quam emerat, teneretur ad exceſſum pretij reſtituendum domino, eo quod illo factus eſſet ditior: ſed etiam ſi eodem pretio, vel minori, quo emerat, vẽdat rem, fit ditior in toto hoc pretio; ergo illud domino rei tenetur reſtituere. Minor prbatur, quando vendit rem illam; vendit alienum, & pretium, quod dederat latroni, ipſe reuera iam tunc amiſerat; ergo pretio, quod accepit pro re aliena, fit locupletior,

tior, quam debet eſſe, nam illud non debet habere, nec reparare damnum ſuum de re aliena.

Tertiò, prædictus homo, ſicut non acquiſiuit dominium rei, quam vendidit, ita nec pretij, quod pro illa accepit: nam emptor intentionem habet dandi pretium vero domino rei, ac proinde non transfert dominium in venditorem, ſed in verum dominum; ergo non poteſt pretium illud retinere, ſed domino rei tenetur illud reſtituere.

Quarto, ſi res aliena fructificaret in domo venditoris prędicti, hic teneretur fructus perceptos vero domino reſtituere, nec poſſet ex illis ſuum damnum reparare; ſed pretium rei non eſt minus res ipſa, quam fructus eiuſdem; ergo non minus tenetur reſtituere pretium rei.

Dicendum tamen eſt 1. contra primam ſententiam: qui bona fide vendit rem alienam, quam à latrone bona fide emerat, cũ ſcit eſſe alienam, teneri pretium reſtituere emptori, ſi hic contractum reſcindere vult, aut à iudice condemnatus rem domino reſtituit.

Probatur primo, venditor tenetur emptori de euictione, propterea que, vt dicitur in L. 1. ff. de euict. *Habet regreſſum emptor ad venditorem*. Et quamuis venditor cedat actionem de euictione, quam habet, contra latronem, non tenetur emptor talem ceſſionem acceptare; ergo illi tenetur venditor pretium reſtituere.

Secundò probatur ratione M. Soto vbi ſupra: Qui à latrone vitrum pro pretioſa gemma emiſſet, eodemque pretio rurſus venderet, ſciens falſitatem, teneretur contractum reſcindere, & pretium emptori reſtituere; ergo idem erit in caſu noſtræ concluſionis, peius enim vitium eſt rem eſſe alienam. Si dicas cum Nauarro, hoc vitium non eſſe intrinſecum, quale eſt vitri pro gemma traditi, ſed extrinſecum. Quid hoc refert? Vitium enim etiam ſi extrinſecum ſit, ſi reuera tale eſt, vt emptor merito ſit inuitus, eiuſque ignoratio faciat inuoluntariam emptionem, hanc reddit inualidam, ac proinde reſcindendam reddito pretio, ſi velit emptor. Hæc duo tamen aduertenda ſunt.

Primum, ſi venditor poſt venditionem ſcit rem eſſe alienam, non tenetur monere dominum, aut indicare emptori eſſe alienam, ſi inde ſibi damnum impenderet, vt ſi non poſſet recuperare pretium, quod latroni dederat bona fide: nam cũ rem alienam non habeat, nec alicui ſit cauſa damni iniuſte, non tenetur cum ſuo damno curare, vt dominus rem ſuam recuperet.

Secundum, ſi emptor etiam, mox antequam exhibeat rem venditori, hocque inconſulto reſtituat, vbi ſciuerit eſſe alienam, non tenetur venditor ei reſtituere pretium, quando ſua accelerata redditione rei eſt cauſa, ne venditor pretium, quod dederat latroni, non recuperet; Debebat enim

enim emptor, ſi volebat pretium ſuum recuperare, rem venditori reſtituere; vt venditor indemnem ſe ſeruaret, reſcindendo contractum cum latrone, & ab eo pretiũ, quod ei dederat, recuperando, iuxta dicta art. preced. dub. 1.

Dicendum eſt ſecundò: Quamuis tertia ſententia ſit probabilis, non minus probabilem eſſe ſecundam. Primam partem oſtendunt argumenta facta pro tertia ſententia, & auctoritas Doctorum, qui illam tenent.

Secunda pars probatur primo: Nam ſecundam ſententiam præter M. Soto, docuit M. Victoria, vt ipſemet M. Bañes refert, qui & pro illa refert Couarruuiã, Medinam, Maiorem, Syluestrum, & Caietanum. Verba Caietani hic 9. *Ad euidentiã*, hæc ſunt: *Si ex dono poſſideo alienum, & vendidit, teneor de pretio, quo factus ſum locupletior. Si autem emi prius, & poſtea vendidi ſine lucro ex parte rei, quamuis forte lucratus fuerim ex laborè, vel induſtria adiuncta, non teneor de aliquo.* Alij quos refert Diana tertia parte tractatu quinto miſcel. reſol. quadrageſima prima addunt, quando quis rem alienam à fure bona fide emptam védidi maiori pretio, hoc non eſſe lucrum, aut fructum rei, ſed induſtriæ; ſicque non teneri ad reſtituendum illud plus, in quo factus eſt ditio. Immo dicunt, furem vendentem rem furtiuam, & poſtea iuſte minori pretio redimentem, non teneri exceſſum illum pretij domino reſtituere, ſed ſa-

tiſfacere reddendo ei ſuam rem.

Secundò probatur: qui bona fide vendidit rem alienam, quam à fure bona fide emerat, ſi emptor, qui rem habet, non compareat, non tenetur domino rei reſtitue re pretium ratione iniuſti damni, aut acceptionis, nec ratione rei acceptæ; ergo nullo modo. Antecedens quo ad primam partem conuincit bona fides, qua emit, & poſtea vendidit. Quo ad ſecundã partẽ probatur: Tum quia nec habet rem, neq. ex illa eſt factus ditior, quam eſſet etiam, quando eam vendidit: nam tunc licet iam non haberet, quod pro ea dederat latroni, habebat tamen ius ad recuperandum illud, reſcindendo contractum cum latrone. Tum etiam, quia eius, quod ratione rei acceptę reſtituendum eſt, dominium habet ille, cui debet fieri reſtitutio: ſed dominus rei non habet pretij illius dominium, ſed hoc, vel manſit penes emptorem, ſecundum, ſicut penes venditorem manet dominium pecuniæ, quam dedit furi: vel pretium tranſijt in dominium venditoris, & pro eo tenetur emptori de rei euictione, vt dicunt multi; ergo, &c. Confirmatur, ſi poſtquam fur vendidit gemmam emptori bonæ fidei, & ab eo pretium accepit, illi gemmam furaretur, & perderet, non teneretur pretium, quod adhuc apud ipſũ manet, reſtituere domino gemmæ, ſed illi, qui pro ea tale pretium dederat; ergo etiam in noſtro caſu non tenetur, qui bona fide vendidit rem furtiuam, pretium

eius

eius reddere domino rei, ſed, ſi cui tenetur reddere. hic eſt, qui tale pretium ei dedit: huic autem non teneri probat optimè M. Soto, quia nullum ei dedit damnum, cum rem bona ſide retineat; ergo nulli.

Ad 1. vero tertiæ ſententię reſpondetur neg conſequentiam: nam, vt cum Caiet. diximus dub. 1. eſt maxima differentia quâtum ad hoc inter rem, & id quod loco eius ſuccedit, quale eſt pretium: res enim obligat poſſeſſorem ſimpliciter; quod verò loco eius ſuccedit, ſolum in caſu, quando ſcilicet ex hoc factus eſt locupletior. Vnde licet quantum ad alia, res, & eius prętium computentur pro eodem, quo ad hoc tamen differunt. Dicunt etiam multi cum Gloſſa in legem citatam, pretium ſuccedere loco rei in iuribus vniuerſalibus, qualis eſt hæreditas; non tamen in contractibus particularibus.

Ad ſecundum reſpondetur negandam eſſe maiorem, vt patet ex dictis. Illa tamen admiſſa, nego minorem. Ad probationem dico: licet quod vendidit, alienum ſit, & pretium, quod pro illo dederat, non habeat; habet tamen ius reſcindendi contractum, & rem alienam latroni reddendo, eamque conſtituendo in ſtatu quem antea habebat, pretium ſuum, recuperandi; ac proinde pecuniam, quam latroni dederat, non penitus amiſerat, ſicque pretio, quod accepit, non eſt factus ditior, ſed illo bona fide accepto ſe ipſum in poſſeſſione propriæ facultatis conſeruat.

Ad tertium reſpondetur negando antecedens: emptor namque, ſi dominium pretij transfert, non vtique in verum rei dominum, ſed in eum, quem putat talem eſſe, quia ei obligatur, & de euictione tenetur; cuius dominii capax eſt ob bonam fidem, qua vendit, qua ſi careret, non poſſet dominium acquirere; ſicut illud non acquirit fur, vt colligitur ex L. *Si in emptione*, §. *Item ſi emptor*, ff. De contrahenda emptione. Si verò emptor non transfert à ſe dominium pretii, venditor non tenetur illud ei reddere, quouſque conſtiterit damnum incurriſſe ex rei emptione, quam habet à venditore.

Ad 4. reſpondetur, diſparem eſſe rationem: nam fructus rei furtiuæ ſunt eius, cuius eſt res; pretium verò eius, qui dedit illud.

Dubium 4. An qui dubitat, ſit ne res, quam habet, aliena, teneatur eam reſtituere.

PArs negans probatur ex illa communi regula: In dubijs melior eſt conditio poſſidentis: ſed qui dubitat, an res, quam habet, ſit aliena, illam poſſidet; ergo poteſt eam ſibi retinere, & non tenetur reſtituere.

Dicendum tamen eſt 1. Qui dubitans, an res ſit aliena, illam accipit titulo donationis, permutationis, emptionis, aut alio

ſimi-

ſimili, vt eam domino, ſi apparuerit, reddat, non peccat. Si tamen accipit, vt ſibi retineat, peccat: & in vtroque caſu poſtquam accepit, debet diligenter inquirere, ſit ne aliena. Si eam compererit alienam eſſe, domino reſtituere tenetur cum fructibus perceptis. Si non eſſe alienam cõpererit, ſibi retinere poterit. Si autem dubius manſerit tenetur partem eius reſtituere, & partem alienam poteſt ſibi retinere.

Prima pars patet, nam ſi talem rem accipit, vt domino, ſi apparuerit, reddat, nullam domino facit iniuriam, ſed beneficiũ; alioquin enim fortaſſis nunquam fuiſſet reſtituenda.

Secunda pars etiam manifeſta eſt: nam accipiens talem rem, vt ſibi retineat, euidenter ſe exponit periculo contrectandi rem alienam; ergo contra iuſtitiam peccat.

Tertia pars quoque conſtat; nam ſi non inquirat diligenter, an talis res ſit aliena, culpabilis eſt eius negligentia, & non tuta conſcientia rem illam retinet.

Quarta pars etiam certa eſt: nam ſi cõperiat alienam eſſe, non poteſt ſibi retinere eam, aut fructus eius: eſt tamen differentia, quando eam in commodum domini, vt illam, ſi compareret, ei reſtitueret, acciperet: & quando acciperet in proprium commodum, vt eam ſibi retineret. Nam in priori caſu poſſet deducere pretium, quod pro re illa dederat, iuxta dicta artic.

præced.dubio 1.con.3. In caſu vero poſteriori, non poſſet pretium deducere, ſed ratione iniquæ acceptionis, & rei acceptæ rem integrè reſtituere domino eius teneretur cum fructibus etiam conſumptis.

Quinta pars quoque conſtat: ſi enim comperit rem non eſſe alienam, eius propria eſt, illiuſque dominium habet ex vi donationis, aut emptionis prædictæ; ergo licite poteſt eã ſibi retinere, licet peccauerit eam dubia conſcientia accipiendo.

Sexta denique pars explicatur. Nam ſi dubius manet, an res ſit ſua, vel alterius, cũ ei non ſuffragetur regula communis, Melior eſt conditio poſſidentis: nam intelligitur de eo, qui bona fide, & non dubia cœpit poſſidere, non poteſt totam rem ſibi retinere; nec vero tenetur totam reſtituere alteri, ſed cum illo debet eã diuidere plus, vel minus pro ratione dubij ſibi, vel alteri aſſignando. In pari dubio poteſt ſibi dimidium retinere. Si probabilius putat rem eſſe ſuam, poteſt maiorem partem retinere: ſi vero alienam, alteri maiorem partem dabit; qui ſi ſit perſona nota, ſuam partem ei tribuet, ſi ignota, pauperibus iuxta dicta ar. præced.dub.4.

Dicendum eſt 2. Qui à principio rem bona fide accepit, putans eſſe eius, qui ſibi eam dedit, & poſtea incipit dubitare, an ſit aliena, ſi poſt diligentem inquiſitionem veritatis manet dubius, non tenetur eam, aut partem eius reſtituere; ſed poteſt eam totam integrè ſibi retinere. Concluſio hæc

ſic

ſic vniuerſaliter, vt a nobis propoſita eſt, nõ ab omnibus admittitur. Magiſter Salon enim hic controuerſia 4. con. 4. M. Bañes in præambulo de dominio ad hanc q. 62. dub. vltimo, con. 2. & ſupra q. 40. ar. 1. dub. 5. con. 4. P. Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 41. n. 19. & alii dicunt ſolum eſſe verã, quando dubium, quo prædictus bonæ fidei poſſeſſor poſt diligentem inquiſitionem manet dubius, eſt æquale pro vtraque parte: ſi enim non fuerit æquale, ſed magis inclinet in illam partem, quod res eſt aliena, aſſerunt, non poſſe totam rem integrè retinere, ſed aliquam eius partem pro æqualitate dubii debere reſtituere.

Noſtram tamen concluſionem, vt propoſita eſt docent P. Vazquez 1. 2. q. 19. ar. 6. diſput. 66. capit. 7. num. 42. vbi, & eam docuiſſe aſſerit Magiſtrum Soto, & Medinam locis ab eo citatis num. 35. P. Salas ibidem, q. 21. tract. 8. diſp. vnica, ſect. 23. n. 231. Monteſinos ibidem diſp. 29. q. 4. S. 3. nu. 105. P. Sanchez lib. 1. Decalogi, cap. 10 vbi licet probabile eſſe dicat, quod docuerat libro 2. de Matrim. probabilius tamen eſſe aſſerit, quod noſtra continet concluſio, & alii.

Probatur concluſio ex illa communi regula iuris quæ colligitur ex ca. *Si virgo* 34. q. 1. In dubijs melior eſt conditio poſſidentis: ſed ille, de quo loquitur noſtra concluſio, verè, & legitimè poſſidet rem, & dubium, quod habet, quamuis magis propendat in eam partem, quod res eſt aliena, intra limites tamen dubij manet, & ipſe an-

ceps, & indeterminatus permanet; ergò melior eſt eius conditio; ſicque poteſt totam rem integrè ſibi retinere, & non tenetur illam, aut partem eius reſtituere.

Confirmatur; nullus tenetur ſe ſpoliare re, quam verè, & legitimè poſſidet, propter quaſcunque rationes quantuncunque vrgentes, niſi hæ aſſenſum determinatum in illo generent, quo iudicet, rem eſſe alterius: nam nec iudex in foro exteriori illum tali re expoliaret abſq. ſimili aſſenſu; quomodo enim illum rectè expoliaret, & rem alteri adiudicaret, ad quem pertinère nondum credit aliquo aſſenſu determinato? At quamuis rationes, quibus prædictus magis inclinatur in vnam partem, ſint valde vrgentes, non generant in illo aſſenſum, quo iudicet rem non eſſe ſuam, ſed anceps, & indeterminatus manet; ergo non tenetur ſe re, quam poſſidet, aut parte eius expoliare, illamque alteri reſtituere.

Si prædictæ vrgentes rationes aſſenſum ſaltem probabilem in eo generarent, quo iudicaret rem non eſſe ſuam, ſed alterius; inquit Monteſinos vbi ſupra cum P. Vazquez, illum teneri rem alteri reſtituere: quia tunc iam non maneret dubium, ſicque non haberet locum regula iuris prædicta. P. Salas verò vbi ſupra aſſerit non teneri reſtituere, ſi aſſenſus probabilis à prædictis rationibus genitus ſolùm eſſet mere opinatiuus, & non certus phyſicè, aut moraliter: adhuc enim verè res eſſet dubia, & poſſeſſio omnibus rationibus non con-

uin-

uincentibus præponderaret.

P. Sanchez vbi ſupra vtrumque horum verum quodammodo eſſe poſſe, affirmat. Si enim ita ſit genitus aſſenſus probabilis opinatiuus, dictans rem illam eſſe alienam, vt illo non obſtante, adhuc poſſeſſor reputet probabiliter rem eſſe ſuam, verum eſt, quod dicit P. Salas: quia licitum eſt illi ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori. Si verò talis aſſenſus ita ſit genitus, vt nullus ſuperſit partis contrariæ aſſenſus, ſed ſola formido incluſa in opinione, verum eſt, quod dicit P. Vazquez, quia iam non manet res dubia, cum intellectus verè aſſentiat alteri parti, nullum alterius aſſenſum habens.

Mihi verò non videtur improbabile, adhuc in hoc ſecundo caſu, manere rem dubiam poſſe, ſicque locum habere poſſe regulam iuris prædictam à reſtitutione excuſantem. Nam ſicut aſſenſus opinatiuus alterius partis poteſt eſſe ſimul cum aſſenſu opinatiuo contrariꝫ, multo magis eſſe poteſt cum eius dubio; quod imperfectius eſt, & minus pugnat cum aſſenſu opinatiuo alterius partis. Hocque, vel quia rationes pro parte contraria ſolum ſunt rationes dubitandi non valentes generare aſſenſum, ſed ſolum animum ancipitem, ac indeterminatum detinere: vel quia, licet aſſenſum probabilem opinatiuum generare ſufficiant, nondum tamen eas homo penetrat, ac plenè percipit, ſicut rationes alterius partis. Qui enim habens rationes pro

vtraque parte anceps erat, non ſe determinauit ſimul ad aſsenſum probabilem vtriuſque partis, ſed prius ad aſsenſum vnius, quam alterius; ergo tunc cum aſſenſu opinatiuo vnius partis manet dubiũ partis contrarię, hoc enim non tollitur, niſi per determinationem ad aſsenſum talis partis. Cum ergo poſsit eſse aſsenſus opinatiuus probabilis dictans poſseſſori rem, quam poſſidet, eſse alienam, ſimul cũ dubio, an talis res ſit ſua; videtur tunc meliorem eſse conditionem poſſidentis, & nõ teneri reſtituere rem poſseſsam: nam quamuis nullum aſsenſum habeat, quod ſit res ſua, habet tamen de hoc dubium ſimul cum poſseſſione, quæ aſsenſui opinatiuo alterius partis prępónderat.

Obiicies tamen contra hanc concluſionem: qui dubitat, an ſoluerit debitum, quod certo ſcit contraxiſse, tenetur illud ſoluere, non ſecus, ac qui dubitat, an impleuerit votum, quod certo ſcit emiſiſse, illud tenetur implere; ergo ſimiliter, qui dubitat, an res, quam poſſidet ſit aliena, illam tenetur reſtituere. Ad hoc P. Vazquez, vbi ſupra reſpondet negando conſequentiam: quia in caſu antecedentis non eſt æqua cauſa, & ius vtriuſque partis, cum creditor pro ſua parte habeat ius certum debiti contra debitorem, debitor autem non habeat ius certum ſolutionis contra creditorem. Debitum autem certum non videtur æque ſolui ſolutione dubia, & incerta, ac proinde in tali caſu poſseſſio non

ſuffra-

ſuffragatur poſſidenti, ſicut in caſu noſtræ concluſionis. Alij dicunt in prædicto caſu antecedentis, teneri quidem hominem reſtituere; non tamen totam rem, ſed tantum partem iuxta dubij qualitatem: nam tunc ius debiti, quod habet creditor, cum non ſit minus, quam ius poſſeſſionis, quod habet debitor, facit illum æqualis conditionis cum hoc; ſicque ſolum eſt attendenda ratio dubij, iuxta quam res, de qua eſt dubium, pro huius æqualitate inter illos diuidenda eſt. Non deſunt tamen, qui dicant, etiam tunc non teneri debitorem ad ſolutionem debiti, præſertim ſi vterque, tam ſcilicet debitor, quam creditor dubitat, an ſit debito ſatisfactum: nam poſseſſio pecunię, qua debet ſoluere, facit debitorem melioris conditionis, cum in dubiis ſẽper ſit melior conditio poſſidentis.

Si quæras, an qui poſtquam bona fide rem poſsedit, dubitat, an ſit aliena, poſſit eam vendere? Reſpondetur cum M. Bañes hic dubio 5. con. 5. non poſse illam vendere, niſi manifeſtando dubium illud, quia vendens tenetur manifeſtare vitium rei, ex quo emptori poteſt incommodum euenire. Si tamen facta diligenti inquiſitione, nulla reliqua ſit ſpes decidendi dubium, poteſt illam abſolutè vendere. Quod ſi dominus poſtea compareret, non teneretur ei reſtituere, niſi id, in quo factus eſt ditior. Si inquiſitionem diligentem neglexiſset, & poſtea deprehenderet rem eſſe alterius, huic teneretur reſtituere non ſo-

lum rem, ſed etiam fructus conſumptos ex eo tempore, quo dubitare cępit. Tenebatur enim ex iuſtitia veritatem inquirere, ſicque ex quo neglexit, non fuit poſpoſseſsor bonæ fidei, & tenetur dãni, quod ex tali omiſſione, ſeu negligentia domino obuenit.

Ad argumentum autem factum in principio reſpondetur, probare noſtram ſecundam concluſionem. Contra primam tamen nihil efficit: nam vt dicemus infra q.66.art.2. dubio 5. con. 5. conſcientia dubia non eſt ſufficiens ad inchoandam poſſeſſionem; ſed ſolum ad eam iam legitime habitam continuandam. Vnde qui dubitans, an res ſit aliena, eam accepit, quantumuis rem habeat, non habet eius legitimam poſſeſſionem: ſicut nec hanc habet fur, quantumuis habeat rem furto acceptam; neuter enim vnquam talem poſſeſſionem acquiſiuit, ſicut nec dominium rei.

Dubium 5. An qui abſque iniuria cum voluntate domini accepit rem alienam, illam reſtituere teneatur ratione acceptionis, etiam ſi perierit.

RES aliena perire poteſt, aut culpa eius, qui illam accepit, aut ſine culpa. Culpa autem accipi poteſt, & Theologicè,

& iuridicè, theologicè culpa idem eſt, ac peccatum, quod in mortale, & veniale diuiditur. Iuridicè loquendo ait, Syluester verbo *Culpa*, in principio cum Panormitano: *Eſt deuiatio ab eo, quod eſt bonum, & per hominum diligentiam poterat prouideri*. Hoc vltimo, inquit, differt à caſu fortuito, qui prouideri nequit. Licet autem, vt ibidem, q. 1. Sylueſter dicit. Bartholus ponat culpam latiſſimam, quæ eſt idem, quod verus, & manifeſtus dolus: & latiorem, quę eſt dolus præſumptus; communiter tamen Canoniſtę tantum tres ſpecies culpę diſtinguunt, & ſunt culpa lata, leuis, & leuiſſima.

Lata culpa eſt (inquit Sylueſter) *deuiatio incircunſpecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines eiuſdem profeſſionis. Exemplum huius eſt: ſi librum commodatum dimiſiſti extra domum ſuper bancho, & ſublatus eſt.*

Leuis autem culpa eſt (ſubdit idem Sylueſter) *deuiatio incircunſpecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines diligentes illius profeſſionis. Exemplum huius eſt: ſi fœnerator pignoratas veſtes non excuſſit eo tempore quo diligens excuſiſſet: vel ſi commodatarius rem commodatam locauit quidem in camera, ſed oſtium reliquit apertum ex incircunſpectione.*

Leuiſſima autem culpa eſt (ait idem Sylueſter) *deuiatio incircunſpecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines diligentiſſimi. Exemplum huius eſt: ſi commodatarius*

rem commodatam in cameram, & in arca locauit, ſed non firmauit arcam claue, & ſublata eſt.

Idem dicit Nauarrus cap. 17. num. 177. & ſequenti, vbi & dolum à culpa diſtinguit, quod ille ſcienter, & ſtudioſè fit, hęc vero ignoranter, vel negligenter. Caſum etiam fortuitum definit: inopinatę rei euentum, qui prouideri non poteſt, qualis eſt belli inopinati, fulguris, &c.

Aduertendum eſt etiam, rem alienam tripliciter prædicto modo accipi poſſe. Primò in vtilitatem accipientis. Secundò in vtilitatem dantis. Tertiò in vtilitatem vtriuſque, hoc ſuppoſito.

Dicendum eſt 1. Qui abſque iniuria cum voluntate domini accipit rem alienam in ſui vtilitatem, tenetur illam reſtituere ratione acceptionis, etiam ſi perierit. Docet hoc D. Thom. hic his verbis: *Alio modo aliquis accipit rem alterius in vtilitatem ſuam abſque iniuria, cum voluntate ſcilicet eius, cuius eſt res, ſicut patet in mutuis. Et tunc ille, qui accipit, tenetur ad reſtitutionem eius, quod accepit, non ſolum ratione rei, ſed etiam ratione acceptionis, etiam ſi rem amiſerit.* Cuius rationem ſubiungit: *Tenetur enim recompenſare ei, qui gratiam fecit: quod non fiet, ſi per hoc damnum incurrat.*

Namque qui per hoc, quod gratiam fecit, damnum incurrit, recompenſationem non habet pro gratia, ſed detrimentum: ius autem naturæ poſtulat, vt qui gratiam fecit, non patiatur ob illam detrimentum,

ſed

ſed recompenſationem habeat.

Aduertendum tamen eſt, differentiam eſſe inter mutuarium, & commodatariũ. nam licet vterque rem alienam acceperit in ſui vtilitatem; mutuarius tamen rei mutuo acceptę dominium acquirit; ac proinde ſi apud ipſum perit, ipſi tanquam domino illius perit, quomodocumque pereat etiam casu fortuito; ſicque in quocumque caſu ratione acceptionis reſtituere tenetur. Commodatarius verò rei cõmodatę dominium non habet, proptereaque non quomodocumque pereat res, ipſi perit, ſed quando culpa eius perit, tuncque reſtituere tenetur ratione acceptionis. Quando verò abſque vlla prorſus culpa eius perit caſu fortuito, non ipſi, ſed domino perit, tuncque non tenetur vllo titulo reſtituere. Vnde cap. vnico De commodato dicitur: *Cum gratia ſui tantum, qui commodatum accepit, de leuiſſima etiam culpa tenetur. Licet caſus fortuitus (niſi accedat culpa ſua, vel interuenerit pactum, ſeu in mora fuiſſet) ſibi non debet imputari.*

Hinc patet quam rectè in concluſione nos dixerimus, etiam ſi perierit, ſicut & D. Thom. *etiam ſi rem amiſerit*, non addendo ſine culpa. Nam cum hac additione non eſſet vniuerſaliter vera noſtra concluſio, & doctrina D. Thom. ſine illa vero generaliter vera eſt; cum tam mutuarius, quam commodatarius reſtituere teneatur ratione acceptionis, etiam ſi res perierit: ille quidem, ſiue res culpa eius perierit, ſiue

pe-

perierit abſque eius culpa; hic autem ſi perierit culpa eius quamuis leuiſſima.

Mag. Soto lib.4. de iuſtitia, q 7.art.2. ad finem exiſtimat, leuiſſimam culpam iuridicè, qua commodatarius amiſit rem commodatam, ſufficere, vt in iudiciali foro condemnetur. Pręter hanc tamen, vt in foro conſcientię reſtituere teneatur ante cōdemnationem, requiri culpam theologicè grauem. *Crediderim namque* (ait) *in foro conſcientiæ leuem culpam commodatarij non obligare eum ad reſtitutionem, niſi ſit mortalis apud Deum: nam à venialibus vix homo liberari poteſt: quare propter illas non eſt homo tanta pœna plectendus, aut mulctandus*. Quę ſententia, licet à quibuſdam dicatur ſingularis, illam tamen tenent multi recentiores, vt P. Sà verbo commodatum. Henriquez de irregularitate, c.15. & alij. Sicut enim abſque culpa mortali damnum inferens proximo, vt cum abſque culpa obliuiſcitur extinguere lucernam, & domus cōburitur, non tenetur ad reſtitutionem, vt patet ex dictis art.4.dubio vnico, con.1.ita nec commodatarius, qui abſque peccato mortali rem commodatam amittit.

Communior tamen ſententia eſt, commodatarius teneri ad reſtitutionem rei commodatę, ſi leuiſsima eius culpa iuridicè accepta perijt, quamuis coram *Deo*, nec mortaliter, nec venialiter peccauerit. ratio eſt, quia ius naturę poſtulat, vt qui rē ab alio accepit in propriā vtilitatem, ſummam diligentiam adhibeat, ne domino

pe-

pereat; ergo ſi commodatarius hanc non appoſuit, culpa leuiſſima iuridicè rem cõmodatam amittendo, illa tenetur reſtituere, etiam ſi negligentia coram Deo nullũ fuerit peccatum. Confirmatur, culpa iuridicè leuiſſima ſufficit, vt in foro iudiciali condemnetur commodatarius, & poſt cõdemnationem etiam in foro conſcientię teneatur reſtituere, vt admittit M. Soto; ergo, & ante condemnationem tenetur: nam ſententia nõ fundatur in falſa pręſumptione, cum non pręſumat peccatum mortale, ſed expreſsè damnet de leuiſsima culpa: & ſi in falſa pręſumptione fundaretur, non obligaret in conſcientia.

Dicendum eſt 2. Qui in vtilitatem dantis rem alienam accipit, non teneri ad eius reſtitutionem ratione acceptionis, niſi ex culpa lata illam amiſerit. Docet hoc D. Thom. hic dicens: *Tertio modo aliquis accipit rem alterius abſque iniuria non pro ſua vtilitate, ſicut patet in depoſitis. Et ideo ille, qui ſic accepit, in nullo tenetur ratione acceptionis, quinimo accipiendo, impendit obſequium. Tenetur autem ratione rei: & propter hoc ſi ei ſubtrahatur res abſque ſua culpa, non tenetur ad reſtitutionem. Secus autem eſſet, ſi cum magna ſua culpa rem depoſitam amitteret.* M. Soto vbi ſupra culpę magnę nomine intelligit mortalem. Sed communior opinio eſt, intelligendum eſſe illam, quę iuridicè magna eſt, & lata, quamuis theologicè nullũ ſit peccatum. Ac proinde depoſitarium, ſi relinquit depoſitum in limine domus,

vel

vel extra domum in ſcamno etiam ex obliuione naturali; licet non peccet coram Deo, nec venialiter, teneri ad reſtitutioné ob culpam iuridicè latam.

Secundò probatur concluſio: nam qui in ſolius dantis vtilitatem accipit depoſitũ, non debet grauari, vt maiorem adhibeat diligentiam in eius cuſtodia, quam paſſim ſolent homines adhibere in ſuis rebus cuſtodiendis; ergo niſi lata culpa illud amiſerit, non tenetur ratione acceptionis reſtituere: alias nemo vellet depoſitum ſuſcipere, ſi ex leui culpa obligaretur depoſitarius: & ſi non teneretur de lata, nullus vellet tradere depoſitum. Confirmatur, maior culpa requiritur in depoſitario, vt reſtituere teneatur, quam in commodatario, ſed vt hic teneatur reſtituere, requiritur leuiſſima culpa; ergo maior nempè lata requiritur in depoſitario.

Tertiò probatur: nam L. 1. §. vlt. ff. Depoſiti, dicitur: *Dolus dumtaxat in hanc actionem venit.* Vbi rubrica Bartholi: *Depoſitarius non tenetur niſi de dolo, & lata culpa.* Et L. *Contractus* ff. de regulis iuris: *Contractus quidam dolum malum reſpiciunt, quidam, & dolum, & culpam. Dolum tantum depoſitum.* Vbi Gloſſa: *Hoc non excludit latam culpam ſed excludit leuem, & leuiſſimam.*

Aduertendum tamen eſt, quod in §. *Sæpe* L. 1. ff. Depoſiti, dicitur: *Sæpe euenit, vt res depoſita, vel nummi periculo ſunt eius, apud quem deponuntur: vt puta ſi hoc nominatim conuenit. Sed ſi quis ſe depoſito obtulit, idem*

Iu-

Iulianus ſcribit, periculo ſe depoſiti obligaſſe, ita tamen, vt non ſolum dolum, ſed etiam culpam, & cuſtodiam præſtetis, non tamen fortuitos caſus. Vnde de depoſitario, in cuius ſolius commodum fit depoſitio, eadem eſt ratio, ac de commodatario.

Si contra prædicta objicias, quod dicitur in cap. *Bona fides* de depoſito: *Bona fides abeſſe præſumitur, ſi rebus tuis ſaluis exiſtentibus, depoſitas amiſiſti.* Ex quo colligitur, ad has reſtituendas obligari, etiam ſi abſque vlla culpa illas amitteret, in caſu, quo non poſſet ſimul res proprias, & depoſitas ab incendio eripere, & vt proprias liberaret, depoſitas relinqueret. Reſpondetur: hoc intelligendum eſſe, quando res depoſitę ſunt pręcioſiores proprijs; aut ſi ſunt ęquales, apud aliquem ſunt depoſitæ in eius ſolius commoditatem. Si enim in commodum ſolius deponentis, aut commune vtriuſque depoſitæ ſint, poteſt depoſitarius res ſuas rebus depoſitis æqualibus præferre. Si autem res depoſitarij pręcioſiores ſunt, poteſt eas rebus depoſitis abſolutè præferre: ita tamen, vt ſi in depoſitarij tantum commodum depoſitæ ſint, ex rebus proprijs teneatur alteri compenſare rerum depoſitarum interitum. Probabile etiam eſt, non teneri ex iuſtitia compenſare: quia res illę abſque depoſitarij culpa perierunt, ac proinde domino.

Dicendum eſt 3. Quando acceptio eſt in vtilitatem vtriuſque dantis ſcilicet, & accipientis, ſi accipienti detur pretium pro

rei

rei cuſtodia, depoſitarius tenetur ratione acceptionis ad reſtitutionem de leui culpa, conductor de leuiſſima, commodatarius etiam ſi res pereat abſque vlla eius culpa.

Prima pars probatur: depoſitarius ſine pretio tenebatur de lata culpa; ergo dato pretio magis tenebitur, nempe de leui culpa: non tamen ſi leuiſſima culpa, aut caſu fortuito res depoſita amittatur; niſi præceſſerit mora in reſtituendo, vel pactũ, quod ad id eum obligaret. Vnde in cap. *Bona fides* de depoſito dicitur: *De culpa quoque teneris, ſi te ipſum depoſito obtuliſti: vel ſi aliquid pro cuſtodia accepiſſes. Pacto vero, vel mora præcedentibus, caſus etiam fortuitus imputatur*. Vbi conſulto ſolum dixit *De culpa*, non addendo leui, aut leuiſſima: nam ſi ſe ipſum obtulit quis, ita vt in eius ſolius cõmodũ fiat depoſitio, quia forte danti opus non erat deponere, tenetur de leuiſſima culpa, vt diximus ex L. 1. ff. Depoſiti §. *Sæpe*. Si ſe obtulit intuitu vtriuſque, vel deponentis tantum, & ſimul pretium accipiat, etiã tenetur de leuiſſima. Si vno ex his duobus modis tantum de leui, de quo vide Nauar. loco citato, & cap. 4. num. 3. Quamuis non deſint, qui dicant, illum, qui ſe obtulit cauſa vtriuſque, vel deponentis tantum, non magis teneri, quam, qui ſe non obtulit, niſi diligentiſsimam cuſtodiam promiſerit. Ex quo ſequitur, etiam ſi ſimul pretium accipiat, ſolum teneri de leui, niſi tam magnum eſſet pretium; vt merito iudicari poſſet obligari etiam de leuiſsima:

ma: in his enim ad quantitatem pretij; & ad laborem, & pericula in cuſtodia rei attendendum eſt, & ratio habenda.

Secunda pars probatur: conductor non accepto pretio tenetur de leui culpa, vt colligitur ex L. *Contractus*, ff. De regulis iuris, vbi dicitur, locatum reſpicere dolum, & culpam, hoc eſt culpam latam, & leuem iuxta Gloſſę explicationem. Cum enim conductor rem accipiat in vtilitatem locantis, non tenetur ſolum de lata culpa, & cum eam accipiat etiã in ſui commodũ, non tenetur de leuiſsima, ſed de leui, quæ eſt media inter latam, & leuiſsimam; ergo cum accepto pretio magis teneatur, tenebitur de leuiſsima.

Tertia pars probatur: commodatarius ſine pretio tenetur etiam de leuiſsima culpa; ergo recepto pretio, cum magis obligetur, tenebitur de nulla culpa.

Dubium 6. *An reſtituere teneatur, qui non poteſt abſque periculo amiſſionis famæ, aut vitæ.*

PArs affirmans probatur 1. Quod eſt de neceſsitate ſalutis, & in præcepto iuris naturæ, ob nullum damnum, aut periculũ eſt dimittendum: ſed reſtitutio ablati eſt de neceſsitate ſalutis, vt hic art. 2. dicitur & in præcepto iuris naturæ; ergo etiam cum periculo amiſsionis famæ, aut vitę facienda eſt. Confirmatur, nemo poteſt alie-

aliena rapere, vt ſuam famam ſeruet; ergo neque retinere.

Secundò, ille, cui facienda eſt reſtitutio, poteſt illam petere, etiam ſi immineat mors, vel infamia illius, qui rem ei abſtulit; ergo, & hic tenebitur reſtituere cum periculo amiſſionis famæ, aut vitæ, alias poſſet eſſe iuſtum bellum ex vtraque parte. Confirmatur, qui aliena rapiendo amplum ſtatum acquiſiuit, tenetur cum amiſſione illius ſtatus reſtituere, ergo, & cum amiſsione famæ, honor enim maximus huiuſmodi ſtatum comitatur.

Tertiò, licet fama, & vita ſint ſuperioris ordinis, tamen tanta poteſt eſſe quantitas pecuniæ, vt famę, & vitę pręponderet; ergo tunc reſtituenda erit cũ periculo amiſſionis famę, & vitę. Confirmatur, tabellio, ſi falſam faciendo ſcripturam, & teſtis falſum proferendo teſtimonium, & iudex iniquam ferendo ſententiam, & adultera prolem ſuſceptam marito ſupponẽdo, maxima hęreditate, aut regno legitimos hęredes priuarent, tenerentur ſe ipſos prodere, quando alia via damna illata nequirent reficere; ergo & cum periculo amiſsionis famæ, aut vitę reſtituere.

Dicendum tamen eſt: qui non poteſt reſtituere abſque periculo famę, aut vitę, nõ teneri ad reſtituendum. Probatur 1. ex D. Thom. hic ad 2. dicente: *Homo, & ſi non teneatur crimen ſuum detegere hominibus, tenetur tamen crimen ſuum detegere Deo in confeſſione: & ita per ſacerdotem, cui confitetur, poteſt*

poteſt reſtitutionem facere rei alienæ. At ſi teneretur cum famæ, aut vitę iactura reſtituere, teneretur crimen ſuum detegere hominibus, qui non poſſet aliter reſtituere; ergo, &c.

Secundò probat Caiet. hic circa ſolutionem ſecundi: *Quia ob reſtitutionem bonorum inferioris ordinis non tenetur aliquis ex vi debiti ad damnificandum ſe in rebus ſuperioris ordinis. Res autem exteriores, quales ſunt omnes ad diuitias ſpectantes, ſunt bona inferioris ordinis: fama autem eſt ſuperioris ordinis, iuxta illud, Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Vnde non tenetur quis damnificare ſe in fama, vt reſtituat, &c. Maior propoſitio manifeſtatur ex hoc, quod homo non tenetur ex natura debiti vendere ſeipſum, vt reſtituat pecuniam, quam furatus eſt: quia libertas eſt bonũ ſuperioris ordinis ineſtimabile, nec bene pro toto libertas venditur auro, & ſimile eſt de fama.* Vide etiam illum tom. 1. opuſc. tract. 31. reſponſ. 14. queſito 2. & in Summ. verbo *Adulterium.* Eandem Caiet. maiorem probant alij: Tum quia res inferioris ordinis debent ancillari rebus ſuperioris ordinis: vnde in caſu extremæ neceſsitatis non tenetur debitor creditori reſtituere: & qui damnatus ad mortem acciperet alienum equum, vt effugeret, & equus in via moreretur, non teneretur ad eius reſtitutionẽ: ac ſi reſtitutio rerum inferioris ordinis deberet fieri cum iactura rerum ordinis ſuperioris, hę potius illis deſeruirent; ergo, &c. Tum etiam, quia nullus rationabiliter poteſt

teſt exigere, vt cum detrimento rerum ſuperioris ordinis, nempè famę, aut vitę fiat ſibi reſtitutio rerum inferioris ordinis, pecuniarum videlicet; nullus enim vellet, vt hæc reſtitutio ab ipſo exigeretur; ergo nullus eam tenetur facere. Tum deinde, quia cum damno boni ſpiritualis nullum temporale bonum eſt reſtituendum, idque non ob aliam rationem, niſi quia bonum ſpirituale eſt ſuperioris ordinis, nec eſt ęſtimabile bono inferiore; ergo, &c. Tum denique, quia ſi reſtitutio non poſſit fieri ſine iactura boni ſuperioris, cenſetur impoſſibilis, cum iuſtitia commutatiua ſolum poſtulet, vt fiat reſtitutio in bonis, in quibus iniuſtè lęſus eſt proximus; ergo nullus ad eam faciendam tenetur.

Hinc infertur, mulierem, quæ ſupponendo ſibi partum alienum, aut filium ex adulterio gignendo, legitimos mariti hęredes priuauit hęreditate, non teneri ad eam reſtituendam, ſi nō poſſit niſi cum iactura famæ, aut vitę ſe ipſam prodendo, ac ſuum peccatum marito, & alijs reuelando. Vnde in cap. *Officij*. De pœnit. & remiſ. cōſultus Innocentius III. an mulier, quæ timēs ne viri poſſeſſio deuolueretur ad alios, ſibi partum ſuppoſuit alienum, metuenſq; maritum nolebat facinus ipſi detegere, eſſet à confeſſario abſoluenda? Reſpondit: *Quod ſicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem ſuſcepit, quamuis id viro ſuo timeat confiteri, non eſt pœnitentia deneganda: ita nec illi debet pœnitentia denegari*. Tenetur

retur quidem prędicta mulier ex bonis proprijs, ſi habet, ſatisfacere legitimis hęredibus: ſuadere etiam filio adulterino, aut ſuppoſito, vt Religionem ingrederetur: nullum denique lapidem immotum relinquere, vt damnum hęredibus legitimis illatum repararet; cũ iactura tamen famæ, aut vitæ nihil teneretur reſtituere. Quidam aſſerunt: ſi mulier moraliter certa eſſet damni auertendi, ſi crimen ſuum marito, aut filio detegeret, illoſque rem ſilentio eſſe compreſſuros, neque idcirco illam oſuros, aut probris vexaturos, id facere teneretur: quia non cenſeretur ſe infamare, aut ſi aliqua eſſet infamia, eſſet vtique leuiſſima, & pro nihilo reputanda. Alijs id non placet, quia caſus rariſſimus, immo moraliter impoſſibilis eſt, & quamuis poſſibilis eſſet, mulier infamiam pateretur, & mallet ab alijs ſciri ſuum peccatum, quam à viro, & filio. Mihi videtur nunquam mulierem eſſe ad id obligandam: Tum quia infamia apud maritum, & filium, pręſertim in hac materia, grauiſſima eſt. Tũ etiam quia periclitaretur eius vita. Tum denique quia nullius eſſet effectus, cum filius matri non teneatur credere, etiam ſi ipſum ſpurium eſſe aſſerat cum iuramento, & in articulo mortis, & filius ſciat ipsã fuiſſe adulteram, vt docent communiter Doctores. Vnde M. Medina in ſum. lib. 1. de cap 18. §. 18. aſſerit filium valde eſſe ſtultũ, ſi poſtquam natus eſt in domo patris ſui, velit matri ſuæ credere. Quid ſi crederet?

ret.? Teneretur hęreditatem relinquere, reſeruata tamen ſibi portione aliqua ad ſui congruam ſuſtentationem: nam ad honorem patris putatiui, eiuſque hęredum expedit ne mendicare cogatur.

M. Soto lib.4. de iuſtitia, q.6.art.3. ad 4. & q.7.artic.2 ad 2. regulam, ſeu propoſitionē Caietani, ſi vniuerſaliter accipiatur, falſam eſſe exiſtimat, aſseritque libranda eſſe hęc bona, & rationem habendam ad quantitatem damni in temporalibus, & qualitatis famę, aut vitę. Vnde ſi hæreditas eſt illuſtris maioratus, & mulier non eſt tanti nominis, detegere ſe tenetur cum famæ iactura. Et ſi regnū aliquod, aut præclariſſima domus ſilēte adultera ad alienos deberet trāſire, vix poſſet, aut deberet eiuſdem adulterę conſcientia pacari, ſi res eſset certa, quod eſset omnino pro ſutura, niſi etiam cum periculo vitæ ſeſe proderet, dummodo prius nullus non lapis eſſet motus, vt tale periculum caueretur.

Sed quamuis hæc ſententia ſit probabilis, eamque multi alij teneant; communior tamen eſt, quam docuimus cum Caiet. quam Nauarrus cap.16. numer. 45. & ſeq. & cap.17. num 89. & ſeq. alijque innumeri recentiores ſequuntur. Vnde quāuis mulier ſit plebeij alicuius filia, & maritus Dux, aut Rex, non tenetur ſe prodere cum iactura vitæ, aut ſamæ.

In caſu quo bonum commune periclitaretur: vt ſi filius adulterinus eſſet noxius Regno, compelleretque ſubditos à fide apo-

apoſtatare, ſe ipſam mater detegere tene-retur. Sed hæc obligatio non eſſet iuſtitiæ commutatiuæ, ſed legalis, vel charitatis, quà bonum commune præferre debet bono proprio.

Ad 1. verò factum in principio reſpondetur, præceptum reſtituendi, licet ſit de iure naturæ, cum tamen ſit affirmatiuum, non obligare pro ſemper, vt in caſu in quo ſine iactura famæ, aut vitæ fieri nõ poteſt reſtitutio; in quo caſu non eſt reſtitutio de neceſſitate ſalutis. Ad confirmationem nego antecedens: ſicut enim, vt quis effugiat mortem, poteſt equum alienum rapere: vt fugiat infamiam, nempè ſi eſſet per ciuitatis vicos vapulandus. Vel nego conſequentiam, quia aliena rapere non per ſe ordinatur ad famam conſeruandam, nec eſt ſemper ad id neceſſarium, ſicut retinere in caſu poſito.

Ad ſecundum reſpondetur negando cõſequentiam: ſicut enim non ſequitur, poteſt quis iuſte furem accuſare; ergo ipſe tenetur ſe prodere: ita nulla eſt cõſequentia argumenti. Neque inde ſequitur, dari bellum iuſtum ex vtraque parte: nam qui tacet delictum, non pugnat. Ad confirmationem nego conſequentiam: nam fur non habet ius ad talem ſtatum, ſicut habet quilibet ad ſuam famam. Præterea in amiſſione ſtatus non amittitur fama, cum poſſit ſine culpa amitti.

Ad tertium reſpondetur negando antecedens, ſi de propria fama, & vita ſit ſer-

mo: nemo enim prudenter eliget mori, aut infamiam pro quacumque pecuniæ sũma. Ad confirmationem nego antecedẽs: iuſtitia enim commutatiua ſolum poſtulat, vt ſi vitam proximi in periculum per iniuriam coniecimus, vitam pro vita exponamus: & ſi abſtulimus famam, vel pecuniam, exponamus famam pro fama, & pecuniam pro pecunia. Vnde ſi teſtis, tabellio, & iudex, ſuo teſtimonio, ſcriptura, & ſententia aliquem in periculum vitæ amittendæ conſtituerunt, tenentur, ſi aliter non poſſunt, cum eodem periculo ſe ipſos prodere. Si famam abſtulerunt, tenentur cum periculo famæ ſe ipſo retractare: ſi autem timent imminere ipſis periculum vitæ, non tenentur cum hoc diſcrimine famam reſtituere, ſed debent ſe ipſos in tutum locum collocare, & inde literas ad reſtitutionem famæ ſufficientes mittere. Si vero hæreditate aliqua priuauerũt, debent reſtitutionem facere per confeſſarium, vt hic ad 2. docet D. Thom. At ſi abſque iactura famæ nequeunt facere, ad illam non tenentur. Et idem eſt de adultera, vt diximus.

AR-

ARTICVLVS VII.

Vtrum illi qui non acceperunt, teneantur reſtituere.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium I. *Qui ſint, qui licet non acceperint, teneantur reſtituere.*

D. Thom. hic his verſibus comprehēdi docet: *Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus, Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.* Pro quorum explicatione.

Dicendum eſt 1. Qui iubet, ad reſtitutionem teneri. Probatur cum D. Thom. hic: *Quicumque eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, tenetur ad reſtitutionem.* Sed iubens eſt cauſa iniuſtæ acceptionis mouendo ad ipſam: *Quia ille, qui iubet, eſt principaliter mouens.* Ergo *ipſe principaliter tenetur ad reſtituendum:*

Circa maiorem eſt grauis difficultas, per cauſam, quę ſit intelligenda in maxima illa, quæ eſt argumenti maior. In qua cōueniunt omnes, intelligendam eſſe cauſam efficacem, quæ ipſam efficit acceptionem iniuſtam, in hancque verè influit. Vnde verè rectè ait M. Soto lib. 4. de iuſtitia, quæſt. 7. art. 3. *Vbi iuſſio, & conſilium, & reliqua cau-*

ſæ non ſortiuntur effectum: licet peccatum committatur: nulla tamen oritur reſtitutionis obligatio, Item quando alter ſic eſt certus rem facere, & in procinctu eſt operis, vt impediri non poſſet. Tunc qui diceret: Abi ergo, & fac: non eſſet cauſa efficax, quæ ad reſtitutionem obligaret. Diſceptatio ergo tantum eſt, an etiam ſit intelligenda cauſa, ſine qua non fieret iniuſta acceptio.

Caietanus hic, & M. Soto vbi ſupra, alijque multi dicunt, non eſſe intelligendam huiuſmodi cauſam. Probant 1. Si quis plures habens ſeruos, vnicuique eorum iuberet facere homicidium, vel furtum, & ſingulis ad hoc paratis, & ſufficientibus, ipſo etiam domino ad hoc ipſum per ſe faciendum paratiſſimo, vnus eorum ſolus id faceret, teneretur ad reſtitutionem: at non eſſet cauſa ſine qua non, quia ſine ipſo ab alijs ſeruis, aut ab ipſo domino fuiſſet factũ; ergo vt quis obligetur ad reſtitutionem, non requiritur, vt ſit cauſa ſine qua non fieret iniuſta acceptio, vel iniqua operatio.

Secundo. *Nam etſi nequam meus ſeruus* (ait Mag. Soto) *certus eſſet homicidium facere, nihilominus ſi ego, qui impedire poſſem, iuberem, aut iubendo quodammodo mouerem, non ſum à reſtitutione liber.* At non eſſem cauſa ſine qua non; ergo, &c.

Alij hanc etiam cauſam ſine qua non intelligendam eſſe docent. Vnde Syluester verbo *Reſtitutio* 3. q. 6. dicto 3. inquit. *Quilibet tenetur in ſolidum, ideſt, in totum, ſi aliàs*

id

id actum non fuiſſet, etiam ſi nihil de rapina veniſſet ad eum, aut per ſe nihil damni intuliſſet. Si autem alias actum fuiſſet, ſed non tantum, quilibet ad illud plus tenetur in ſolidum. Si autem actus fuiſſet, & nihil plus actum eſt per opus prædictorum, in nullo tenetur niſi quantum ad eos de rapina perueniat, & in hoc conueniunt omnes Doctores, & Summiſtæ. Præter antiquiores Syluestro in hoc conueniũt Adrianus in 4. de reſtitutione quæſt. de concurrentibus cum fure, Nauarrus capit. 17. num 21. & ex recentioribus innumeri.

Ego tamen exiſtimo, has duas ſententias conciliari poſſe, ſi dicamus ſententiam Caietani, & M. Soto veram eſſe, ſi ſermo ſit de acceptione, quæ licet ſit eadem ex parte rei acceptæ, non tamen eſt eadem ex parte accipientis. Sententiam verò Syluestri, & aliorum, ſi ſermo ſit de acceptione eadem omnino, tam ex parte rei acceptæ quam ex parte accipientis. Hoc ſecundum probatur, vt quis ad reſtitutionem obligetur, debet eſſe cauſa efficax ſuum habens effectum: ſed huiuſmodi cauſa efficax eſt etiam ſine qua non fieret ille eius effectus omnino idem, alias huius plures eſſent cauſæ adæquatæ, & totales, quę illum ſaltem diuiſim poſſent producere; quod nunc ex Philoſophia ſuppono eſſe impoſſibile; ergo etiam requiritur eſſe cauſam ſine qua nõ. Vnde D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5. q. 3. ait, conſulentem ſolum obligari ad reſtituendum, *Quando probabiliter credit, quod*

conſilium fuit efficax, & quod alias iniuſta ablatio commiſſa non fuiſſet.

Primum probant argumenta Caietani, & M. Soto, quæ nihil efficiunt contra ſecundum: nam primi argumenti minor ſolum eſt vera de acceptione, quæ licet ſit eiuſdem rei, non tamen eſt eadem omnino, quæ enim facta fuiſſet ab alijs ſeruis, aut ab ipſo domino, diſtincta numero eſſet ab ea, quæ fieret à ſeruo homicidium, aut furtum faciente, qui certè cauſa ſine qua non eſſet acceptionis, quæ ab ipſo fit, illa enim eadem numero ab alio non fieret.

Argumenti ſecundi maior duos caſus continere videtur. Alter de eo, qui impedire potens homicidium, quod eius ſeruus certus eſt facere, illi iubet, vt faciat, De quo aſſerendum eſt, ſi non tenetur ex iuſtitia impedire, & ſua iuſſione nullo modo mouet ad homicidium eius ſeruum, liberũ eſſe à reſtitutione, cum nec ad illam obligetur, vt non obſtans, quia non tenetur ex iuſtitia impedire, quamuis poſſet: nec vt iubens, quia eius iuſſio nullo modo mouet ſeruum. Alter de eo, qui iubendo quodammodo mouet ſeruum certum facere homicidium. De quo aſſerendum eſt: ſi mouet ad illam actionem iniuſtam, vt illatiuam damni ſimpliciter, (vt multi volunt) quia mouet ad illam totam actionem, vt hic, & nunc fit, illiuſq. vt ſic cauſa eſt; actio autem illa, vt hic, & hunc fit, illatiua eſt dãni, ſimpliciter, abſque dubio tenetur ad reſtitutionem damni. Attamen non eſt

eadem omnino acceptio, aut effectus ſerui illius, quando operatur motus etiam à domini iuſſione, & quando operatur ex vi ſolius propriæ determinationis: ſicut nec eſt: nec eſſe poteſt idem numero calor, quem efficit ſol concurrendo cum igne, & quem ſe ſolo producit: nec eſt idem numero tractus rei, quem quis facit ſimul cum alio, & quem ſe ſolo facit. Differentia verò ſumitur ex parte determinationis voluntatis accipientis, non eſt enim eadem, qua pro ſe ſolo operatur, & qua operatur pro ſe, & pro alio: ſicut non eſt eadem volitio, qua appetuntur duo fines, & qua vno illorum deficiente appetitur alter. Vnde quando ſeruus prædictus motus à ſe, & ſimul à domini iuſſione homicidium facit, ſicut eſt cauſa efficax illius, ita eſt cauſa ſine qua non fieret tale homicidium: nam licet fieret etiam deficiente domini iuſſione; non tamen ex vi eiuſdem determinationis, ſed ex vi alterius, quæ de nouo eſſet: homicidiũ autem factum ex vi alterius determinationis non eſt omnino idem ex parte agentis, nec reſpectu iuſſionis, nam hæc homicidij conſequuti ex vi præcedentis determinationis ſolum eſt cauſa.

Si vero non mouet ad illam actionem iniuſtam, vt illatiuam damni ſimpliciter (vt alij volunt) quia ad illam, vt ſic iam erat ſeruus efficaciter motus, & omnino paratus ex vi propriæ determinationis, ſed ad aliqua accidentia, vel circumſtantias, quæ ad ſubſtantiam damni non pertinent,

nempè vt fieret celerius, vel animoſius, hoc loco, hoc tempore, hoc incremento, hoc modo; & cum hoc incremento, non tenetur ſubſtantiam damni reſtituere, cum eius cauſa non eſſet, neque aliquid aliud, niſi forte damni augmētum, vel exceſſum, ſi aliquod ob prædictas circumſtantias illatum eſt, & ſine illis non fuiſſet factum, ſicque nec ſine iubentis domini iuſſione; hæcque proinde ſicut cauſa efficax eſſet, nō quidē ſubſtantiæ damni, ſed eius augmēti; ita cauſa eſſet ſine qua non fieret, nō quidē damni ſubſtantia, ſed damni augmentum Vide Dian. 3. p. tract. 5. miſc. reſol. 47. & 84.

Circa minorem argumenti facti pro cōcluſione notandum eſt, iubentis nomine intelligendum eſſe illum, qui damnum fieri mandat expreſsè, vt ſi dicat ſeruo, fac hoc: aut implicitè, vt ſi dicat; gratum mihi foret; vel vtinam quis hoc mihi obſequium præſtet. Vnde qui hoc, aut illo modo damnum fieri mandat, ad reſtitutionem tenetur, niſi forte ante damnum illatum reuocet mandatum; ſi enim reuocaret, & mandatario inſinuaret, iam non eſſet cauſa mouens, ſicque nec teneretur reſtituere. Non tamen eſt intelligendus, qui ratum habet damnum: nam licet in cap. *Ratihabitionem*, De regulis iuris dicatur: *Ratihabitionem retro trahi, & mandato comparari*: Hoc tamen intelligendum eſt reſpectu contractuum, non reſpectu damni illati: Quia ſola voluntate foris expreſſa firmari poſſunt contractus; non tamen cauſari

damnum præteritum, & ex ratihabitione facti præteriti, per quod damnum illatum eſt, ipſum factum nullo modo pendet tanquam ex cauſa mouente.

Si quæras, an quando quis iuſſit occidi Petrum, & mandatarius occidit Ioannem exiſtimans eſſe Petrum, teneatur mandans reſtituere? Reſpondent quidam teneri: quia ſufficit mortem fuiſse ſequutam immediatè ex imperio, & per accidens eſt, quod ille, vel alter occidatur. Sed hoc difficultate non caret: nam videtur mortem Ioannis non fuiſſe immediatè ſequutam ex imperio mandantis, ſed ex errore mandatarij. Deinde mors Ioannis omnino inuoluntaria fuiſſet iubenti Petrum occidi, maximè ſi Ioannes eſset eius amicus, aut pater, vel certè Sacerdos, aut Rex. Denique cum non teneretur reſtituere damna, quę ſequuta fuiſsent ex morte Petri, nam nemo tenetur niſi de damno, quod fit, durum eſset obligare illum ad reſtituenda damna, quæ ſequuta fuerunt ex morte Ioannis, ſi eſset Rex.

Dicendum eſt 2. conſulentem etiam teneri ad reſtitutionem, non quidem ſemper, ſed quando eius cõſilium eſt cauſa efficax, ex qua eſt iniuſta acceptio ſubſequuta. Docet hoc D. Tho. hic. *Non enim* (inquit) *ſemper conſilium, &c. eſt efficax cauſa rapinæ. Vnde tunc ſolum tenetur conſiliator, &c. ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex huiuſmodi cauſis fuerit iniuſta acceptio ſubſequuta.* Si id probabiliter æſtimari

nequit, etiam ſi dubium ſit, an conſilium fuerit iniuſta acceptio ſubſequuta, aſſerunt multi (licet alij contrarium dicant) non teneri conſiliantem ad reſtitutionem. Quę eſt etiam ſententia Syluestri verbo *Reſtitutio* 3. q. 6. d. 2. aſſerentis. *Vbi eſt ſolum dubium, non eſt obligatio: quia cæteris paribus potior eſt conditio poſſidentis*.

1. De iuſſione dixerat D. Thom. ſemper obligare ad reſtitutionem: de conſilio autem ſubdit non ſemper obligare ad reſtitutionē. Vtrumq; autem intelligendum eſt per ſe, & ex ſuo genere. Iuſſio enim propter vim coercitiuam, quam habet, per ſe, ex ſuo genere eſt cauſa efficax, licet per accidens aliquando talis non ſit, quia non fit, quod præcipitur, aut non fit ex vi præcepti, ſed ex vi determinationis propriæ exequentis, qui ita paratus eſt, & in procinctu ad iniuſtam acceptionem, vt iuſſio nihil ipſum moueat, ſed quaſi ipſi facta non fuerit operetur. Conſilium autem cum abſque vlla vi moueat, per ſe, & ex ſuo genere non eſt cauſa efficax, licet aliquando talis ſit, quia ex illo mouetur exequens ad iniuſtam acceptionem, hancque facit.

Si quæras, an ſi conſulens ante executionem iniuſtæ acceptionis, vel damni reuocet conſilium, & contrarium perſuadere nitatur, non tamen obtineat, ſed ſequatur iniuſta acceptio, ad reſtitutionem teneatur? Reſpondent quidam, & non improbabiliter, non teneri: quia fecit, quod in ſe eſt, vt conſilium ſuum euerteret; ſicquę

videtur, executorem non moueri ipſius cõſilio, ſed ſua malitia. Ex quo inferunt: ſi conſuluiſset clericum occidere, hicque poſt ſui conſilij reuocationem fuiſset occiſus, non incurrere in excommunicationem, nec in irregularitatem, ſicut nec in obligationem reſtiendi. Vide Dianam 3.p. tract. 5. miſcel. reſol. 83. Communior tamen ſententia eſt: quando conſilium fuit falsũ, v.g. licitum eſse aliquem contractum, qui reuera illicitus eſt; ſufficere, vt conſulens illud retractet, dicendo ſe fuiſse deceptum: nam qui petiuit conſilium, ſolum fuit motus conſulentis conſilio; quia putauit verum ipſi dixiſse; ſicque poſtea reuocando conſilium, falſum eſse aperiendo, ſufficienter tollit cõſulens omne id, à quo alius moueri poterat, ac proinde ſi perſiſtit in concepta actione damni illatiua, iam non cõſulentis conſilio, ſed ſuæ malitiæ imputandum eſt. Quando autem conſilium fuit verum indicando modum, vel rationem faciendi crimen; vel honorem, aut commodum, quod ex illius perpetratione poteſt reportari, non ſatis eſse conſilium retractare: quia cum oſtenſione prædictorũ fuerit fur, aut homicida ad maleficium perpetrandum motus, & hæc motio maneat quandiu ipſe eodem motiuo incitatus vult conceptum delictum perficere, conſulens, qui eſt cauſa huius voluntatis, etiam eſt cauſa effectus ſcilicet damni ſubſequuti. Vnde ſicut qui amenti ſemel arma dedit, vt quempiam interficeret, etiam ſi illa

eri-

eripere ab eo conetur, niſi re ipſa auferat, damnum ſequutum reſarcire tenetur: ita, & prædictus conſulés; debebat enim præuidere mala, quæ inde ſequi poterant, & non fore poſtea in ſua poteſtate impedire, quin conſilium illud exiret in opus. Quod attinet ad cenſuras dicunt multi, illas incurrere, quamuis ob retractationem, ac pœnitentiam in gratia ſit: nam etſi cenſura non contrahatur, niſi ob peccatũ mortale; non tamen opus eſt, vt illius peccati culpa tunc committatur, ſed ſufficit commiſſam eſſe, & effectum eius, ſeu opus externum ex vi illius tunc fieri. Alij illas non incurrere dicunt coram Deo, quicquid ſit de foro exteriori: quia non infliguntur pro peccato præterito, niſi perſeueret contumacia, dum exercetur actus, pro quo latæ ſunt. Subdunt tamen incurrere irregularitatem, quę ſinę peccato incurri poteſt, & non habet rationem cenſuræ, ſed ſolam ſignificationem. Vide Mag. Bañes hic dubio 1.

Si quæras 2. an, qui conſulit minus malum, vt maius auertat, teneatur ad reſtitutionem? Reſpondet M. Soto lib. 4. de iuſtitia, q. 7. ar. 3. ad finem, ad nullam prorſus reſtitutionem teneri: *Nam conſulere minus malum, non eſt conſulere ſimpliciter malum, ſed comparationem illam, quæ habet rationem boni. Neque intentio fertur in malum, quod minus eſt, ſed in hoc, quod eſt maius impedire.* Subdit tamen hoc intelligendum eſſe, quando conſulitur minus damnum inferri

ali-

alicui, ne eidem maius inferatur: *Etenim ſi ad euitandum damnum, quod Petro datur, conſulis, vt minus detur Paulo, citra dubium teneris, quandoquidem illum læſiſti.* Si executor de vtroque cogitaret, & anceps eſſet vtri damnum inferret, Petro, ne an Paulo, ſuadere ei poſſet in genere, vt minus malũ inferat, & indicare cui minus inferret, relinquendo eius iudicio vtrum malit amplecti: nam hoc non eſt ſuadere, vt huic potius, quam illi noceat, ſed tantũm proponere veritatem ſpeculatiuam.

An verò, qui minus malum conſulit, vt maius auertat, non ſolum non teneatur ad reſtitutionem, ſed nec etiam aliquo modo peccet, difficultate non caret. M. Soto vbi ſupra in illam partem propendit: *Quod nulla ſit culpa: immo ſit quandoque virtus.* Caietanus etiam in Sum. verbo *Tyrannis*, hanc partem tenet dum ait: *Sicut luxurioſa ſanctè conſulitur, vt non adulteretur, ſed fornicetur, hoc eſt, minus malum committat, quia ſubintelligitur, ſi luxuria vti vis: ita occupatori dominij ſanctè ſuadetur, quod minus malè vtatur dominio illo.* Oppoſitum docere videtur hic q. 78. ar. 4. Sed explicari poteſt de minori malo, vt malum eſt: vt ſic enim nec vt viterur maius malum conſulendum eſt; ſicut nec eligi, nec fieri poteſt, cum non ſint facienda mala, vt veniant bona. Si tamen de illo ſit ſermo, non quatenus malum eſt, ſed quatenus eſt, quo impeditur maius malum, ſuppoſito, quod aliter vitari non poteſt, licitum eſt minus malum conſulere.

Nec

Nec obſtat, nonpoſſe eligi, aut fieri. Quia electio, & operatio nō poſſunt illud, vt malum non reſpicere, aut cauſare, cum non præſupponant aliam cauſam. Conſilium verò cum iam inueniat executorem paratum etiam ad maius, poteſt minus malum reſpicere, ſolum quatenus eſt, quo impeditur maius malum. Vnde non conſulitur, quod ſine peccato fieri nequit, cum ſine illo maius malum poſſit dimitti: quod autem de facto non dimittatur ſine peccato, cauſa non eſt conſilium, ſed praua exequentis determinatio.

Dicendum eſt 3. conſentientem ſemper per ſe loquendo obligari ad reſtituendum. Probatur ex eodem D.Thom. hic, vbi numerans in quæ ſemper obligant ad reſtitututionem, ait: *Secundo conſenſus, in eo, ſcilicet, ſine quo rapina fieri non poteſt*. Per accidens autem contingere poteſt aliquando, vt conſentiens non obligetur ad reſtitutionem. Exemplum huius ponit Caiet. in Sum. verbo *Reſtitutio*, cap. 1. §. *Conſenſus*, his verbis: *Si in communitate aliqua plura vota vincunt, & dum dantur vota aperta aliquis ex vltimis videns vnita vota præcedenti iã iam viciſſe, & videns, quod ſuum votum in contrarium nihil prodeſſet, conſentit ob aliquem humanum reſpectum iniuſto facinori, peccat quidem mortaliter, quia conſentit iniquitati; non tenetur tamen ad reſtitutionem, quia conſenſus eius, nec eſt cauſa, nec concauſa*. Subdit tamen: *Secus eſt de præcedentibus, quia licet præuideant ſubſequentes conſenſum daturos, non*

pre-

propterea conſenſus eorum à cauſarum numero excluditur: tum quia conſenſus omnes antecedentes ſunt, & tendunt ad verè integrandam cauſam; tum quia in inſtanti homo mutatur, & propterea poſſent ſubſequentes diſſentire, quorum nullum locum habet in primo caſu. Aduertũt etiam alii, conſulto dixiſſe Caietanum, *Dum dantur vota aperta.* Nam ſi occulta, & ſecreta ſint, ad reſtitutionem tenetur etiam vltimus, eſt enim etiam ipſe cauſa. Sed hæc difficultate non carent. Eadem enim ratio videtur eſſe de omnibus, cum omnia vota ad reſolutionem conſilii æqualiter cõcurrant, vt cauſæ partiales integrantes vnam totalem: & ſicut aliquis ex vltimis videre poteſt vota præcedentium viciſſe: ita qui primam vocem habet, poteſt præuidere ſubſequentes victuros, certo ſciens paratiſſimos eſſe ad facinus iniuſtum condemnandi innocentem ad mortem, vel confiſcationem bonorum, aut eligendi indignum: & ſicut ſubſequentes poſſunt mutari, & diſſentire, ita & præcedentes retractare poſſunt, quod dixerant, & diſſentire. Niſi forte dicas cum Nauarro cap. 17. numero 21. *Hoc procedere, quando, qui ſuffragantur, non poſſunt data ſuffragia reuocare.*

Dicendum eſt 4. Palponem, id eſt, adulatorem, vel laudantem teneri ad reſtitutionem, non ſemper, ſed tunc ſolũ, quando probabiliter æſtimari poteſt, ex eius adulatione tanquam ex cauſa fuiſſe iniuſtam acceptionem conſequutam. Ita D. Thom. hic, vbi eodem modo loquitur de adulatio-

ne, ac de conſilio: vnde ſicut conſiliator non ſemper obligatur ad reſtituendum, ſed quando conſilium eſt cauſa iniuſtæ acceptionis: ita, & palpo. Et eadem eſt ratio de exprobrante, aut vituperante; ſi enim exprobrando, aut vituperando ſit cauſa efficax iniuſtæ acceptionis, ad reſtitutionem tenetur.

1 Dicendum eſt 5. Recurſum ſemper per ſe obligare ad reſtitutionem. Docet hoc D. Thom. hic, vbi numerans, quæ ſemper obligant ad reſtitutionem ait: *Tertiò recurſus, quando ſcilicet aliquis eſt receptator latronum, & eis patrocinium præſtat.* Patet etiam, quia per ſe eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, & moraliter cenſetur coöperari ad damnum inferendum, vel non reparandum illatum, tanquam præbens animum, & ſecuritatem malefactori, ex quo ad damnũ inferendum mouetur, & poſt crimen patratum ad non reſtituendum incitatur.

Aduertendum tamen eſt: Quod ſicut teſte Caietano in Sum. verbo. *Excommunicatio* cap. *Receptator hæreticorum. ſolus eſt, qui recipit hæreticum quatenus hæreticum*, vt ſcilicet in hæreſi permaneat, vel foueatur: ita receptator furis, vel malefactoris (vt ad præſens attinet) ſolus ille dicitur, qui malefactorem recipit formaliter, hoc eſt, quatenus eſt malefactor, & vt ſecurius male agat, & in ſuis delictis permaneat. Vnde, qui bona fide ignorans aliquem eſſe malefactorem illum recipit, & qui malefactorem etiam cognitum recipit, non formaliter,

ter, ſed materialiter, hoc eſt, non quia maleſactor eſt, ſed quia amicus, vel cognatus ipſius eſt, vel quia in domo ſua ſolet hoſpitio recipere quoſcunque aduenientes, vt ſtabularius, nihil tenetur in conſcientia reſtituere, quia nec cooperatur maleficio, vt ſic, nec eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, vel detentionis, ſed potius per ſe loquendo facit actum charitatis. Idem eſt de eo, qui abſcondit malefactorem, ne à lictoribus iuſtitiæ capiatur, dum tamen ſimilis opitulationis in poſterum ſpem non tribuat, qui fidens malefactor rurſum damnum inferat.

Dicendum eſt 6 Participantem etiam ſemper per ſe obligari, ad reſtitutionem. Ita D.Thom. hic, vbi numerans, quæ ſemper obligant ad reſtitutionem inquit: *Quarto participatio, quando ſcilicet aliquis participat in crimine latrocinij, & in præda*. Quibus verbis non ſignificat in vtroque debere participare, vt ad reſtitutionem obligetur, ſufficit enim, vt in quolibet eorum participet, nempe, aut in crimine, aut in præda; ſed ſenſus illorum eſt, ad reſtitutionem obligari, qui participat in crimine, & etiã, qui participat in præda. Eſt tamen inter participantem in crimine, & participantẽ in præda hæc differentia: quod participans in crimine iniuſtæ acceptionis tenetur in ſolidum ad reſtitutionem totius damni per talem acceptionem illati; etiam ſi nihil prædæ, vel rei acceptæ ad illum deuenerit. At participans in præda, vel re accepta ſo-

lum tenetur reſtituere, quod ad eum deuenit. Et quidem ſi quando ad eum deuenit, exiſtimabat bona fide, rem non eſſe furtiuam, ſolum tenetur reſtituere, quod de ea apud ipſum manet, aut id, in quo factus eſt ditior, iuxta ea, quæ diximus ſupra art. 6. dub. 1. & 4. Si verò, quando ad eum deuenit, ſciebat eſſe rem furtiuam, quicquid ad eum deuenit, etiam ſi nihil eius extet, & in nullo factus ſit ditior, reſtituere tenetur ratione iniquæ acceptionis.

Participans in crimine ille dicitur, qui præbet auxilium, ſeu adiuuat ad iniuſtam acceptionem, vel operationem. Inquit autem M. Soto lib. 4. de iuſtitia q. 7. artic. 3. *Ratio, quæ percipiendum eſt, an aliquis ſit alteri auxiliaris cauſa, hæc ſola eſt, ſi fecit aliquid, quod alicuius eſſet momenti ad rem pertinentis. Obuios noctu habuiſti fures, quibus admouentibus muro ſcalam, tu quoque illam tetigiſti: nihil tamen ex te illud pendebat, nam ipſi tam faciebant: non es ergo ſecundum conſcientiam cauſa cenſendus*. Sed quamuis quod aliquis facit, alicuius ſit momenti ad rem pertinentis, contingere poteſt, vt qui illud facit, non ſit participans in crimine, nec teneatur ad reſtitutionem. Exemplum conſtituunt multi in captiuis Chriſtianis remigantibus in triremibus Turcarum contra Chriſtianos; quos (licet condemnet Nauarrus cap. 27. num. 63.) excuſant a peccato, & obligatione reſtituendi: quia non remigando imminet eis periculum mortis; cum tanto autem periculo nemo tenetur

de-

defendere bona, aut vitam alterius: In ruſticis etiam, qui prædas militum iniuſtas coguntur auehere, vel pecora ſublata deducere. In illis quoque, qui metu mortis cõpulſi à furibus apponunt ſcalas, præbent inſtrumenta effringendi, iuuant conſcendere murum, aut domum. Hæc enim per ſe mala non ſunt, ſed indifferentia; & dominum non lędunt, niſi ex iniqua intentione, & vſu furum, aut militum, aut Turcarum, qui his auxilijs vtuntur ad malum finem. Vnde, ſicut licitum eſt famulę domino iubenti parare, & miniſtrare cibos, quibus preceptum eſt fracturus, ne ex domo expellatur, & ſtipendio ſibi iure debito priuetur; vt colligitur ex Caietano infra q. 147. art. 4. & ſuſtentando deferre caudam dominæ ſuæ euntis ad fanum idoli, vel Mahumeti, vt ex facto Naaman Syri per Eliſeum approbato 4. Reg. 5. v. 18. colligunt Lyra, ibi, & alij: dominamque meretricem euntem ad fornicandum aſſociare, amatoribus eius ianuam aperire, & lectum componere, in quo cum ea peccant, immo, & (ſi vera eſt ſententia Nauarri lib. 5. cõſil. 4.) eis literas deferre, eoſque verbis à ſua domina prolatis vocare: ita, & predicta licita ſunt. Secus eſt de his, quæ ex natura ſunt mala; hæc namque, nec ob vitandam mortem licitum eſt efficere: vnde Chriſtianis remigantibus in triremibus Turcarum nõ licet arma ſumere, vel pugnare contra Chriſtianos: nec ruſticis iniuſtè prædari res alienas primo auferendo, aut pecora è ſtabulo

bulo abigendo: nec alijs quibuſcunque domos alienas perfringere, vel per feneſtras penetrare, & res foras proijcere. Si quis etiam ſine metu mortis furi aſcendenti ad furandum teneret ſcalam, quam, & ſi non teneret, tamen aſcenderet: & qui aſportando rem furtiuam adiuuaret furem, qui etiã ſine eius ſubſidio auferret, aſſerunt quidam non teneri ad reſtitutionem: quia non adiuuaret ad ſubſtantiam damni, ſed ad modum, vt citius, & expeditius fiat.

De militibus pugnantibus in bello manifeſtè iniuſto grauis difficultas eſt, an quilibet eorum participet in crimine iniuſtè acceptionis factæ ab alijs, ſicque in ſolidum teneatur ad reſtitutionem totius prædæ ab vniuerſo exercitu captæ. Caietanus hic, & M. Soto lib. 4. de iuſtitia, q. 7. art. 3. alijque permulti ad talem reſtitutionem in ſolidũ teneri affirmant. Omnes enim milites exercitus coeunt in vnam cauſam, & ceu vna manus expoliant vrbem, & ſinguli efficaciter, licet non totaliter, ad totum damnum concurrunt, cum vnus alteri preſtet fiduciam, auctoritatem, aut qualemcumque opem, nec vnus, ſine aliis facinus aggredi fuiſſet auſus; ergo omnes, & ſinguli tenentur ad reſtitutionem in ſolidum. Hæc ſententia valde probabilis eſt. Sed non minus probabilem eſſe exiſtimo ſententiam negantem teneri: illam enim docent Paludanus in 4. d. 15. q. 2. art. 5. vbi de his, qui militant in bello manifeſtè iniuſto loquens ait, peccare quidem: *Sed quia non ſunt prin-*

cipa-

cipales, nec vnuſquiſque eſt adiuuans taliter, quod ſine eo non fieret prædatio, non tenetur reſtituere omnia ſpolia exercitus, ſed ſolum quantũ ad eum peruenit. Syluester verbo *Bellum*, 1.q.10.con.7.Nauarrus cap.17. n. 21.& alij tam ex antiquis,quam ex recentioribus innumeri, vide Dianam 3. p. tract. 5. miſcel. reſol. 86. Præterea in bello iniuſto ſine quolibet milite particulari, dempto damno,quod ipſe per ſe ipſum facit, ita infertur damnum ab alijs, vt etiam ſi ipſe non adfuiſſet, idem omnino damnum fuiſſet illatum ab eiſdem, & ex vi eiuſdem determinationis; ergo quilibet miles in particulari, dempto damno, quod ipſe per ſe ipſum intulit iniuſtè accipiendo aliquid, nihil aliud tenetur reſtituere: niſi fortè vnus alterum iuuerit, aut incitauerit ad damnum, quod ſine eius auxilio, aut ſuaſione non feciſſet. Conſequentia patet ex dictis con. 1. Nec eſt verum, omnes milites vnâ cauſam per ſe efficere, tanquam partiales integrantes totalem, & partialiter concurrentes ad totum damnum, eo pacto, quo concurrunt ad tractum nauis duo trahentes nauem; plures enim cauſæ totales ſunt, quarum quælibet ſuam partem damni efficit ſolum, hocque modo partem, ſcilicet ſuam faciẽdo concurrit ad totius vrbis expoliationem, eo modo, quo ad totius nauis combuſtionem concurrunt plures, quorum quilibet ſuam tabulam comburit. Vnde ſicut quilibet ſolum eſt cauſa damni totius ratione partis, quam ipſe intulit: ita ſolum

lum

lum tenetur ad reſtitutionem pro ſua parte; ſicut, & qui ærarium expilaſſent, vnus furando tria ſcuta, & alter alia tria, non tenerentur in totum, ſed pro ſua parte, etiam ſi hoc feciſſent ſimul, & vno vidente, quod facit alter, dummodo non ſe inuicem inuitarent, & adiuuarent. Nec quia vnus militum, ſine alijs non fuiſſet auſus aggredi facinus, ſequitur vnum alteri præſtare fiduciam, auctoritatem, aut opem obligantem ad reſtitutionem damni, quod alter fecit: nam ſæpe contingit, homicidam, aut latronem non audere aggredi aliquem euntem cum ſocio, quem tamen aggreditur videns alium homicidam, aut latronem velle aggredi ſocium, & tamen vnus non tenetur reſtituere damnum, quod alter fecit, niſi illum ad hoc incitauerit, procurraueritque, vt faceret.

De his, qui omnes fructus alienæ vineæ ſurripiunt, vnoquoque tantum duos, vel tres racemos accipiente, ſi id ſimul faciant, idem dicendum eſt; ac de militibus. Si ſeorſum faciant, inquit M. Soto libro quarto de iuſtitia, q. 7. art. 3. *Eiuſmodi furatiunculas non fuiſſe peccata mortalia. Neque propter damnum, quod poſtea ingens emerſerit, vllius actio fuit facta mortalis. Nihilominus cum poſtea ratione enormis nocumenti reſtitutio ſub pœna excommunicationis præcipitur, quicumque ſub pœna peccati mortalis tenetur, vel reſpondere, vel ſoluere id tantum, quod accepit.* Hoc quidam intelligendum eſſe dicunt, quando vnuſquiſque ex accipientibus neſcit, nec

nec ſcire debet damnum ab alijs illatum, aut inferendum: ſi enim ſciret, aut ſcire debuiſſet, mortalitter peccaret accipiendo, & quod accepit, ſub mortali reſtituere teneretur. Et qui non aduertit, nec debet aduertere, licet accipiendo ſolum peccet venialiter; ſi tamen poſtea ei conſtat de damno, tenetur ſub mortali, quod accepit reſtiture, & reſpondere excommunicationi latæ de hoc. Alijs hęc intelligentia nimis ſcrupuloſa videtur, nam vę itinerantibus ſi vera eſſet Vnde aſſerunt, & non improbabiliter: etiam ſi vnuſquiſque ſciat alios accipere, ſicque magnum damnum inferri domino vineæ, non peccare mortaliter modicum accipiendo, neque teneri ſub peccato mortali ad reſtitutionem, niſi forte fuerit aliis cauſa accipiendi, eos ad accipiendum hortando; in quo caſu non ſolum, quod accepit, ſed etiam, quod alij acceperunt, tenetur in ſolidum reſtituere. Probant, nullus accipiendo rem alienam peccat mortaliter, aut ſub mortali tenetur reſtituere, niſi eam accipiat in magna quãtitate, aut ſit cauſa, vt alii in magna quantitate accipiat; ſi enim ſolum ſit occaſio ſuo malo exemplo, vt alij accipiant, licet peccet mortaliter; non tamen contra iuſtitiam, ſed contra charitatem. ſicque non obligatur ad reſtitutionem; ſed nullus ex prædictis rem alienam accipit in magna quantitate, nec eſt cauſa, vt alii accipiant, alias non ſolum, quod ipſe accipit, ſed etiã quod alii acceperunt, teneretur reſtituere,

nec eſt occaſio ſuo malo exemplo alios ſcandalizans, cum ipſum non videant, aut cognoſcant; ergo licet vnuſquiſque ſciat alios accipere, non peccat mortaliter, nec ſub mortali tenetur reſtituere, quod accepit: nam & ſi hoc ſciat, damnum, quod alij faciunt, nullo modo poteſt illi attribui, nec illud impedire poteſt, etiam ſi à ſua parte accipienda deſiſtat, aut quam accepit, reſtituat. Et quamuis aliquo modo dici poſſit, ipſum cum alijs magnum damnum inferre domino vineæ, ſicque ad tale magnum damnum aliquo modo concurrere; hoc tamen non eſt, niſi quia partem ſuam facit; quę cum ſit exigua, non ſufficit ad peccatum mortale, nec ad obligationem reſtituendi ſub mortali; eo vel maximè quod pręter intentionem cuiuſque ſit, vt illa cum alijs coniugatur, & magnum damnum conſtituat, & nullus conſentiat in totum damnum, ſed cuilibet diſpliceat, quod magnum damnum inferatur. Si vnus ſciens, alios abſtuliſſe 49. botros, & ſi ipſe auferat vnum, complere notabilem quantitatem, illum auferat, non propterea peccat mortaliter, ſicut peccaret, ſi ipſe 49. botros, abſtuliſſet, vt dicemus infra q. 66. art. 6. dubio 2. nam ſi ipſe abſtuliſſet 49. botros, accipiendo quinquageſimum, compleret damnum à ſe factum, illudque notabile faceret, & grauiter læderet proximum; quod non contingit, quando ſciens alios 49 botros abſtuliſſe, aufert vnum. Nec eſt incõueniens, vt quis magnum damnum

accipiat & nullus ſit, qui ſub mortali teneatur reſtituere; quia nullus tale magnũ damnum fecit. Non eſt etiam eadem ratio, quando vnus à multis notabilem quãtitatem aufert, ac quando plures ab vno auferunt: nam ille vnus infert notabile nocumentum; ex iſtis verò pluribus nullus notabile nocumentum infert; ſicque nullus peccat mortaliter, nec ſub mortali tenetur reſtituere, niſi cum poſtea ratione enormis nocumenti facti proximo à pluribus reſtitutio ſub pœna excommunicationis præcipitur, vt ait M. Soto vbi ſupra, vbi, & addit: *Quod ſi arguas, excommunicationem non eſſe licitam, niſi pro peccato mortali: Reſpondetur, id eſſe per ſe verum ratione culpæ: ſecus autem ratione emergentis damni.* Quibus verbis indicat aperte, ante latam excommunicationem non fuiſſe mortalem culpam non reſtituere: quamuis enim quod præcipitur ſub pœna excommunicationis latæ, ſub mortali fieri debeat, non tamen ex vi alterius præcepti, qam excommunicationis, quo conſtat ex iuſta cauſa poſſe præcipi rem etiam indifferentem.

Dicendum eſt 7. Mutum, hoc eſt, qui tacet, cum loquendo impedire poſſet iniuſtam acceptionem, nempe reprehendendo, diſſuadendo, prohibendo, deprecando, clamando: non obſtantem etiam, hoc eſt, qui ſuo auxilio potuit impedire, & noluit: & non manifeſtantem, hoc eſt, quo prodente furtum, damnum fuiſſet auerſum

vel reſtitutum; teneri ad reſtitutionem, nō ſemper, ſed ſolum, quando incūbit alicui ex illis ex officio. Docet hoc D. Thom. hic dicens: *Non ſemper ille, qui non manifeſtat latronem, tenetur ad reſtitutionem, aut qui non obſtat, vel qui non reprehendit: ſed ſolum quando incumbit alicui ex officio, ſicut principibus terræ, quibus ex hoc non multum imminet periculum. Propter hoc enim poteſtate publica potiuntur, vt ſint iuſtitiæ cuſtodes.*

Probatur 2. quia niſi alicui incumberet ex officio, non teneretur manifeſtare, obſtare, aut reprehendere ex iuſtitia; ergo licet hæc omittendo peccaret, non tamen contra iuſtitiam, ſed contra charitatem. At nullus tenetur ad reſtitutionē, niſi contra iuſtitiam peccet; ergo, &c Vnde vt optime ait M Soto lib. 4. de iuſtitia, q. 7. ar. 3. *Si vicini domum latronibus impeti vides, aut à furibus perforari, licet non obſiſtas, dum poſſis, peccaſti quidem grauiter contra charitatem: nulli tamen ſecundum conſcientiam te ſubiugas reſtitutionis iugo &c. Immo cenſuerim, quod etiam ſi latro tunc infragranti delicto munus vicino offeret; qui de iuſtitia non tenetur inclamare, vt taceret, non fieret ille reſtitutionis reus.* Quod intelligendum eſt, niſi forte tale munus ſit pars furti: hanc enim tenetur reſtituere ratione rei acceptæ: & niſi accipiendo munus furem non animaret, ac ſecuriorem redderet hoc quaſi exteriori ſigno; ſi enim animum, ac ſecuritatem ei præberet, ita vt ſi munus non accepiſſet, furtum, aut non fuiſſet factum,

aut

aut non tam audacter, & ſecure, ad compenſationem etiam damni teneretur: quod cum munus ante furtum recipit, regulariter contingit.

Caietanus in Sum. verbo *Reſtitutio*, cap. primo §. *Non manifeſtans*, ad reſtitutionem etiam teneri docet illum, qui licet ex officio, non ex occurrenti tamen articulo neceſſitatis, loqui, obſtare, & manifeſtare tenetur, & poteſt abſque ſuo damno, & periculo. Ratio eſt, quia hic cauſa eſt iniuſtæ acceptionis quamuis indirectè, non minus, quam qui ex officio tenetur. Idem tenent Angelus verbo *Furtum*, num. 26. & Richardus in 4. d. 15. q. 4. & alij; cum hac tamen limitatione, ſi quiſpiam prauo animo non loquitur, obſtat, aut manifeſtat, nempe, quia odio vicinum habet.

Melius tamen Scotus, & reliqui id negant (ait M Soto vbi ſupra) *Perſiſtendum namque eſt in illa ſuperius aſſerta regula, quod ſola contaminata charitas, niſi iuſtitia violetur, neceſſitatem reſtitutionis non inducit*. Et quamuis, qui non tenetur ex officio, ſicque nec ex iuſtitia, ſed ſolum ex charitate, non loquendo, non obſtando, aut non manifeſtando, aliquo modo poſſit dici cauſa indirectè iniuſtæ acceptionis; non tamen ita propriè, ſicut, qui ex officio tenetur: quemadmodum, & gubernator, cui non eſſet commiſſa nauis gubernatio, non ita propriè eſſet cauſa ſubmerſionis nauis, etiam ſi poſſet eam liberare, & non faceret, vt colligitur ex D. Thom. 1. 2. q. 6 ar. 3. Et ad re-

ſtitutionis obligationem incurrendam non ſufficit, quomodocumque eſſe cauſam iniuſtæ acceptionis, ſed requiritur, cauſam eſſe ex officio, ſicque ex iuſtitia obligatam ad impediendum. Vnde licet Alex. 3 cap. *Sicut dignum*, De homicidio, dicat, qui potuit hominem à morte liberare, & non liberauit, occidiſſe: eodem tamen modo loquitur, quo S. Ambr. dicens, quem non pauiſti, occidiſti, quia ſcilicet ſe reum homicidio fecit, vt eſt contra charitatem; non vt contra iuſtitiam, propter quod non tenetur damna reſtituere. Quamuis etiã Innocentius III. cap. *Quantæ*, De ſent. excom. declaret excommunicatos eos, qui deſinunt obuiare inijcientibus manus violentas in clericos, non ſequitur, eos ad reſtitutionem teneri: nam excommunicatio non requirit, peccatum eſſe contra iuſtitiam, ſicut obligatio reſtitutionis. Gloſa præterea ibi loquutum fuiſſe dicit de illis, qui ex officio tenentur.

Illi autem, quibus ex officio incumbit loqui, obſtare, & manifeſtare, quales ſunt principes terræ, vt hic ait D. Thom. Magiſtratus, Prætores, Duces belli, Iudices, & alij miniſtri iuſtitię, Cuſtodes montium, ſyluarum, vinearum, & meſſium ſtipendiati, Oeconomi reſpectu bonorum dominorum ſuorum, Tutores reſpectu pupillorum, Adminiſtratores reſpectu bonorum, quorum adminiſtratio eſt eis commiſſa, & famuli, quibus eſt commiſſa cuſtodia domus, vt ianitores, vel aliquarum rerum,

vt

vt cuſtodes veſtium, vaſorum &c. tenentur ad reſtitutionem, quando damnum inferunt ex negligentia, & culpa eorum: non quidem leuiſſima, ſed leui, aut graui. Nec enim Reſpublica, aut aliquis alius intendit prædictos obligare, vt adhibeant omnem diligentiam, & ſolicitudinem, quæ adhiberi poteſt, ſed quæ ſolet a viris probis adhiberi: nec vllus prædictorum intendit ſe ad maiorem diligentiam obligare: nec eſſet, qui vellet officia, aut munera hæc ſuſcipere cum tanto onere, & vinculo, vt ex leuiſſima culpa, & negligentia eſſent ad reſtitutionem obligari cum in leuiſſimas negligentias paſſim, & facile omnes incidant.

Si quæras, an illi, quibus ex officio incumbit, teneantur cum periculo mortis loqui, obſtare: ac manifeſtare? Reſpondet M. Soto lib. 4. de iuſtitia, q. 7. ar. 3. ad 3. *Penſandum eſſe damnum, & cum periculo conferendum. Haud enim ſemper tenetur prætor quocumque caſu obijcere morti vitam; ſed vbi detrimentum Reipublicæ id expoſcit, & ipſe iuſtum recepit ſtipendium, & vbi citra temeritatem poteſt obſiſtere.* Idem ſentit Nauarrus cap. 17. num. 21. & colligit ex D. Tho. hic ad 3. dicente: *Quibus ex hoc non multum imminet periculum.* Vnde ſi multum periculum vitę, famæ, aut rei familiaris eis immineret, non tenerentur damna particulariũ, furta ſcilicet, aut homicidia impedire; niſi forte maius eſſet ſtipendiũ eorum quam damnum particularium: tunc enim

cũ damno rei familiaris, tenerentur damnã priuatorum impedire. Damno vero communi hæreſum, próditionum Reipublicæ, & ſimilium etiam cum periculo vitæ tenentur obſiſtere, cum hoc prępondereꝫ bono particulari.

An vero cuſtodes, & vigiles ciuitatum diſſimulantes teneantur pœnam ſoluere, quæ delinquentibus eſſet irroganda, ſub lite eſt. Mag. Salon hic controuerſ. 5. & alii, ad eam ſoluendam ante iudicis condemnationem teneri affirmant. Alli oppoſitum tenent cum Syluestro verbo *Reſtitutio*, 3. q. 5. n. 7. vbi ſic habet: *Cuſtodes, & vigiles ciuitatum non accuſantes, quos inueniunt euntes poſt ſonum campanæ, licet peccent mortaliter, & ſint periuri, ſi accuſare iurauerunt, non tamen tenentur ſoluere pœnam, quam ſoluiſſent illi, ſi fuiſſent accuſati, ſecundum S. Bernardinum: quia illi nondum fuerunt accuſati. Si tamen ab eis aliquid munus acceperunt, tenentur pauperibus erogare, & ſi vidiſſent, tales alicui damnum inferre, & non reuelaſſent, tenentur reſarcire damnificatis: & ideo à communitate ſunt ſalariati, ſicut, & cuſtodes vinearum, & poſſeſſionum.* Idem dicit Nauarrus c. 23, n 34. hoc excepto quod ait; non teneri ad neceſſario reſtituendum, quod receperunt, ne accuſarent. Sed addit, idem dici poſſe de cuſtodibus, & de pręfectis in portandis, & exportandis mercibus in confinibus Regnorum. Probatur etiam: Tum quia huiuſmodi cuſtodes nõ tenentur accuſare ex iuſtitia,

vt Reſpublica ditetur mulctis, ſed vt damna impediantur; ergo licet teneantur dãna reſarcire; non tamen pœnas ſoluere ante condemnationem iudicis. Tum etiã, quia ſi pœna eſſet corporalis mortis, mutilationis, exilii &c. non tenerentur eam ſoluere; ergo neque quando eſt pecuniaria. Vide Dianam 3. part.tract. 5. miſcel. reſol.54.

De confeſſariis, qui tacent, & non præcipiunt pœnitentibus, vt reſtituãt,quę reſtituere tenentur,certũ eſt ad hæc reſtituẽda non teneri, ſi tacent ex ignorantia inuincibili, aut naturali obliuione. Si tacent ex ignorantia craſſa, aut affectata, inquit Nauarrus capit.17. num. 22. manere obligatos àd reſtituendum.P.Leſius lib.2.c. 13. n.77.hoc limitat ad eos, qui ex officio habent curã animarum, vt ſunt Epiſcopi, & Parochi: nam religioſi non tenentur ad reſtituendum, etiam ſi ex ignorantia, aut negligentia culpabili pœnitentem non monuerint. Sed neque hos, neque illos ad reſtitutionem teneri, etiam ſi culpabiliter omiſerint, obligare pœnitentem ad reſtituendum, multorum ſententia eſt, quos refert, & ſequitur Diana par.1. tract. 2. miſcell.reſol.1. nam confeſſarius non tenetur ex iuſtitia proſpicere temporalibus creditorum bonis, cum ab éis mercedem non accipiat, ſed ſolum tenetur ex charitate, & religione procurare bonum ſpirituale pœnitentis, quod ſi negligat,non obligãdo illum ex ignorantia vincibili ad reſti-

tuendum, peccabit quidem contra religionem, ſed non contra iuſtitiam, ſicque non tenebitur ad reſtitutionem; niſi forte ill conſulat, vt non reſtituat, nam tunc vt cõſulens ad reſtitutionem tenebitur iuxta dicta con. 2.

Dubium ſecundum. An inter obligatos ad reſtituendum ſit aliquis ordo in reſtituendo, & quis.

ORdinem aliquem eſſe, indicant verba D Thom. hic ad 2. *Principaliter tenetur reſtituere ille, qui eſt principalis in facto.* Vt autem explicemus hunc ordinem, & quis ante alios teneatur reſtituere, reuocandum eſt ad memoriam, quod ſupra art. 6. dub 1. diximus, ex his, qui obligantur ad reſtitutionem, quoſdam teneri ratione rei acceptæ, alios ratione acceptionis. Quo ſuppoſito.

Dicendum eſt 1. Qui ratione rei acceptę eſt obligatus reſtituere, primo loco, & ante omnes teneri ad reſtitutionem. Docent hoc communiter Theologi, & patet: nam obligatio ratione rei acceptæ eſt ſumma, res namque aliena, quandiu extat, ſiue in ſe, ſiue in fructu, aut emolumento ſuo, quo aliquis factus eſt ditior, per ſe debetur, ſemperque (vt dici ſolet) clamat etiam apud bonę fidei poſſeſſorem; à quo eius dominus recuperare poteſt.

Hinc Syluester verbo *Reſtitutio*, 3. q. 6. num. 7. infert, qui rem habet, ante omnes ad reſtitutionem teneri, ait enim: *Sciendũ quod ſecundum S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 6. ad 1. quod qui rem habet, tenetur ratione ipſius rei, & conſequenter ſentit, quod qui rem habet, nunquam eſt liber à reſtitutione, etiam ſi principalis ſatisfeciſſet, vt etiam benedicit Supple. Vnde quantum ad reſtitutionem, qui rem habet, ſemper eſt principalis, licet non quantum ad perpetrationem delicti. Igitur principalis eſt, qui rem habet, reſpectu omnium.* Inter eos qui rem habent, computandus eſt etiam, qui rem alienam conſumpſit mala fide: vnde hoc nõ liberat eum, quin primo loco teneatur, perinde ac ſi extaret res, alioquin noua illa iniuria liberaret eum à reſtitutione. Ex quo ſequitur, furem, qui rem furtiuam alteri vendidit, principalius ad rei reſtitutionem teneri, etiam ſi rem apud ſe non habeat, & pretium eius conſumpſerit.

Dicendum eſt 2. inter eos, qui obligati ſunt reſtituere ratione acceptionis, tenetur, vt hic ad 2. ait D. Thom. *Principaliter quidem præcipiens, ſecundario vero exequens, & conſequenter alij per ordinem.* Vnde Syluester vbi ſupra ſubdit: *Qui vero iuſſit, eſt principalis ſecundo loco reſpectu omnium aliorum. Deinde tertio loco, qui executus eſt, excepto, quod in ſocietate quilibet eſt principalis in parte ſua; in parte vero ſocij ſecundarius.* Ad partem enim ſuam reſtituendam tenetur ratione rei acceptæ; ad partem vero ſocij ratione iniuſtæ acceptionis.

Prima deinde pars concluſionis probatur, quia pręcipiens eſt principalis cauſa, & iniuſtè coniecit executorem in obligationem reſtitutionis; ergo principaliter tenetur ad reſtitutionem. Præcipienti in hoc æquiparari videtur, qui coegit, vel fraude induxit, & qui ſuo nomine maleficium fieri rogauit, aut ſuaſit. Qui enim ſui cauſa, vel in gratiam ſui petit fieri maleficium, implicitè hoc ipſo cenſetur in ſe totum onus reſtitutionis ſuſcipere, vt principalis cauſa damni.

Secunda pars etiam probatur, quia poſt præcipientem principalius concurrit ad maleficium executor, nam cæteri ſolum ſunt cauſæ acceſſoriæ, & ſecundariæ fulciẽtes, & quodammodo ſeruientes executori: quod enim faciunt non ſunt cauſa faciunt, ſed executorem inſtruunt, vel armant.

Tertia pars explicatione indiget: quod enim ait D. Thom. *Et conſequenter alij per ordinem.* Innuere videtur, etiam inter alios, qui tenuerunt poſt executorem, eſſe aliquẽ ordinem in reſtituendo; quod, & nonnulli docent: nam quamuis ſint cauſæ ſecundariæ; vna tamen prius, & magis attingit effectum quam alia, vt conſultor, quam laudator. Alij talem ordinem negant; quia vna non operatur ad damnum tanquam inſtrumẽtum alterius, vel nomine alterius, ſed quæque per ſe in ſuo ordine; laudans enim non ſeruit conſulenti, nec eius nomine agit, neque è contra. Alij denique dicunt, poſt executorẽ omnes reliquos poſiti-

ſitiuè concurrentes debere cenſeri quaſi eiuſdem gradus, quia reuera non ſunt inter ſe ſubordinati. Eos tamen, qui priuatiuè ſolum concurrunt; vt mutus, non obſtans, non manifeſtans, & ordinem habere ſuppoſitiuè concurrentibus, & inter ſe primo loco teneri non obſtantem, ſecundò mutum, tertio non manifeſtantem.

Ex his colligitur reſolutio alterius dubij, an ſcilicet vno reſtituente ex pluribus obligatis, reliqui ſint liberi? D Thom. hic ad 2. ait: *Vno tamen reſtituente illi, qui paſſus eſt damnum, alius eidem reſtituere non tenetur: ſed illi, qui ſunt principales in facto, & ad quos res peruenit, tenentur alijs reſtituere, qui reſtituerunt.* Idem dicit art. præced ad 3. Vnde ſi ille, qui ratione rei acceptæ tenetur, reſtituat, reliqui omnes liberi ſunt, iubens ſcilicet, & cõſulens, &c. quia vt diximus con. 1. qui ratione rei acceptæ obligatur, primo loco, & ante omnes ad reſtitutionẽ tenetur, illoq; proinde reſtituente, nihil alij tenẽtur reſtituere ei, nec damnum paſſo. Si rem plures haberent, & vnus illam reſtitueret, alij partes, quas habent, huic deberent reſtituere: quia qui reſtituit domino totum damnum, ſuccedit in omne ius, & dominium, quod habet verus dominus erga res illas. Si iubens reſtituat, illi qui rem habent, ei reſtituere tenentur: nam vt diximus con. 1. cum Syluestro, qui rem habet, nunquam eſt liber à reſtitutione, etiã ſi principalis, hoc eſt iubens, ſatisfeciſſet, niſi forte is illi rem liberaliter donaſſet, o-

onus

nus eam reſtituendi in ſe ſuſcipiens.

An verò iubente reſtituente, executor illi, aut executore reſtituente, huic alij reſtituere teneantur; ſub lite eſt. Quidam affirmant: nam qui iubet, non ita tenetur primo loco reſtituere, quin executor, & alij teneantur ſuas partes conferre etſi minores, cum omnes concurrant ad damnum inferendum. Et quamuis executor ſecundo loco poſt iubentem ad reſtituendum teneatur, non ita tamen, vt cæteri non teneātur illi ad aliquid refundendum, ſi ipſum induxerunt alias non facturum: ſunt enim cauſa, cur ille incurrat obligationem reſtitutionis. Alij verò negant: nam qui iubet, eſt principalis in facto, & cum maleficium ſui gratia fieri velit, cenſetur omne onus reſtitutionis in ſe ſuſcipere. Qui verò executorem inducunt, quamuis ſint illi cauſa, vel occaſio mali; cum tamen non ſua cauſa fieri velint, non cenſentur obligationem reſtituendi in ſe ſuſcipere, & cum nulla vi, aut fraude illum inducant, & ille ſit reſpectu eorum principalis in facto, non tenentur ipſi ratione huius inductionis. Mihi media inter has via magis placet: nempè iubente reſtituente, reliquos eſſe liberos, ob rationem factam à ſecundæ ſententiæ auctoribus, niſi fortè alij ipſum, vt iuberet, induxiſſent. Executore verò reſtituente, alios, qui ipſum induxerunt, non eſſe liberos, ob rationem factam ab auctoribus primæ ſententiæ; quæ ſumpta videtur ex Caietano art. præcd. circa ſolutionem tertij, §.

In tertio, dicente: *Ex hoc quod aliquis patitur ab aliquo damnum, bene ſequitur, quod ſit ab illo releuandus, &c. Inductus ad maleficium ex hoc ipſo, quod inductus eſt ad damnificandum alium, conſequenter ductus eſt ad ſtatum, in quo tenetur ad ſatisfaciendum inſolidum, ac per hoc ab inducentibus paſſus eſt per viam ſequelæ hoc damnum.* Quod verò ibidem ſubdit Caietanus: *Si fuit inductor aliorum ad maleficium, illeque integrè reſtituit, non tenentur inducti ad refundendum eidem: quia iſti non damnificauerunt deducendo ipſum ad ſtatum in quo tenetur ad reſtituendum inſolidum, ſed è contra*: Verum eſſe exiſtimo de inductore per præceptum, aut per fraudem, vel vim; ſi enim ſolum induxerit conſilio, aut laude, relinquendo inductum in ſua libertate, tenebitur inductus ad refundendum inductori, qui integrè reſtituit, maximè ſi inductus fuerit executor, aut iubens, cum hic principalior cauſa fuerit criminis patrati, quamuis illud, niſi inductus, non patraſſet.

Si executor non reſtituat, reliqui, qui poſt ipſum ſequuntur, in eius locum ſuccedunt. Et quidem ſi inter illos eſt ordo, vt nonnulli volunt, & diximus in 3. part. 2. concluſionis, iuxta illum tenentur reſtituere, & illo, qui prior eſt, reſtituente alij manent liberi. Si autem inter illos non eſt, talis ordo, omnes pro rata portiones ſuas cõferre tenentur, maiorem quidem ille, qui magis videtur executorem mouiſſe, minorem,

rem, qui minus: vnde ſi aliquis illorum totum integrè reſtituiſſet, alij ſuas partes ipſi refundere tenerentur. Si vero qui priuatiuè concurrunt, ordinem habent ſub poſitiuè concurrentibus, nihil tenentur illi his compenſare, ſi iſti, vt debebant, ante illos reſtituerint, & ſolum tenentur in defectū ipſorum. Nam priuatiuè ſolum concurrentes ideo iuſtitiam læſerunt, quia non impediuerunt, cum ex iuſtitia deberent; ergo iuſtitiæ ſatisfacient, ſi curent, vt illi reſtituant, quos auferre, aut ad ablationem operari permiſerunt, & ſi id aliunde curatum fuerit, etiam defungentur; deſinet enim eſſe inæqualitas.

Si quæras, an ſi is, qui damnum accepit, vni ſociorum obligationem reſtituēdi condonet, reliqui maneant liberi? Reſpondetur: ſi ille, cui remittitur totum, quod debet, ſit auctor principalis, qui ſecundo loco tenebantur, manere liberos. Si vero ſecundo loco teneatur, non ideo liberabitur is, qui primo loco tenetur: Si autem æquè, & in eodem gradu cum alijs obligetur, non ideo cæteri erunt liberi à ſuarum partium reſtitutione, cum obligatio vnius non pendeat ab altero. Quod ſi dominus poſtquā vni ex his condonauit, quod ei tenebatur reſtituere, vellet ab alijs totum exigere, non poſſet licitè, vt docet M Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 7. art. 3. ad 2, *Si enim ab vno extorquet, facere non poteſt, quin alter teneatur reſtituenti pro rata, modo expoſito. Si ergo alte-*

vutri donare libuit, debuit tanto minus ab altero extrahere, quantum alteri condonauit.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum quis teneatur ſtatim reſtituere, an verò poſſit reſtitutionem differre.

Concluſio eſt: *Quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt, vel petere dilationem ab eo, qui poteſt vſum rei concedere.*

Dubium primum. An qui non reſtituit, quod iniuſtè acceperat, continuè peccet, an quandoque, & quando de nouo.

DVæ ſunt de hac re Doctorum ſententiæ, Prima eſt M. Soto lib.4. de iuſtitia, q.7, art.4. quem ſequuntur M. Salon hic controuerſia 1. concl.2. & 3. M. Ledeſma 2. parte Summæ tract. 8. De iuſtitia commutatiua, cap 16. con.3. & ſeq. P. Leſſius, lib.2. De iuſtitia & iure, cap.12. dub.3. & 4. & alij, qui non reſtituit, continuè peccare, eiuſque peccatum continuè creſcere, tantoque maius eſſe, quanto maior eſt reſtitutionis mora, nouum autem peccatũ non ſtatim, aut ſemper committere, ſed quandoque tantum, nempè quoties pro-

ponit non reſtituere, & quoties creditor legitimè petit, aut cum videt graui præmi neceſſitate, & non reſtituit.

Probatur 1. Qui non reſtituit, ſemper in dies maius, ac maius dat domino rei, dãnum, cum eum priuet vſu rei ſuæ; ergo ſemper, & continuè, dum non reſtituit, actu peccat, tale enim damnum, ſicut & nõ reſtitutio, illi voluntarium eſt.

Secundò, qui non reſtituit, cum poſſit, voluntarie detinet rem alienam: atqui detentio rei alienæ, & ſi non ſit proprie actio eſt tamen inſtar actionis, ſicut poſſeſſio; ergo quandiu hæc detentio exterior libere pendet à voluntate, eſt actuale peccatũ, actu nocens proximo.

Tertio, qui conijcit proximum iniuſtè in vincula, & ibi relinquit, continuo peccat actu, quia continuo nocet: perinde enim eſt ſiue manibus ſiue vinculis eum aſſidue tenendo affligat, cum vtrumque æque libere continuetur; ergo etiam qui aſſidue rem alienam cum incommodo cõtinuo detinet, continuum peccatum committit. Nouum tamen, non niſi in caſibus prædictis, aut ſimilibus.

Secunda ſententia eſt Caietani infra q. 66. art. 3 circa ſolutionem ſecundi, detentorem rei alienæ, qui non reſtituit, non continue peccare, ſed quoties renouat cõſenſum detinendi. Hanc etiam ſententiam tenent M. Lorca 1. 2. q. 20. art. 4. diſp. 46. & Nauarra lib. 4. cap. 4. num. 14. vbi ait à veritate alienum eſſe, eum, qui non reſti-

tuit,

tuit, ſemper continue peccare in omni momento, ſolumque peccare, ait, quando proponit non reſtituere, aut aduertit debere; & non ſoluit, tuncque non nouum peccatum committendo, ſed primum in eſſe motis continuando; nouum enim peccatum ſolum committere dixerat nu. 13. quando poſt quam ſemel pœnituit retinere, ſoluereq; propoſuit, illud bonum propoſitum poſtea abijcit, vel negligit reſtituere. Simile eſt, quod ait M. Aragon hic, in duobus tantum caſibus poſſe aliquē committere nouum peccatum non reſtituendo. Primus eſt, quotieſcunque directe, & expreſſe renouatur propoſitum retinendi rem, non qualecunque, ſed quo ita proponit quis rem alienam detinere, quod etiam ſi nunquam id decreuiſſet, modo decerneret: nam ſimplex propoſitum, & ſine hac reflexione potius dicitur continuatio prioris propoſiti, quam nouus actus. Secundus eſt, quando quis propoſuit reſtituere, & poſtea data oportunitate non reſtituit. Idem dicunt alij quos refert, & ſequitur Diana 2. p. tract. 1. miſcel. reſ. 17. Ex his duabus ſententijs licet prima ſit probabilis, ſecunda mihi magis placet, & probabilior ſicut, & benignior videtur. Vnde.

Dicendum eſt 1. illum, qui detinet rem alienam, non continue peccare; licet continue ſit in peccato mortali, quandiu non reſtituit. Probatur 1. ex D. Thom. hic, vbi oſtendit, quemlibet teneri ſtatim reſtituere, ſi poteſt, quia detinere rem alienam eſt

eſt peccatum contra iuſtitiam, ſicut, & eam accipere. *Manifeſtum eſt autem, quod nec modicum tempus licet in peccato morari, ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere.* Ergo ſicut qui non ſtatim peccatum deſerit, aut de illo non pœnitet, non peccat actualiter non pœnitendo, aut peccatum deſerendó, ſed ſolum eſt in ſtatu peccati mortalis: ita qui non ſtatim reſtituit, non ſtatim peccat actualiter non reſtituendo, ſed ſolum eſt in ſtatu peccati mortalis.

Secundò probatur cum Caietan. vbi ſupra: vt aliquis peccet peccato commiſſionis, neceſſarium eſt, vt actualiter exerceat aliquem actum voluntarium deformem: ſed detinens alienum, & non reſtituens illud nullum exercet actum voluntarium, nam detinere alienum, non eſt actio; ſed actionis effectus ab actione non dependés niſi in principio; ergo non peccat continue, quamuis continue ſit in ſtatu peccati mortalis. Confirmatur: ſi detinens alienum, & illud non reſtituens continue peccaret actualiter, hoc non eſſet peccato omiſſionis, (nam vt Mag. Soto vbi ſupra optimè oſtendit, præter peccatum furti dum fit, non illico, ſi non fiat reſtitutio, committitur nouum peccatum omiſſionis, quod poſtea continuetur) ſed peccato commiſſionis continuando precedens iniuſtę acceptionis: ſed tale peccatum eſſe, aut continuari non poteſt ſine aliquo actu voluntario cũ ſola omiſſione reſtitutionis; ergo cum poſt iniuſtam acceptionem, antequam quis ſe-

no-

nouet conſenſum detinendi, non fit aliquis huiuſmodi actus, ſed ſola omiſſio reſtitutionis, non continuatur peccatum præcedens, ſicque nec continuè peccatur. Nec ſatisfacit, quod dicunt auctores oppoſitæ ſententiæ, detentionem rei alienę, & ſi nō ſit proprie actio, eſſe tamen inſtar actionis ſicut poſſeſſio, & ratione illius continuari, præcedens peccatum commiſſionis, nempe iniuſtam acceptionem, nam vt ait D. Thom. infra q. 66. art. 3. ad 2. *Sub iniuſta acceptione intelligitur etiam iniuſta detentio.* Contra hoc enim eſt, quia quamuis detentio ſit inſtar actionis, non ſufficit ad cōtinuandum peccatum commiſſionis præcedens: nam cum illud fuerit proprie actio, continuari non poteſt, niſi actione proprie dicta. Vnde ſicut rei poſſeſſione non continuatur eius emptio, nec quandiu homo poſſidet rem emptam, dicitur illam actualiter emere: ita nec detentione rei alienæ continuatur peccatum, ſeu actus voluntarius, quo fuerat accepta, nec quamdiu homo detinet rem alienam, dicitur actualiter peccare.

Tertiò probatur cum eodem Caietano ibidem. *Quia ſequeretur quod detentor dormiens, & orans, & eleemoſynam de ſuo faciēs, & nihil aliud cogitans, ſemper actualiter peccaret mortaliter: & non ſolum, quod eſſet in peccato mortali, quod videtur inconueniens.* Ad hoc dupliciter reſpondet P. Læſ. vbi ſup. Primo, quodam ſenſu concedi poſſe, hominem peccare, dum dormit, non quidem

quod

quod tunc nouam culpam contrahat, vel contractam augeat, ſed quia prauum propoſitum exequitur, vel in exequutione cepta perſeuerat. Secundò, dum dormit, propriè loquendo non peccare vero, & formali peccato, ſed tanquam effectu voluntatis præteritæ. Sed vtraque ſolutio inſufficiens eſt. Prima, nam dum quis continue peccat actualiter, cõtinue auget culpam, tantoque magis culpa creſcit, quanto maior eſt mora, vt ait M. Soto. Secunda, nam eodem modo poſſet dici, poſt quodlibet peccatum peccare hominem tanquam effectu voluntatis præteritæ, qualis eſt macula peccati.

Dicendum eſt 2. Detinentẽ rem alienam, illamque non reſtituentem quandoque actualiter peccare, quoties ſcilicet renouat conſenſum detinendi formaliter, aut virtualiter. Ita Caietanus vbi ſupra, & patet: nam ſi conſenſus detinendi renouetur formaliter propoſito actuali non reſtituẽdi, talis actus, malus, & peccatum actuale eſt; ergo cum illum ſic renouat detinẽs, actualiter peccat. Idem eſt quando illum ſolum virtualiter renouat, vt cum creditor legitimè petit ipſi debitum, aut ipſe videt creditorem graui præmi neceſſitate, & nõ reſtituit, licet enim tunc actu, & formaliter non proponat retinere, ſufficit ad actu peccandum propoſitum virtuale, virtualiſque aut interpretatiua renouatio conſenſus detinendi rem alienam, quæ tunc eſt, eo ipſo, ac non reſtituitur, quod legitimè peti-

petitur, aut grauis poſtulat neceſſitas.

Dicendum eſt 3. Nō quoties detinens rē alienam renouat conſenſum detinendi formaliter, aut virtualiter, committit nouū peccatum. Docet hoc expreſſe Nauarra aſſerens, peccare quidem actualiter continuando peccatum, non tamen nouum committendo. Idem etiam colligitur ex Caietano, infra enim q. 66. art. 3. circa ſolutionem ſecundi. *Ad hoc dicitur*, inquit: *Multiplicatur numero peccatum, non iuxta multiplicationem actuum voluntariorum, tam intus quam extra, vt patet ex hoc, quod actus exterior, & interior ſunt vnum numero peccatum, & multi actus exteriores, & interiores voluntatis ſunt vnum numero peccatum, vt patet cum quis deſiderat occidere, & delectatur de occiſione, & ſperat illam, & intendit ire ad occidendum, & præparat ad hoc gladium, & ſagittas, & lanceas, &c.* Et tom. 1. Opuſculorum tract. 31. Reſponſione 15. dubio 2. quærit, An is qui ad occidendum hominem pergit, quoties interrupta cogitatione inter eundum renouat voluntatem, affectumque occidendi, toties nouum peccatum committat, an totum ſit vnum numero peccatum; an aliquanta mota, & quanta diſtinguat hæc peccata? Et reſpondet, *Quod ibi eſt vnum tantum numero peccatum, tanto grauius, quanto pluries firmatum.* Ergo ſimiliter licet detinens rē alienam renouet conſenſum detinendi, aut propoſitum non reſtituendi expreſſe, vel interpretatiue, formaliter, aut virtualiter,

vnum

vnum erit numero peccatum,& talis conſenſus renouatus, taleque propoſitum non erit nouum peccatū, ſed continuatio prioris; ſicque ille detinens rem alienam peccabit actualiter continuando peccatum, non tamen nouum committendo.

Neque obſtat, quod idem Caietanus infra, q. 66. art. 3. §. *Ad hoc dicitur*, aſſerit multiplicari numero peccatum iuxta multiplicationem moralem, materialiter tamen moralitatis actuum. *Multiplicatur autem moralitas numero, ſeu materialiter in genere moris, quoties quis ex non actualiter peccante in tali ſpecie peccati fit actualiter peccans in illa*. Vnde cum quoties detentor rei alienæ renouat conſenſum detinendi, fiat, iuxta doctrinam eiuſdem Caietani, ex non peccante actualiter in tali ſpecie peccati, peccans actualiter; videtur ſentire, quoties renouat talem conſenſum, nouum committere peccatum. Reſpondetur enim, per non actualiter peccantem; non intelligere eum, qui quomodocumque actualiter non peccat(alias enim qui pergens ad occidendum hominem, poſt dormitionem, aut naturalem obliuionem eius, quod decreuerat, affectum occidendi renouaret, nouum peccatum committeret, nam fieret ex actu non peccante, qualis erat dormiens, actu peccans) ſed illum qui ita actualiter non peccat, vt vel nunquam actu in tali ſpecie peccati peccauerit, vel ſi peccauit actu voluntatis propoſitum reuocauit contrario actu, aut pœnitentia. Quod colli-

colligo ex his,quæ ſubiungit ibidem Caietanus: *Attendi vero videtur hæc vnitas numeralis penes vnitatem applicationis animæ ad talem ſpeciem; ita actum quod quandiu anima applicata ad illud per aliquem actum interiorē, vel exteriorem perſeuerat, quantumcumque actus multiplicet,in genere naturæ non moris eos multiplicat.* Vnde cum per actum, (quo aliquis accepit rem alienam, vt ſibi detineret, fuerit anima applicata ad detentionem talis rei, & in tali applicatione perſeueret, etiam tranſacto actu, quouſque per actum contrarium prior reuocetur, non cenſetur abſolutè non peccans actu, quia toto illo tempore peccatum actuale prius continuatur, non quidem abſque intermiſſione,ſed actibus,quibus poſt aliquod tempus renouatur conſenſus, ſicque tales actus, licet in genere naturæ diſtincti ſint à primo actu, non tamen in genere moris, ſed cum illo vnum peccatum efficiunt, illiſque non nouum peccatum efficitur, ſed prius continuatur.

Probatur deinde, & explicatur concluſio, ac doctrina prædicta exemplo ædificantis phanum Idolo: dum enim opus inceptum exterius manet,ac non deſtruitur, & voluntas, qua cœptum eſt, non reuocatur, idem numero eſt actus moraliter, eademque numero ædificatio, idemque numero peccatum idololatriæ, quantumuis actus multiplicentur, nam ſolum multiplicantur in genere naturæ. Et quamuis poſt aliquod tempus, quo alijs rebus occu-

patus ceſſauerat ab actualiter ædificãdo, ac per conſequens ab actualiter peccando, iterum ædificet, ac peccet actu, non eſt noua ædificatio, aut nouum peccatum, ſed continuatio, ſeu proſequutio præcedentis ædificationis, & peccati. Ergo idem erit de rem alienam detinente; dum enim manet detentio, & non reſtituitur res, & voluntas, qua cœpit detinere, non reuocatur, idem eſt numero actus moralis, idemque numero peccatum actuale, quantumuis actus multiplicentur in genere naturæ. Et quamuis poſt aliquod tempus, quo alijs rebus occupatus, aut oblitus prioris propoſiti, à voluntate actuali detinendi ſicque ab actuali peccato deſierat, iterum vult actu detinere, ac conſenſum renouat, & actualiter peccat; non committit nouum peccatum, ſed præcedens continuat, & proſequitur. Et idem eſt in alijs caſibus, in quibus auctores primæ ſententiæ dicunt, nouũ peccatum committere, de quibus vide M. Salon, & alios ſupra citatos. Alias rationes pro noſtra concluſione vide, apud Nauarram vbi ſupra.

Dicendum eſt 4. Tunc ſolum nouum peccatum committi à detinente rem alienam, & eam non reſtituente, quando poſtquam pœnituit, & reſtituere propoſuit, iterum proponit non reſtituere, aut reſtituere negligit, aut data opportunitate reſtituendi non reſtituit: & quando ante pœnitentiam, ita proponit non reſtituere, vt etiam ſi nunquam id decreuiſſet, modo de-

decerneret. In his caſibus nouum peccatum committi manifeſtum eſt; ſolum vero in his nouum committi patet ex præcedente concl.

Ad argumenta autem facta in principio reſpondetur. Ad primum negando conſequentiam: nam quamus tale damnum ſit voluntarium per modum termini relicti ex voluntaria acceptione actuali rei alienę, ad eum modum, quo macula peccati huius actu tranſacto dicitur voluntaria: non tamen eſt voluntaria volũtate aliqua actuali, etiam interpretatiuè exiſtente: hoc enim modo ſolum exiſtit, quando videt detentor creditorem petere rem ſuam, aut aliquam premi graui neceſſitate, & nõ illi reſtituit, aut quando non reſtituit in alijs huiuſmodi caſibus, in quibus auctores primæ ſententiæ putant nouum committi peccatum. Exemplis id explico: qui vulnerauit aliquem, aut ei venenum dedit, continuè lędit proximũ vſque ad mortem, & tamen non continuè peccat actualiter: nam quãuis læſio, quæ continuatur vſque ad mortem, ſit illi voluntaria per modum termini relicti ex vulneratione, & veneni collatione; non tamen aliqua voluntate, quæ ſemper actu ſaltem interpretatiuè perſeueret; idem contingit in noſtro propoſito. Et differentia, quam nonnulli aſſignant, quia poſt vulnus inflictum, aut venenũ datum non eſt in eius libertate damnum impedire; in voluntate autem detentoris rei alienæ eſſe damnũ auferre per reſtitutionem,

nulla eſt: tum quia fortè vulnerans, aut venenum dans ſcit, quomodo vulnus curare poſſit, aut aliquod antidotum efficax contra venenum: tum etiam ſi non eſſet in eius libertate impedire damnum; tamen ſi de illo continuè gauderet, illudque proximum pati vellet, continuè peccaret, & ſi continuè non peccat, non eſt quia non poteſt illud impedire, ſed quia non ſemper vult illud actu etiam interpretatiuè, quantumuis ſit illi voluntarium per modum termini relicti ex voluntaria eius actione.

Ad ſecundum reſpondetur ex dictis, qui non reſtituit, cum poſſit, voluntariè detinere rem alienam per modum termini relicti, non tamen voluntate aliqua actuali etiam interpretatiua. Quod vero detentio ſit inſtar actionis, non ſufficit, vt peccatum actuale continuè perſeueret, vt oſtendimus con 1.

Ad 3. reſpondetur negando antecedens; poſtquam enim quis proximus coniecit in vincula, poteſt non cogitare de nocumento proximi, ab eiuſque volitione deſiſtere occupatus alijs negotijs, ſicq; & ab actuali peccato ceſſare, quamuis ſemper maneat in ſtatu peccati mortalis. Falſum eſt etiã perinde eſſe ſiue manibus, ſiue vinculis aliquem aſſiduè tenendo affligere: nam qui aſſiduè tenet manibus, aſſiduè vult actu affligere, ſicque continuè peccat. Atqui aſſiduè vinculis affligit, non ſemper de eius afflictione cogitat, nec ſemper eam actu

vult,

vult, ſed quandoque ab actuali cogitatione ac voluntate deſiſtit, ſicque ab actuali peccato ceſſat. Vnde iudex, qui iniuſtè aliquem condemnat ad triremes, actualiter peccat, quando ſententiam fert, poſt ſententiam autem latam ſi eius, & pœnæ damnati omnino obliuiſcitur, & de ea nullatenus cogitat, non peccat continuè actualiter, dum triremium pœna durat; alias enim ab actuali peccato, ipſo nihil cogitante, aut faciente, liberari poſſet iudex, ſi ille, quem damnauerat, ſe à tali pœna eriperet fugiendo.

Dubium 2. An qui non poteſt reſtituere abſque magno ſuo, aut ſuorum incommodo, ſit à reſtitutione excuſatus.

PArs negans probatur 1. D.Thom. hic ait: *Sicut accipere rem alienam eſt peccatum contra iuſtitiam, ita etiam detinere:* Sed ad vitandum proprium, aut ſuorum incõmodum non licet homini accipere rem alienam; ergo nec detinere.

Secundò, non obſtante incommodo debitoris, aut ſuorum, creditor habet ius ad petendum rem ſuam; ergo debitor tenetur illam ei reſtituere: ius enim petẽdi in creditore, obligationem reſtituendi arguit in debitore.

Dicendum tamen eſt 1. Qui ſubuenire non poteſt ſibi in extrema neceſſitate poſi-

to, ſi reſtituat rem, quam habet alienam, non tenetur eam tunc reſtituere, etiam ſi dominus rei in eadem extrema neceſſitate ſit. Oppoſitum huius tenet Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. licet enim dicat, & omnino certum ſit, creditore non extremè indigente, non teneri debitorem in extrema neceſſitate exiſtentem reſtituere, cum in extrema neceſſitate omnia ſint communia, & creditor illam patienti ſubuenire teneatur. Si tamen creditor in eadem extrema neceſſitate ſit, ait Scotus, debitorem, vita propria poſthabita, debere creditori, quod ſuum eſt, reddere.

Noſtram tamen concluſionem probat M. Soto lib. 4. de iuſtitia, q. 7. art. 1. ad 4. Tũ quia *Ambo ſunt neceſſitate pares, & poſſidentis conditio, quæ melior ſemper eſt, plus debitori fauet, quam fauebat creditori, rem eſſe ſibi debitam; ergo ſibi potius debitor conſulere debet, ſaltem poteſt, quam creditori*. Tum etiam quia, *iure naturæ omnia ſunt communia, ſed iure gentium dominia diuiſa ſunt: ius autem gentium nequit extremæ neceſſitati præiudiciũ facere: atque adeo illa præſente quantum ad vſum omnis ceſſat vis peculiarium dominiorũ, ac ſubinde debitorum*.

Aduertit autem M. Soto: *Diuerſam eſſe rationem, tu ne rem poſſideas, quando extreme pateris, an alter, qui ſimile patitur. Si enim ille poſſidet, tu non poſſes illi ſurripere: eo quod tunc ſurripere eſſet occidere: quia eſſet vera actio, qua vitam alteri directè adimis, ac ſi hominem ſträgulares. Quando vero tu poſſides, id eſt, penes*

te

te rem quomodocumque habes, non agis, ſed tãtum ceſſas ſuccurrere cum poſſis. At vero non ſuccurrere cum poſſis, non eſt directè occidere; neque vero per accidens, niſi quando teneris ſuccurrere, & in tali caſu non teneris.

An vero parentibus, vxori, & filijs poſſit etiam debitor potius, quam creditori in extrema neceſſitate ſuccurrere, problema, dicit M. Soto, eſſe in vtramq; partem probabile. Ad fratres autem (inquit) non licere idem ius protendere. Nonnulli tamen ad fratres etiam extendunt, idque probabile videtur P. Leſſio lib. 2. c. 16. dub. 1 num 14.

Dixi tunc nõ teneri reſtituere: nã poſtea ceſsãte extrema neceſſitate, ſi res extat, aut aliquid ſupereſt, reſtituendum eſt. Vt ſi quis equo alieno vſus fuiſſet, vt periculum mortis euaderet, ceſſante neceſſitate, tenetur illum reddere: aut ſine fame moreretur inſumpſiſſet, quinque aureos, & ſupereſſent alij quinque, hos tenetur ſtatim reſtituere.

Item, ſi ante neceſſitatem, aut in ipſa neceſſitate extrema rem quis accepit mutuo, vel alio contractu, quo tranſlatum ſit dominium, etiam ſi rem conſumpſerit in extrema neceſſitate, tenetur eam poſtea reſtituere: nam, vt ait D. Thom. quodlib. 5. art 17. *Tenetur ille, qui mutuo accepit pecuniã, eam reddere creditori: & tanto magis, quanto in maiori neceſſitate creditor ſibi ſubuenit.*

Nec obſtat tempore neceſſitatis omnia eſſe communia. Reſpondet enim S. Doct.

Quod tunc in neceſſitate ſunt omnia communia, cum homo non poteſt ſibi de ſuo ſubuenire: ridiculum enim eſſet, ſi quis famem patiens nollet accipere panem, quem habet in arca, & diceret ſe accipere panem alienum quaſi communem. Qui autem habet rem mutuo acceptam, aut alio contractu, quo transfertur dominium, ſibi de ſuo ſubuenire poteſt, ſua namque eſt res, cuius dominium eſt ſibi translatum per mutuum, venditionem, aut alium huiuſmodi contractum.

Non obſtat etiam, illum qui pecuniam mutuauit, teneri proximum ſuum à mortis periculo liberare. Reſpondet namque D. Thom.[a] *Quod vnuſquiſque tenetur ad liberandum proximum à morte ſecundum ſuam conditionem, & modum: & hoc quidem conuenienter impleuit ille, qui pecuniam mutuauit: non autem tenebitur condonare in caſu, quo ille poterat per mutuum liberari.*

Sunt etiam, qui dicunt abſolutè, qui rem conſumit in extrema neceſſitate, poſtea, ſi ad pinguiorem venit fortunam, teneri ad reſtitutionem eius. Ita Adrianus in 4. tract. de reſtitutione, & alij, Quorum fundamentum eſt: quia in extrema neceſſitate non omnia ſunt communia quantum ad dominium, ſed quantum ad vſum, ſicque tranſacto vſu, tenetur ad reſtitutionem rei, qui eam acceperat ab alio. Sed ad hoc optimè reſpondet Mag. Soto, vbi ſupra: *Enim vero licet ita ſit, quod tunc ſolum ſint omnia communia quantum ad vſum: tamen quia in his, quæ vſu conſumuntur, ad vſum lege natu-*

tura ſequitur dominium, vt puta ſi ſit cibus, aut potus, aut pecunia, qui accipit, fit dominus. Ipſè verò M. Soto cum Scoto ſentit, ſi rem illam debitor ante extremam neceſſitatem debebat, non fieri à reſtitutione immunem, nec diſſolui præcedens vinculum, ſed manere. Sed ſi tunc accipiat, non fieri reſtitutioni obnoxium: quia cum in extrema neceſſitate omnia ſint communia, tunc qui capit, nullum contrahit debitum, ſi tamen ſit ſimpliciter indigens, nempè quia nullibi habet vnde ſoluere poſſit.

Mihi ſatis probabile videtur, ſi nec tunc in extrema neceſſitate, nec ante illam accipiat debitor rem mutuo, aut alio contractu dominiũ transferente, quo ſua fiat, ſed eam habeat, aut ex delicto, vtpotè furto ſublatam, vel ex contractu dominium non transferente, nempè conductam, vel commodatam; ſi eam conſumit, vt ſuæ neceſſitati ſubueniat, non teneri poſtea eam, illius pretium ſoluendo reſtituere, etiam ſi ad pinguiorem deueniat fortunam. Id colligo ex verbis illis D. Thom. ſupra relatis: *Tunc in neceſſitate fiunt omnia communia, cum homo non poteſt ſibi de ſuo ſubuenire.* At ſi debitor rem, quam habet, non accepit mutuo, aut alio contractu dominium transferente, quo ſua fieret, non poteſt ſibi de ſuo ſubuenire, nam ſupponimus non habere aliud, quo poſſit ſibi ſubuenire niſi rem illam, quæ ſua non eſt; ergo illi omnia, ac proinde res illę fiunt communia, ſicque re illa vti poteſt, illamque conſumere quin

teneatur poſtea reſtituere. Confirmatur, ſi res illa eſſet apud eius dominum illa extreme non indigentem, & exiſtens in extrema neceſſitate alius eam acciperet, & conſumeret, non fieret reſtitutioni obnoxius; ergo neque fiet, ſi eam habens apud ſe prædicto modo conſumat, vt ſibi conſulat, ac ſubueniat. Antecedens probat M. Soto vbi ſupra: *Quia cum in extrema neceſſitate omnia ſint communia, tunc qui capit nullum contrahit debitum*. Probatur etiam; non tenetur reſtituere ratione acceptionis, nam eam iure ſuo conſumeret; nec ratione rei, quia conſumpta iam non extat in ſe; nec alio modo, qui enim eam conſumpſit, non eſt factus ditior, cum non haberet quid de ſuo conſumeret, & rem alienam conſumendo conſeruaret; nec ratione cõtractus, nam prædicti contractus non transferentes dominium ſolum obligant ad reſtitutionem rei, quando perit culpa eius, qui rem accepit, hic autem abſque culpa perit; ergo nullo modo. Conſequentia vero patet, quia exeremam neceſſitatem patienti non ſolum eſt communis res aliena apud dominum illius exiſtens, ſed etiam quæ apud ipſummet patientem exiſtit, & ſicut rem acceptam in neceſſitate, ita, & ante talem neceſsitatem acceptam in neceſsitate ipſa iure ſuo conſumit. Quo fit, vt vinculum præcedens diſſoluatur, & non maneat: nam quamuis acceptio iniuſta per furtum obliget ad reſtitutionem, quandiu res accepta manet aliena, & vt ſic conſu-
mi-

mitur; ſi tamen aliena eſſe deſinat, obligationis vinculum diſſoluitur, vt patet, ſi rem furto acceptam dominus ei, qui eam acceperat, donaret. In extrema autem neceſſitate res furto accepta aliena eſſe definit, & fit cómunis talem neceſsitatem patienti, ac proinde ſi illam, vt ſibi ſubueniat, conſumit, non tenetur ad eius reſtitutionem, etiam ſi poſtea ad pinguiorem deueniat fortunam.

Dixi etiam in extrema neceſſitate: nam licet in graui neceſſitate, quę non ſit extrema, poſſit debitor, vt ſibi ſubueniat, diſſerre reſtitutionem, nempè ob periculum morbi, magnæ famis, nuditatis, &c. non tamen ſi creditor ſit in pari neceſſitate: nam in ęquali neceſſitate præter extremã potior eſt conditio creditoris.

Non deſunt tamen, qui dicant eandem eſſe rationem de graui, ac de extrema neceſſitate; ſicque conſumpta re in graui neceſſitate, non teneri debitorem ad eam poſtea reſtituendam, vt videntur ſentire Syluester verbo *Furtum*, q. 5. & Angelus eodem verbo, num. 37. Et quamuis creditor ſit in pari neceſſitare morbi, famis, &c. (inquiũnt) non teneri debitorem ei reſtituere: quia non ſolum in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate melior eſt conditio poſſidentis. Vide P. Leſſium lib. 2. c. 16. dub. 1. num. 19.

Dicendum eſt 2. Qui non poteſt reſtituere abſque iactura famę, vel honoris ſui, aut ſine magno periculo damni ſpiritualis ſui,

aut ſuorum, non tenetur ad reſtitutionem ſtatim faciendam, ſed poteſt eam differre, donec ſine huiuſmodi iactura, vel periculo valeat reſtituere. Vtramque partem docet. S. Antonin. 2. p. tit. 2. cap. 8. Primam explicat: *Cum ex ſubita reſtitutione ille, qui reſtitueret rem ablatam per furtum, vel aliud vitium, detegeretur, & inde infamaretur.* Secundam verò: *Puta reſtituendo, quæ habet aliena ad tantam venit paupertatem, & miſeriam, quod non poteſt viuere, vel prouidere filijs, &c. & ſic reſtituendo exponitur periculo ipſe cum familia ſua furandi, vel proſtituendi filias, vel deſperationis, &c.*

Patet etiam vtraque pars, quia tam fama, quam ſalus ſpiritualis animæ eſt bonũ ſuperioris ordinis: bona autem inferioris ordinis nõ ſunt neceſſario reſtituenda cum debitoris detrimento in bonis ſuperioris ordinis.

Dicendum eſt tertiò. Nec etiam teneri ſtatim reſtituere illum, qui non poteſt ſine graui detrimento rerum eiuſdem ordinis. Ita S. Anton. vbi ſupra, & ponit exemplum: *Cum id, quod debet reſtitui, non poteſt reſtitui, niſi faciendo magnas expenſas ad mittendum ſibi, quia in remotis eſt creditor. Item, Cũ quis habet inſtrumenta artis ſuæ, vnde ex labore ſuo gubernat ſe, & ſuos: & vendendo, vel tradendo ea, vt reſtituat ſuis creditoribus, non poteſt laborare, & inde lucrari.*

Idem docet Syluester verbo *Reſtitutio*, numero tertio, probatque hac Maxima: *Ei, qui eſt reſtitutioni obnoxius, licitum eſt rem alie-*

alienam ad tempus detinere, quando ipſe dominus rei hoc rationabiliter velle deberet, licet cupiditate, vel alia irrationabili cauſa ductus nolit. Dominus namque rei ſecundum rectam rationem velle debet dilationem reſtitutionis, quando non poteſt debitor ſtatim reſtituere ſine graui detrimento rerum ſuarum: & contra æquitatem, & charitatem faceret, ſi vellet ſibi cum tanto alterius incommodo ſtatim fieri.

Idem etiam docet Caiet hic afferens, poſſe differri reſtitutionem, ſi detrimentū magnum ſit damni emergentis in proprijs: *Verbi gratia, detinens mille aureos alterius, nec habens pecuniam, ſi ſtatim reſtituere vellet, cogeretur vendere domum, vel agrum multo minus quam valeat, vel quia non inueniuntur tūc emptores, vel quia vltronea viliſcunt, & ſi differret reſtitutionem, non incurreret tale damnum.* Et in Sum. verbo *Reſtitutio*, capit. 6. poſtquam dixit, impotentiam, ſi verè eſt impotentia, excuſare à ſtatim reſtituendo, ſubdit: *Eſt autem verè impotens ad reſtituendum ſtatim, non ſolum conſtitutus in extrema neceſſitate, ſed etiam conſtitutus in neceſſitatis articulo tali, quod magnum damnum bonorum propriorum incurreret ex præſenti reſtitutione alienorum, quod magnum damnum vitaretur dilatione non damnoſa illi, cui eſt reſtituendum.*

Notanda ſunt autem duo, quæ ibidem hęc explicans dicit Caiet. Primum: *Notanter verò dixi damnum magnum, damnum propriorum: quia ſi damnum magnum eſſet non in* pro-

proprijs, ſed quia magna ſunt, quæ reſtituenda ſunt, non excuſaretur ad ſtatim: quia damnum hoc non eſt in proprijs, ſed in carere alienis. Et ſimiliter ſi damnum magnum eſt lucri ceſſantis: puta, quia ſi reſtituit, non poteſt amplius lucrari; hoc enim non eſt damnum in proprijs.. ſed in non poſſe vti alieno. Vnde, qui iniuſtè rapinis, vſuris, &c. aliquem ſtatum acquiſiuit, tenetur cum detrimento talis ſtatus confeſtim reſtituere: nam hoc non eſt pati detrimentum in bonis ſuis propriis, ſed in carere alienis, & non tam eſt ſtatum ſuum amitterre, quam alienum dimittere. Docet tamen M. Bañes hic dubio 2. con. 3. poſſe hunc referuare ſibi alimenta neceſſaria ſecundum conditionem ſui ſtatus priſtini. Quod intelligendum eſt, ſi in ſtatu priſtino bona propria haberet: nam ſi nihil haberet, non poſſet ſibi reſeruare alimenta; alias melioris conditionis fuiſſet effectus, quia aliena rapuit, cum niſi rapuiſſet, non haberet ex priſtino ſtatu bona, quibus ali poſſet. Si verò ſtatum iuſte acquiſiuit; illum tamen conſeruat bonis alienis, aut partim alienis, & partim proprijs (inquit M. Bañes ibidem con. 4.) non tenetur ſtatim reſtituere cum detrimento proprii ſtatus, ſed poteſt retinere neceſſaria ad conſeruandum talem ſtatum parce viuendo, vt paulatim poſſit reſtituere: nam cenſetur impotens pro tali tempore; ſicque, vt hic ad 2. ait D. Thom. *Ipſa impotentia abſoluit eum à reſtitutione facienda.*

Secundum quod ait Caietanus eſt: *Notan-*

tanter quoque dixi ex dilatione non damnoſa illi cui reſtituendum eſt: quia ſi dilatio eſſet damnoſa illi cui debet fieri reſtitutio, oportet, aut ſtatim reſtituere, aut illum ſeruare indemnem. Vnde ſi creditor pateretur ſimile detrimentum, niſi fiat ſibi ſtatim reſtitutio, tenebitur ipſe debitor ſtatim reſtituere, non obſtante graui detrimento, quod illi ſequeretur ex tali reſtitutione. Aequũ enim non eſt, vt verus dominus rei patiatur detrimentum ex carentia rei ſuæ, & debitorem alienam detineat, vt vitet detrimentum: nam in caſu paris damni potior eſt cõditio creditoris extra caſum extremę neceſſitatis. Quare creditor, ſi non ſtatim reſtituat, tenebitur creditori compenſare damna, & lucrum ceſſans ratione dilationis. Hoc tamen multi limitant ad debita ex delicto: nam qui differt licitè ſolutionem debitorum ex cõtractu iuſto, non tenetur compenſare damna creditori, ſi quæ fortè ille interim patiatur: nemo enim differens ſolutionem cenſuum cogitur ad præſtandum damnum creditori obueniens, aut lucrum ei ceſſans compenſandum, de quo vide P. Leſſium lib. 2. cap. 16. dub 1. n. 33. & Diana 2. p. tract. 1. miſcel. reſol. 49.

Ex his colligunt nonnulli, ſi quis furaretur, & venderet triticum, quod dominus in aliud tempus erat ſeruaturus, & vſque ad hoc tempus reſtitutionem differret, pretio, quo tunc æſtimaretur debere illud reſtituere, ſiue maius, ſiue minus eſſet

eo,

eo, quo æſtimabatur tempore ablationis: nam dominus ſolum damnum accepit in pretio, quo erat venditurus frumentum. Vnde fur ſi maiori pretio vendidiſſet, incremẽtum illud ſibi retinere poſſet, nam cenſeretur fructus induſtriæ. Alii aliter ſentiunt; de quo vide M. Bañes hic ar. 4. dub. vnico, ad ſecundum.

Ad primum verò factum in principio reſpondetur, maiorem, & doctrinam Diu. Thom. intelligendam eſſe, quando ille, qui detinet, poteſt ſtatim reſtituere, vt patet ex fine corp. art. & ſolutione ſecundi. Si enim non poteſt, non peccat detinendo: nam non ſola impotentia phyſica, quando ſcilicet debitor, nec in re, nec in ſpe habet, quo ſoluat, excuſat a peccato, & reſtitutione, ſed etiam impotentia moralis, quando videlicet debitor, licet habeat, quo reſtituat; non tamen poteſt ſine magno ſuo, aut ſuorum incommodo in caſibus ſupradictis. Minor etiam falſa eſt in caſu extremæ neceſſitatis, dummodo ille, à quo accipitur non ſit in eadem extrema neceſſitate, vt patet ex 1. con. Immo M. Bañes hic dub. 2. ad 1. ait tam grauem poſſe eſſe neceſſitatem citra extremam, vt licitè poſſit aliquis alienum accipere, abſque violentia tamen, ad ſupplendum graue detrimentum in rebus eiuſdẽ ordinis, cum propoſito reſtituendi cum primum poterit: neque tunc dominus erit rationabiliter inuitus, dummodo non incurrat ſimile detrimentum. Vide, quæ

di-

diximus ad finem 1.con.

Ad 2 reſpondet M. Bañes loco proximè citato negando conſequentiam: quoniam dominus rei habet ius petendi illam in foro exteriori: ſed tamen in prædictis caſibus non licite petit in foro conſcientiæ cũ tanto detrimento debitoris, cum ipſe nullum, aut leuiſſimum patiatur. Quid ſi patiatur magnum, & ſit in eadem extremá neceſſitate, in qua eſt debitor? Reſpondetur, in extrema neceſſitate meliorem eſſe conditionem poſſidentis, vt diximus cõ. 1. ſicque contra detinentem nullum poſſe eſſe ius petendi ab eo id, quo extreme indiget.

Dubium tertium. An ſint alia, quæ à reſtitutione excuſent.

PRęter impotentiam, de qua dubio pręced. egimus; multa alia numerari ſolent, quæ à reſtitutione excuſant. Primum remiſſio creditoris. De hac loquitur D. Tho. hic ad 2. Vbi poſtquam dixit, illum, qui non poteſt reſtituere, abſolui ab inſtãti reſtitutione facienda, & qui eſt omnino impotens, abſolui totaliter à reſtitutione, ſubdit; *Debet tamen remiſſionem, vel dilationem petere ab eo, cui debet, aut per ſe, aut per alium.* Quorum verborum ſenſus non eſt, illum, qui non poteſt ſtatim, aut omnino reſtituere, teneri ad petendum remiſſionem, vel dilationem; nam impotentia

ſola

ſola ſufficiens eſt ad abſoluendum à reſtitutione, & remiſſio, vel dilatio ſola ſufficiens eſt ad abſoluendum à reſtitutione, etiam illum, qui poteſt, vt colligitur ex eodem S. Doct. hic in corp. art. dicente: *Quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt, vel petere dilationem ab eo, qui poteſt vſum rei concedere*. Vnde ſenſus prædictorum verborum eſt: tametſi ſit potens reſtituere, debet, vt ſit à reſtitutione abſolutus, remiſſionem, vel dilationem petere. Vel certe verbis prædictis non intendit D. Thom. obligationem eſſe petendi remiſſionem, aut dilationem, ſed ſolum id debere fieri ad melius, vt ſecurior ſit, qui non poteſt reſtituere.

Remiſſionem autem creditoris excuſare, ne debitor vnquam teneatur, ſicut, & dilatio excuſat, ne ſtatim teneatur reſtituere, inde patet: quia ſicut creditor poteſt ius ſuum, quod habet in debitorem, alteri donare: ita & ipſi debitori debitum remittere. Vt tamen valida ſit remiſſio, ante omnia requiritur, vt ſit omnino libera. Ad quod, vt docet Caiet. in Sum. verbo *Reſtitutio*, cap. 7. non ad præſumptiones, ſed ad veritatem animi illius, qui remittit, oportet reſpicere. *Si enim in veritate, & ex corde intendit remittere (quod ſi ipſe affirmat, credendum eſt, cum ſolus ipſe poſſit eſſe certus teſtis cordis ſui) proculdubio tutus eſt in foro conſcientiæ ille, cui remiſſio facta eſt: ſiue interuenerit ipſius rei oblatio, ſiue ſolum verbalis oblatio, hoc eſt paratus ſum reddere; ſiue ſolæ præ-*

ces,

ces, hoc eſt rogo, vt remittas: ſiue interueniant interceſſores: & breuiter quomodocumque ad liberam ex corde remiſſionem veniatur; quia inde pendet totum negotium.

Non eſt autem libera ex corde remiſſio ſi ſit metu, vel fraude extorta: Vt ſi debitor expreſſe, vel implicite minatur creditori, niſi integrè, vel ex parte remittat: aut ſi fingat ſe longe pauperiorem eſſe, quam reuera eſt; de quo vide Syluestrum, verbo *Reſtitutio* 2. q. 2.

Deinde requiritur, vt ille, qui remittit, poſſit ad illorum donare, vtpote verus dominus debiti ſibi reſtituendi, vt docet Caiet. vbi ſupra. Vnde remiſſio facta à filio familias, vel pupillo, aut vxore ſine conſenſu patris, vel tutoris, aut mariti valida non eſt.

Denique requiritur, vt debitor non ſit incapax remiſſionis per legem poſitiuam, qualis eſt iudex delegatus Eccleſiaſticus aliquid accipiens à partibus, præterquam eſculentum, aut poculentum mera liberalitate oblatum, vt colligitur ex cap. *Statutum*. §. *Inſuper*, & §. *Si quid*, De reſcriptis, in ſexto. Viſitator etiam aliquid accipiens ab Eccleſiis præter ſumptus neceſſarios ad victum illis diebus, quibus viſitat, vt colligitur ex cap. *Exigit*. De caſibus in ſexto, & ſeq. ca. *Fælicis*. Inquiſitor quoque, ſi prætextu officii ſui pecuniam extorſerit, vt colligitur ex Clement. *Nolentes*. De hæreticis, in ſexto. Canonicus denique, qui officio non intereſt, & diſtribu-

tio-

tiones accipit, vt colligitur ex Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 12. Prædicti namque quod acceperunt, tenentur reſtituere, etiam ſi illi, quibus debet fieri reſtitutio, remiſerint.

Secundum, ceſſio bonorum, quæ, vt ait Nauarrus cap. 17. num. 86. in foro exteriori excuſat; in foro autem conſcientiæ non, niſi quatenus neceſſitas, ſine ceſſione excuſaret. Quomodo artem excuſet, explicat Syluester verbo *Reſtitutio*, 7. q. 6. n. 2. Vide illum.

Tertium, ſi quod alicui debetur ſoluatur eius creditori. Vnde ſi quis debebat Petro decem, & Petrus Ioanni debebat alia decem, ſi Ioanni ſoluat decem, liber eſt à debito Petri in foro conſcientiæ. De foro exteriori diuerſa eſt ratio, cogetur enim ſoluere Petro, quod ei debebat.

Quartum, rei debitæ interitus, quod intelligendum eſt de re non iniuſtè accepta; nam qui rem ſurripuit, tenetur eam, etiam ſi pereat, reſtituere; ſed de re alterius, quæ eſt apud aliquem, & ſine culpa eius perit, iuxta dicta ar. 6. dub. 5.

Quintum eſt, iuris, vel iudicis auctoritas. Vt cum rei præſcriptæ dominium iuris auctoritate transfertur in eum, qui præſcribit, ſicque hic eam non tenetur reſtituere: Vel cum iudex aliquid alicui adiudicat, aut per ſententiam priuat alium aliquo, hoc enim, qui poſtea obtinet, non tenetur reſtituere, ſicut nec quod ſibi adiudicatum eſt.

Se-

Sextum, ingreſſus in Religionem, nam vt ait D.Thom.infra q.189.a.6.ad 3.homo licite poteſt, exhibitis rebus ſuis, Religionem intrare, & vt dicit Syluester verbo *Religio* 2.q 4.in Religione non tenetur operari, vt debita ſoluat.

Septimum, excommunicatio creditoris: nam ſi excommunicatus repetat debitum in iudicio, poteſt repelli à debitore, vt habetur cap. *Pia* De exceptionibus in ſexto. Probabile etiam eſt extra iudicium poſſe differri reſtitutionem, donec creditor excommunicatus reconcilietur Eccleſiæ, quia excommunicati vitandi ſunt in omni conuictu humano. Syluester tamen verbo *Excommunicatio* 5. q. 12. & alij oppoſitum tenent.

Octauum, creditorum incertitudo; Dum enim ſit diligens inquiſitio, differri poteſt reſtitutio; facta autem inquiſitione, cui ſit reſtituendum, diximus articul. 5. dubio 4.

Nonum, diſpenſatio, vel compoſitio cum Prælato. De hoc vide, quæ diximus ar. 5. dub.4.

Decimum, compenſatio. Qui enim cõpẽſatione vtitur, nõ tenetur reſtituere, quod compenſationis gratia alteri ſubtraxit. De his omnibus vide P.Leſſium lib. 2. ca.16.à dub.2.vſque ad 12.

Du-

Dubium quartum. An, & quis ordo ſit in reſtitutione ſeruandus.

SI poſſet omnibus reſtitui, nullus eſſet neceſſario ſeruandus ordo in reſtitutione, vt docent Caiet.in Sum. verbo *Reſtitutio*, capite octauo, & communiter Doctores. Vbi autem facultates ad reſtituendum non ſuppetunt, vt omnibus ſatisfiat, neceſſarius eſt ordo, quem ſequentibus concluſionibus explicamus.

Dicendum eſt primo: Prius reſtituenda eſſe debita certa, quam incerta. Ita Caietanus loco citato. Quidam incertum debitum eſſe dicunt, non quia ignoratur perſona, ſed quia non eſt liquidum, an debeatur, quia non conſtat de iure, vel facto. Sed quamuis hoc modo incerto debito prius reſtitui debeat certum, quando quis rem dubius cœpit poſſidere (nam ſi illam bona fide poſſidebat, etiam ſi poſtea oriatur dubium, non tenetur illam reſtituere, quia melior eſt cõditio poſſidentis, de quo vide, quę diximus art.6.dub.4.) Caietanus tamen, & reliqui Doctores per debita incerta ea etiam intelligunt, quæ licet deberi conſtet, ignoratur tamen cui, aut quibus.

Prius autem eſſe debita certa reſtituenda debitis hoc modo incertis probant quidam: quia incerta non debentur piis cauſis,

ſis, niſi ex iure poſitiuo, certa autem debent reſtitui ex iure naturali; ceſſat vero obligatio legis poſitiuæ, quando eſſet contra legem naturæ. Alii probant, quia incerta poteſt ſibi debitor applicare, quando ipſe pauper eſt: qui autem non ſufficit omnibus debitis, vere pauper eſt; ergo debita incerta ſibi poteſt applicare, certa vero debet creditoribus reſtituere. Denique Caiet. vbi ſupra probat: *Quia illa poſſunt abſque humano damno omitti, certa vero non.* Non ſoluendo namque incerta nulli particulari fit iniuria.

Hinc infert Caiet. errare eos, qui cum omnia reſtituere nequeant, componere quærunt ſuper incertis cum Pontifice, niſi ſorte incerta extarent in ſua ſpecie. *Nam in tali caſu reddendo prius Chriſto rem Eccleſia, ſeu pauperum nulli fit iniuria creditori certo: quia debit. r non tenetur creditoribus ſatiſfacere de re aliena.* Vnde ſi hæredes vſurariorum ſuper his componant cum Pontifice, poſſunt, vt proprium poſſidere, quod facta compoſitione apud ipſos manet incertorum debitorum in propria ſpecie exiſtentium: neque ex hoc ſatisfacere tenentur creditoribus certis ſuorum parentum, ſi hæreditas non ſit ſoluendo certis debitis, & ipſi non ſint obligati ad ſoluendum ex propriis, ſed ſolum ex bonis hæreditatis, debita certa.

Dicendum eſt 2 inter certa prius reſtituenda eſſe, quæ adhuc in ſua ſpecie extant. Ita Caiet. vbi ſupra. Et quidem ſi eo-

eorum, quæ extant, nunquam fuerit tranſlatum dominium in detinentem, quales ſunt res depoſitæ, & res furto, aut rapina occupatæ, manifeſta eſt concluſio. Nam hæc non ſunt bona debitoris; ergo ante omnia dominis reddenda ſunt, creditoribus namque ſatisfieri non debet ex alienis.

Si vero tranſlatum fuerit dominium in detinentem, quales ſunt res emptæ, & poſſeſſæ, ſed non ſolutę, non eſt ita certa concluſio. Couarruuias namque lib.1 var. reſol.cap.7.n.3. & alii dicunt, venditorem non eſſe præferendum alijs creditoribus: tum quia tales res non ſunt amplius venditoris, cum ſit tranſlatum dominiū, neq. manent illi obnoxiæ iure hypothecę, aut iure naturæ, aut iure poſitiuo: tum etiam, quia ſi emptor alteri venderet res prædictas, non poſſet eas vindicare prior emptor; ergo non eſſent ipſi obligatę.

Noſtram tamen concluſionem, etiam intellectam de re cuius eſt dominium trāſlatum in detinentem docet Caiet. vbi ſupra, & probat: *Quoniam licet tranſlatum fuerit dominium in eum, qui emit, ſubiecta tamen obligationi ipſa res manet, quouſque ſoluta eſt, & propterea tanquam non fuerit inter bona reſtituentis computanda eſt.* Idem docent S.Anton.2.p.tit.2.cap.7.§. 3. Syluester verbo *Reſtitutio* 6.q.5. & alii recentiores, & probant: quia valde durum, & ab æquitate naturali alienum eſt, vt res mea, quam à me alius emit non ſoluto pretio, extans

in

in ſua ſpecie aliis aſſignetur, & ego re mea ſimul, & pretio frauder,

Ad argumenta autem Couarruuiæ reſpondent, venditorem, licet intendat trãſferre dominium nondum accepto pretio, non tamen intendere ita rem liberam tradere; vt ante pretium ſolutum non maneat ſibi peculiariter obligata. Et quamuis res prædictæ non maneant venditori obnoxiæ, ſeu obligatæ iure hypothecæ perfectæ, qualis iure poſitiuo contrahitur, nempe in quas retinetur ius apud quemcumque extent; bene tamen ratione imperfectæ, & inchoatæ hypothecæ, ſcilicet in quas retinetur ius quandiu extant apud emptorem. Si tamen emptor alteri vendat, non manent amplius obligatæ, ſicut nec pretium acceptum. Vnde D. Ant. vbi ſupra ait: *Si ipſæ merces non extant, ſed venditæ ſunt, & loco earum aliæ ſubrogatæ, tales ſubrogatæ non redduntur loco earum, quia non ſunt pro pretio obligatæ, vt ff. in rem verſol. Quidam. Huius ratio aſſignatur: quia pretium ex re illa redactum obligatum non erat; ergo nec etiam res, quæ emitur.*

Dicendum eſt 4. Inter debita ex delicto, & ex iuſto contractu probabile eſt nullum eſſe ordinem; probabile etiam eſt prius eſſe reſtituenda debita ex delicto: probabile quoque eſt prius eſſe reſtituenda debita ex iuſto contractu. Primam partem docent Syluester verbo *Reſtitutio* 6.q 5. ad finem, & alii. Probant: quia talis ordo nullo iure conſtat. Et cum non

ſoluere debitum ex contractu, & ex furto æque ſiat inuito domino, eademque ſit iniuſtitia in ipſa rei detentione, çqua eſt obligatio reſtituendi.

Secundam partem tenent Medina, q.2. de Reſtitutione, dub.5. & alii. Probaturque auctoritate D.Thom.Opuſ.73.cap.18. (ſi eius tamen eſt illud Opuſculum) vbi ſic habet: *Quare cum neceſſaria ad ſalutem præcedant ea, quæ ſunt deuotionis, & ſupererogationis, iuſtè ſoluuntur debita ante legata. Sed maiori iuſtitia reſtituenda ſunt ablata, quam debita ſoluenda, cum in hoc impleatur iuſtitia tollens iniuriam factam Deo, & proximo, ſed in ſolutione debitorum nulla tollitur iniuria, ſed tantum ſoluitur iuſtitia.*

Tertiam partem docent Caiet. in Sum. verbo *Reſtitutio*, cap.8. Nauarrus capit. 17. num.52.& S.Anton.2.p.tit.2.cap.7.§.1. vbi poſtquam ex ſententia aliorum multa dixit, ſubdit: *Quæ videntur rationabiliter dicta hæc excepto, ſcilicet, quod debebat prius reſtitui rapina, furtum, & vſura, quam debita licito modo contracta.* Et §.2. poſtquam retulit ſententiam Alex.Lombar.(quæ eſt eadem cum ea, quam retulimus ex D. Th. Opuſ. 73.vnde forte ipſe Alex.Lombar.auctor illius Opuſculi eſt) ſubdit: *Indecens videtur vſuram debere reſtitui de re iuſte alteri obligata, &c. Si igitur non poteſt reſtituere vſuram, niſi ſubtrahendo ius alterius, pro tunc excuſatur à reſtitutione, &c.*

Dicendum eſt quinto. In reliquis ſeruandum eſſe ordinem præſcriptum in iure com-

com muni, vel municipali. Gabriel in 4. d.15.q.2.dub.vltimo docet,talem ordinem non eſſe ſeruandum neceſſario in foro cõſcientiæ, ſed ſolum in foro iudiciali. Vnde de diſtinctionibus,quas Canoniſtę multiplicant,talem ordinem explicandò,inquit: *Magis reſpiciunt forum iudicij, quam conſcientiæ*. Quæ ſententia mihi non videtur improbabilis. Sicut enim iura, quę ſolum requirunt, vt eligatur dignus,forum iudiciale reſpiciunt, non forum conſcientiæ, vt infra q.63.ar.2.ad 3. docet Diuus Thomas. Et ſicut leges irritantes teſtamenta minus ſolemnia ſolum reſpiciunt forum exterius, non conſcientiæ,vt dicemus infra q.66.art.2.dub.5.con. 2. Et ſicut lex ciuilis *Si ſeruus*,ff. De noxialibus actionibus:& canonica cap. *Si culpa* De iniuriis,& damno dato, ſtatuentes, dominos teneri ad ſatisfactionem damni illati aliis per ſeruos, & animalia,etiam abſque eorum culpa, ſolum pertinent ad forum externum, conſtituentes id, quod eſt conſentaneum naturali æquitati,& quod in tribunalibus debent iudices iudicare ob pacem publicã, vt multi dicunt, de quo infra q. 64. art. 4. dubio vnico,& idem eſt de multis alijs legibus. Cur non idem poterit dici de legibus ſtatuentibus ordinem ſeruandum in reſtitutione, ac ſolutione debitorum?

Oppoſitum tamen,nempe in foro etiam conſcientię ſeruandum eſſe ordinem, quẽ leges humanæ ſtatuunt, docent M. Bañes

hic dubio 3. documen. 5. & communiter DD. & probant: Nam leges talem ordinem ſtatuentes non nituntur præſumptione, ſed æquitate naturali; ex qua propter bonum commune talem ordinem ſtatuũt; quod non minus potuerunt facere, quam transferre dominia vſucapione; ergo cum omnis lex humana rectæ rationi conſentanea, quę non nititur falſa præſumptione, ſeruanda ſit in foro conſcientiæ, in hoc etiam foro ſeruandæ ſunt leges prædictum ordinem ſtatuentes.

Aduertunt tamen 1. ordinem ſtatutum in iure communi cæſareo ſolum eſſe neceſſario ſeruandum vbi, & quatenus tale ius receptum eſt nam vt diximus 1. 2. q. 90. ar. 3. leges Cęſarum, quę in iure ciuili continentur, in Regnis Imperio non ſubiectis, niſi ſpeciali eorum iure confirmatæ, & introductæ fuerint, nullius roboris ſunt, nec vim legis habent.

Secundò, facile poſſe eſſe ignorantiam inuincibilem in ipſis popularibus: ita vt non peccent, quando præoccupant ſibi debita non ſeruato ordine à iure præſcripto.

Tertiò, quod ait Syluester verbo *Reſtitutio* 6. q. 8. *Si creditor vigilauit exigendo debitum in iudicio, vel extra, poteſt, immo debet ei debitor ſoluere, antequam bona debitoris auctoritate iudicis incipiant poſſideri: quia poſtea iura facta ſunt paria omnium creditorum.* Ex quo nonnulli inferunt, illum qui habet res Pauli vita functi debentis ipſi 20. aureos

reos v.g. poſſe retinere res, quas habet in compenſationem ſui debiti, etiam ſi ſciat Paulum è vita migraſſe cum aliis debitis antiquioribus. Quidam hoc limitant, niſi creditor haberet res Pauli debitoris iure depoſiti: quia depoſitum compenſationem non admittit, vt habetur l. vlt. cap. De penſ. Alii limitationem non admittunt, & dicunt legem illam, & alias ſpectare ad forum externum. Vel intelligendas eſſe, ſi aliter obtineri poſſit compenſatio. Vel de depoſito, quod eſt apud debitorem, cuius non habet dominium; de quo vide Dianam part. 3. tractat. 5. miſcel. reſolut. 10.

Quis autem ſit ordo, quem leges ſtatuunt, late explicant prędicti auctores. Ego breuiter dico. Poſt reſtitutionem eorum, quorum dominium non fuit tranſlatum in debitorem, primum ſoluendas eſſe impenſas funeris debitoris, vt colligitur ex L. *Impenſa*, ff. De relig. & ſump. funeris. Cuius rationem aſſignat M. Bañes hic cõ 4. quia neceſſitas ſepulturæ merito iudicatur, quaſi extrema, ſicque alijs præferenda eſt. Ad quas expenſas reducuntur, quę fiunt ad conſcribendum teſtamentum, cõficiendum inuentarium, cuſtodiendo ſupellectilem, & aliæ huiuſmodi præciſe factæ ratione defuncti.

Deinde ſoluendum eſſe his, qui habent hypothecam ante alios non habentes, vt colligitur ex L. *Eos*, C. Qui priores in pignore. Cuius ratio eſt, quia creditoribus

hypothecariis duplici obligatione reali, ſcilicet, & perſonali ſunt res creditoris obligatæ; aliis verò ſolum perſonali obligatione. Ex his autem, qui hypotecam habent, præferendi ſunt, qui habent anteriorem hypotecam. vt ex multis legibus probat M. Bañes hic dub. 3. con. 1. & præterea patet ex illa regula iuris in ſexto: *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure*. Syluester verbo *Reſtitutio* 6. q. 5. & Nauarrus cap. 17. nu. 50. & 51. exiſtimant, creditores habentes ſpecialem hypothecam in aliqua re, præferendos eſſe his, qui ſolum habent in illa re hypothecam generalem, quamuis hæc ſit anterior. Alii generaliter veram eſſe dicunt prædictam regulam, ſiue hypotheca ſit generalis, ſiue ſpecialis: nam vt colligitur ex L. 2. ff. Qui potiores in pignore, &c. generalis hypotheca prior præfertur ſpeciali poſteriori.

Denique poſt eos, qui habent hypothecam, ſi quid ſuperſit, ſoluendum eſt creditoribus perſonalibus, hoc eſt, qui ſolam perſonam debitoris habent obligatam, qui & à Iuriſperitis appellantur creditores chirographarii. Ad quos, licet multi exiſtiment, poſſe extendi regulam illam iuris: *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure*, M. Bañes tamen hic dubio 3 con. 2. dicit, nullam eſſe habendam rationem temporis, vel anterioritatis, ſed omnibus æqualiter eſſe ſatisfaciendum, quod colligit ex L. *Priuilegia*, ff. de priuil. cred. & ex L. *Si hominem* ff. Depoſiti. Idē dicit Syluest. verb. *Reſtit.* 6. q. 5.

QVAE-

QVAESTIO LXIIII.

De Acceptione perſonarum.

ARTICVLVS I.

Vtrum acceptio perſonarum ſit peccatum.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium. Quid ſit, & quodnam peccatum ſit, acceptio perſonarum.

DIcendum eſt 1. Acceptio perſonarum ſic diffiniri poteſt: Iniuſtitia, qua in diſtributione communium præter proportionem agitur, ita vt non propter merita, ſed propter cauſam indebitam quidam aliis præferantur. Colligitur hæc diffinitio ex D. Thom. hic. Iniuſtitia dicitur, quia eſt peccatum oppoſitum iuſtitiæ. Sicut autem iuſtitia eſt genus reſpectu commutatiuæ, & diſtriſtibutiuę: ita iniuſtitia genus eſt ad omnia vitia oppoſita iuſtitiæ commutatiuæ, & diſtributiuæ. Vnde in definitione acceptio-

nis perſonarum ponitur tanquam genus.

Dicitur autem, in diſtributione, quia iuſtitiæ diſtributiuæ opponitur. Ex quo fit, ſolum eſſe in diſtributore, cui ex officio, vel commiſſione, vel aliqua alia obligatione competit diſtribuere. Cum autem, qui impedit diſtributorem, ne ſecundum leges iuſtitiæ diſtributiuæ diſtribuat, non ſit diſtributor, non peccat acceptione perſonarum, ſed contra iuſtitiam commutatiuam impediendo ius, vnde reſtituere tenetur. Similiter, qui vſurpat officium diſtributoris, non peccat hoc vitio, etiam ſi indignis diſtribuat: quia non tenetur aliquo iure, immo nec poteſt diſtribuere; niſi forte ſecundum affectum, quia intendit acceptare perſonas.

Additur præterea, communium, ſcilicet bonorum, aut onerum. Si enim inæqualiter diſpenſentur onera multitudini, abſque debita cauſa, & ſufficienti, ita, vt quidam magis grauentur, quam alij, nempe pauperes, quam diuites, acceptio perſonarum eſt. Sed hæc præcipuè inuenitur in diſtributione bonorum communium. Vnde, qui bona propria diſtribuens, quoſdam aliis præferret ob indebitam cauſam, non eſſet perſonarum acceptor, nec contra iuſtitiam peccaret, licet peccaret contra charitatem ſibi inimicos, quia tales ſūt, aliis poſtponendo, aut excipiendo. Si bona iam applicaſſet communitati, vt diſtribuerentur; quidam abſolutè dicunt; ſi

exciperet ſibi inimicos, acceptorem perſonarum eſſe. Alii melius diſtinguunt: Si abſolutè, & abſque vlla conditione, aut determinatione bona ſua applicaſſet Reipublicę, ſicque communia feciſſet, reſeruando tamen ſibi, aut ſuis hęredibus talium bonorum diſtributionem, tuncque ipſe, aut hæredum eius aliquis inimicum exciperet, acceptor perſonarum eſſet: quia, cum talia bona fiant communia, diſtribuenda ſunt ſecundum merita ciuium. Si tamen bona ſua non abſolute applicaret Reipublicæ, ſed cum hac limitatione, & conditione, vt ex eis non participet eius inimicus, non eſſet perſonarum acceptor: ſicut nec eſt, qui beneficium inſtituit cum hac conditione, vt ſuis conſanguineis cõferatur: quia cum talia bona non ſint abſolutè communia, ſed cum illa limitatione, nullo modo ſunt debita inimico; ſicque illum excipere, non erit acceptio perſonarum.

Denique dicitur, præter proportionem, &c. inquit enim D. Thom. hic; *Si aliquis conſideret illam proprietatem perſonæ; propter quam id, quod ei confertur, eſt ei debitum, non eſt acceptio perſonæ, ſed cauſæ. Puta ſi aliquis promoueat ad magiſterium propter ſufficientiam ſcientiæ, hic attenditur cauſa debita, non perſona. Si autem aliquis conſideret in eo, cui aliquid confert, non id propter quod id, quod ei datur, eſſet proportionatum, vel debitum, ſed ſolum hoc, quod eſt hic homo, puta Petrus, vel Martinus, hic eſt acceptio perſonæ:*

quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam cauſam, quæ faciat eum dignum, ſed ſimpliciter attribuitur perſonæ. Ad perſonam autem refertur quæcunq. conditio non faciens ad cauſam, propter quam ſit dignus hoc dono, Puta ſi aliquis promoueret aliquem ad prælationem, vel magiſterium, quia eſt diues, vel quia eſt conſanguineus ſuus, eſt acceptio perſonę.

Hinc colligitur, vbi bona nullo modo ſunt debita, ſed mere liberè, & gratuito dantur, non habere locum acceptionem perſonarum; hancq. proinde non eſſe in Deo, vt oſtendit D.Thom. hic ad 3. *Quia quilibet abſque iniuſtitia poteſt de ſuo dare quantum vult, & cui vult: ſecundum illud Matth. 20. An non licet mihi, quod volo facere? Tolle, quod tuum eſt, & vade.*

Si quęras, an quando prælatus bona, quę dicuntur gratiæ, vt licentia, & diſpenſatio, confert ſolum ſibi auxiliaribus, qui videlicet illum elegerunt, exceptis omnibus alijs, peccatum acceptionis perſonarum committat? Reſpondet M. Bañes hic dubio 1. corol. 2. poſt 3. con. committere peccatum acceptionis perſonarum: nam iſta bona non ſunt prælati ſicut pallium, & pecuniæ, ſed ſunt quodammodo communitatis: eo enim ipſo ac prælatus inſtituitur, communitas habet ius, vt illi dentur aliquando iſta bona, ſubditi etiam ius habent, ne excipiantur à communibus fauoribus, ſicque peccatum iſtud prę lati acceptio eſt perſonarum, ac per conſequens mortale, vt patebit ex con. ſeq. Vnde merito nos 1.

2.q.

2. q. 96. art. 4. dubio 4. diximus, legem, qua prælatus his ſubditis aliquid præciperet, excipiendo ſibi auxiliares, qui videlicet illum elegerunt, vel ſolum cum his diſpenſando, iniuſtam eſſe ex forma, ſicque non obligare in foro conſcientiæ. Et non eſt eadem ratio de legibus conſtitutionum Religionum; in quibus licet prælatus accipiendo perſonas diſpenſet, iuſtæ manent, & in foro conſcientiæ obligant. Nam prælatus ſic diſpenſando contra eas facit, & cũ eas auferre nequeat, nec ab eo vim obligandi habeant, non poteſt facere, vt iniuſtæ ſint, vel non obligent in conſcientia male in eis diſpenſando cum perſonarum acceptione.

Dicendum eſt 2. acceptionem perſonarũ peccatum mortale eſſe ex ſuo genere. Peccatum eſſe probat D. Tho. hic in argumento *Sed contra*: quia prohibetur Deut. 1. v. 17. & alijs innumeris in locis. Mortale autem eſſe ex ſuo genere, indicat aperte iterũ atque iterum dicens: *Perſonarum acceptio opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ*. Nam vt ipſe dixit ſupra q. 59. ar. 4. *Manifeſtum eſt, quod facere iniuſtum ex ſuo genere eſt peccatum mortale*. Contrariatur enim charitati, cum nocumentum inferat proximo.

Secundò, peccata oppoſita iuſtitię commutatiuæ, vt furtum, & homicidium ex ſuo genere ſunt mortalia; ergo, & oppoſita iuſtitię diſtributiuę, qualis eſt acceptio perſonarum: iuſtitia namque diſtributiua

præſtantior eſt, & ex perſonarum acceptione grauia damna ſequuntur perſonis particularibus, quia priuantur bonis ſibi applicandis, & Reipublicæ, quia illius ordo peruertitur, fitque quod dicitur Eccleſiaſt. 10. verſ. 5. *Eſt malum, quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie principis: poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum. Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos.* Quod maximum malum eſſet naturæ, ſi terra ſurſũ, & cęlum deorſum collocaretur.

ARTICVLVS II.

Vtrum in diſpenſatione ſpiritualiũ locum habeat perſonarum acceptio.

Concluſio eſt affirmans.

Dio,

ubium I. *An diſtribuentes ſpiritualia, ac beneficia Eccleſiaſtica peccet mortaliter peccato acceptionis perſonarum, non eligendo digniorem*.

E St de hac re ſententia Caiet. in Summa verbo *Beneficium*, & verbo, *Electio*, : Ientaculo vlt. q 4. non eſſe peccatum iortale, eligere dignum poſtpoſito digniore ad officia ſpiritualia, & beneficia Eccleaſtica, Epiſcopatum ſcilicet, & alia inferiora. Epiſcopatus enim (inquit) dupliciter conſiderari poteſt, nempe vel ſecundũ l quod conuenit ei per ſe, nempe eſſe ſpirituale officium: vel ſecundum ſibi annexa, cilicet ſuperioritatem, honorem, dignitaem, beneficium Eccleſiaſticum. Ratione primi eſt in genere onerum; ratione verò ecundi eſt in genere bonorum. Et quia acceptio perſonarum ſolum eſt, quando diſtribuitur commune bonum, eligere ad Epiſcopatum dignum omiſſo digniori, non eſt acceptio perſonarum, ſi conſideretur Epiſcopatus ſecundum id, quod conuenit ei per ſe, nec fit aliqua iniuria digniori, cũ dignus ſolum eligatur ad onus. Si verò conſideretur Epiſcopatus ſecũdum ſibi annexa, cum hæc bona ſint, ratione illorum vitium acceptionis perſonarum eſt, eligere ad illum dignum digniori omiſſo. Quia-

ta:

præſtantior eſt, & ex perſonarum acceptione grauia damna ſequuntur perſonis particularibus, quia priuantur bonis ſibi applicandis, & Reipublicæ, quia illius ordo peruertitur, fitque quod dicitur Eccleſiaſt.10. verſ. 5. *Eſt malum, quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie principis: poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum. Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos.* Quod maximum malum eſſet naturæ, ſi terra ſursũ, & cęlum deorſum collocaretur.

ARTICVLVS II.

Vtrum in diſpenſatione ſpiritualiũ locum habeat perſonarum acceptio.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium 1. An diſtribuentes ſpiritualia, ac beneficia Eccleſiaſtica peccẽt mortaliter peccato acceptionis perſonarum, non eligendo digniorem.

EST de hac re ſententia Caiet. in Summa verbo *Beneficium*, & verbo, *Electio*, & Ientaculo vlt. q 4. non eſſe peccatum mortale, eligere dignum poſtpoſito digniore ad officia ſpiritualia, & beneficia Eccleſiaſtica, Epiſcopatum ſcilicet, & alia inferiora. Epiſcopatus enim (inquit) dupliciter conſiderari poteſt, nempe vel ſecundũ id quod conuenit ei per ſe, nempè eſſe ſpirituale officium: vel ſecundum ſibi annexa, ſcilicet ſuperioritatem, honorem, dignitatem, beneficium Eccleſiaſticum. Ratione primi eſt in genere onerum; ratione verò ſecundi eſt in genere honorum. Et quia acceptio perſonarum ſolum eſt, quando diſtribuitur commune bonum, eligere ad Epiſcopatum dignum omiſſo digniori, non eſt acceptio perſonarum, ſi conſideretur Epiſcopatus ſecundum id, quod conuenit ei per ſe, nec fit aliqua iniuria digniori, cũ dignus ſolum eligatur ad onus. Si verò conſideretur Epiſcopatus ſecũdum ſibi annexa, cum hæc bona ſint, ratione illorum vitium acceptionis perſonarum eſt, eligere ad illum dignum digniori omiſſo. Quia

tamen, ſubdit ientaculo citato: *Temporalia bona annexa paſtoralibus officijs per accidens concurrunt, videbis conſequenter, quod omnibus conſideratis ſufficit etiam in foro conſcientiæ ad euitandum peccatum mortale, eligere ſufficientem: quoniam actus humanus iudicandus ex ſuo genere eſt ſecundum id, quod eſt per ſe: quãuis peccet poſtponens digniorem ſine rationabili cauſa, eo quod præter rectam rationem temporalia annexa diſpenſat. Et ſpectat hoc peccatũ reductiuè ad vitium acceptionis perſonarum.* Eandem ſententiam ex Iuriſperitis tenent nonnulli, vt refert Couarruuias Relectione ſuper regulam peccatum, par.2.§.7.num.3. abſolutè aſſerentes, ſatis eſſe, vt dignus eligatur ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica. Quod, & aſſerit Gloſſa in capit. *Licet* 8. quæſt.1.

Probatur hæc ſententia 1, Apoſtolus 1.ad Timoth.3. verſ.2. & ad Titum 1. v.6. enumerans conditiones Epiſcopi eligendi non requirit, vt ſit cæteris omnibus dignior, ſed ſolum ait: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicũ, hoſpitalẽ, doctorẽ, &c.* Et 1.ad Cor.4.v.2. inquit: *Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Non ait fidelior; ergò qui fidelè, & dignũ eligit, etiam ſi non eligat fideliorem, & digniorem, non peccat, ſed ſuo muneri ſatisfacit. Confirmatur, nam.1.ad Timoth.3.v.1.dicitur: *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Quod explicans Gloſſa cum S. Hieron. Epiſt. 83. ad Oceanum ait; *Opus, non dignitatem, labo-*

rem,

rem, *non delitias*. Aitque Caic. ſupra: *Ac per hoc onus, vnde & merces operario debetur, iuxta illud Matth.*20. *Voca operarios, & redde illis mercedem*. Sed in impoſitione onerum ſufficit eligere idoneum ad tale onus ſuſtinendum, & non oportet digniorem alijs præferre; ergo,&c.

Secundo, nam Can. *Si in plebibus*, diſt. 63. ſolum requiritur, vt dignus paſtor Eccleſiæ præficiatur, & cap. *Monaſterium* 16. q. 7. vt non ſit malus monaſterij præfectus. Et in Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. 3. vt beneficia Eccleſiaſtica etiam curata dignis, & habilibus conferantur, ergo qui dignum eligit, non peccat, quamuis non eligat digniorem. Confirmatur, quia vt patet ex cap. *Nullus* diſt. 13. & cap. *Obitum*, diſt. 61. beneficia conferri debent naturalibus, & perſonis ex eadem Eccleſia, ſi fuerint digni; ergo non opus eſt quærere digniores. Vnde in cap. *Cum nobis*, De elect. approbatur electio cuiuſdam, etiam ſi non haberet eminentem literaturam, & cap. *Cum dilectus*, eodem tit. electio alterius in Epiſcopum, etiam ſi eſſent alij digniores in eadem Eccleſia.

Tertiò, qui eligit dignum omiſſo digniori, non facit iniuriam Eccleſiæ, nam etiam dignior non tenetur plus laborare in Eccleſia quam dignus, & Eccleſiæ non plus debetur, quam, vt ei ſufficienter prouideatur, & ad ſupererogationis bonum ſpectat, ſi pluſquam ſufficiens ei detur paſtor: nec digno, quia cum dignus eligatur ad onus, ceſſat ratio iniuriæ reſpectu dignioris; ergo

non peccat. Confirmatur, ſi electus teneretur eligere digniorem, dignus non poſſet acceptare beneficium, quia cooperaretur peccato electoris: ſed hoc eſt falſum; ergo, &c.

Dicendum tamen eſt 1. diſtribuentes ſpiritualia officia, ac beneficia eccleſiaſtica curam animarum habentia, mortaliter peccare peccato acceptionis perſonarum non eligendo digniorem. Alenſis 2. part. q. 136. § 2. dicit: *Cum eſt electio facienda ad Epiſcopalem dignitatem requiritur, quod ſecundum conſcientiam eligatur vtilior. In minori verò beneficio ſufficit, quod bonus.* Noſtram tamen concluſionem, quæ generaliter loquitur de omni beneficio curato, adeo certam eſſe exiſtimat M. Ledeſma 2. p. Summæ tract. 7. de iuſtitia diſtributiua, cap. 2. con. 7. vt dicat, oppoſitum eius non eſſe probabile. Pro illa præter D. Thom. hic & Quodlib. 6. & 8. eiuſque diſcipulos, plures refert DD. M. Soto lib. 3 de iuſtitia, q. 6. artic. 2. concl. 9. Illam etiam pluribus argumentis probat; in quorum quarto multa congerit ex iure Diuino, Canonico, & Imperatorio teſtimonia: quibus addit formam iuramenti, quæ habetur in Pregma. Concil. Baſilien. quæ eſt huiuſmodi: *Ego N. iuro, & promitto omnipotenti Deo, & ſancto, cuius nomini dicata eſt hæc Eccleſia, eum eligere, quem credam eſſe in ſpiritualibus, & temporalibus meliorem.*

Secundò probatur ex Conc. Trid. quod ſeſſ. 24. cap. 1. Decreti de reformatione, agens

agens de promouendis ad Cathedrales, & ſuperiores Eccleſias, hortatur, & monet omnes, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque ius habent, vt meminerint, *Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, præfici diligenter curauerint*. Et cap. 18. præcipit, vt ad Eccleſiam parrochialem gubernandam ex idoneis iudicatis ab examinatoribus (quos proinde non teneri ad indicandum Epiſcopo, quis ex examinatis ſit dignior, ſed ſolum, qui ſint idonei, multi aſſerunt, de quo vide M. Ledeſma vbi ſupra difficultate 13.) *Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit. Si vero iuris patronatus Eccleſiaſtici erit, is quem patronus digniorē inter probatos ab examinatoribus indicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, vt ab eo inſtituatur*. Ergo ſub reatu peccati mortalis debet eligi dignior, non ſolum ad Epiſcopalem dignitatem, ſed etiam ad minora beneficia curata. P. Reginaldus tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 14 num. 197. probabile eſſe aſſerit, obligationem eligendi digniorem non extendi ad eos, qui ius habent conferendi beneficia per prouiſionem liberam (hoc eſt abſque concurſu oppoſitorum) vt Papa, & plerumque Ordinarij, ac non nunquam Principes ex priuilegio, vel ex aliqua facultate, aut conſenſu tacito Eccleſiæ. Alioqui enim ſemper tenerentur digniorem quærere, quod à Papa, vel Regibus exigere durum eſt. Si hoc probabile

eſt,

eſt, probabilior videtur ſententia Caietani, vbi ſupra, quam etiam ſequitur Pedraca in Sum. Præcepto 7.§.36. con.2. non enim loquitur Caiet. quando beneficia conferuntur per concurſum oppoſitorum. Mihi tamen id difficilè videtur, eum doctrina Concilij etiam ſe extendat ad eos, qui ius habent conferendi Epiſcopatus ſine concurſu oppoſitorum. Vnde exiſtimo tam Papam, quam Reges mortaliter peccare, ſi digniorem non eligant; nam vt hic ad 1. ait D. Thom. *Prælatus Eccleſiaſticus non eſt dominus*, ſcilicet beneficiorum, & vt notat Caietanus, ſub nomine Eccleſiaſtici Prælati clauditur etiam Papa. Et quamuis non teneantur ſemper inquirere, quis in Eccleſia, aut in ſuis Regnis dignior ſit; ex his tamen, qui in promptu ſunt, aut quorum notitiam habent, quem digniorem iudicauerint, debent ſub mortali eligere: ſicut, & quando per concurſum oppoſitorum beneficia conferuntur, digniori ex oppoſitoribus conferendum eſt beneficium, & non opus eſt alios digniores quærere.

Tertiò probatur ratione D. Thom. hic præſertim ad 3. & Quodlibet.4.artic.15. & Quodlibet.6. art.9. & Quodlibet.8. artic.6. Quotieſcumque aliquis accipit pro cauſa conditionem perſonæ, quæ non facit ad negocium, eſt acceptio perſonarũ: ſed quando diſtribuentes officia, & beneficia eccleſiaſtica non eligunt digniorem, accipiunt pro cauſa conditionem perſonæ, quæ non facit ad negotium; ergo peccant peccato

ac-

acceptionis perſonarum, quod mortale ex ſuo genere eſſe diximus articulo præc. Maiorem explicat D. Thom. Quodlibet.4. art.15 *Sicut ſi aliquis daret ſententiam pro aliquo, quia diues eſt, & non quia iuſtitiam habet, quæ eſt conditio faciens ad negotium.* Hic verò art.1. *Puta ſi aliquis promoueat aliquem ad prælationem, vel magiſterium, quia eſt diues, vel quia eſt conſanguineus ſuus, eſt acceptio perſonæ.* Quia hæ non ſunt conditiones facientes ad negotium. Minorem probat idem S.Doctor hic ad 3. & Quodlib.6.ar.9. & Quodlib.8.art.6. *Quia ſi poteſt haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod hoc ſit propter aliquam cauſam.* Sed hæc non poteſt eſſe conditio perſonæ faciens ad negotium, cùm nequeat eſſe conditio pertinens ad idoneitatem erga talem dignitatem; alias non eſſet alter magis idoneus; ergo; &c.

Dicendum eſt 2. licet probabilius ſit, idē dicendum eſſe de beneficijs curam animarum non habentibus; probabile tamen eſt, non eſſe peccatum mortale, illa conferre dignis, dignioribus prætermiſſis. Primam partem docet M. Bañes hic dubio 5. & alij. Probat etiam illam ratio facta pro præcedente concluſione, quæ generaliter procedit de omnibus eccleſiaſticis beneficijs; quę etiam ſi curam animarum non habeant annexam; ſunt tamen bona communia, quorum non ſunt domini Prælati Eccleſiaſtici, ſed ſolum miniſtri, ac diſpenſatores, & quaſi œconomi, ſicq; illa debēt diſtribuere

ſe-

ſecundum rigorem iuſtitiæ diſtributiuæ. Si dicas, quantum ad hæc beneficia nullum, aut paruum eſſe exceſſum inter digniorē, & dignum. Contra hoc eſt, nam ſi id eſſet verum, etiam quando conferuntur talia beneficia per concurſum, non eſſet peccatum mortale illa conferre dignis, omiſſis dignioribus: nam quando exceſſus meritorum non eſt tantus, vt ad rem multū referat, ſolum eſt peccatum veniale, prætermittere digniorem ex competentibus, ſicut, & ob paruitatem materiæ mortale non eſt furari obolum: conſequens eſt falſum; ergo, &c.

Secundam partem docet M. Soto, lib. 3. de iuſtitia, q. 6 ar. 2. ad 5 his verbis: *In alijs, qui tali cura vacant, licet præteritis dignioribus contra iuſtitiam diſtributiuam delinquatur: non tamen ſubeſt tantum periculi. Atqui eam ob rem, aut nunquam, aut perquam raro peccatum illic mortale committitur, dummodo non concedantur indignis.* Illam etiam docent M. Ledeſma 2. p. Sum. tract. 7. c. 2. diffic. 15. & alij.

Probant 1. nam in Conc Trid. ſeſſ. 24. ca. 10. Decreti de reformatione poſtquam dictum fuit, ad dignitates, quibus animarū cura ſubeſt, promouendos eſſe eos, qui pietate præcellerent, aliiſque exemplo eſſent, ac proinde digniores, ſubditur: *Ad cæteras autem dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, clerici alioquin idonei & 22. annis non minores, aſciſcantur.* Et inferius: *Hortatur etiam ſancta Synodus, vt in pro-*

prouincijs, vbi id commodè fieri poteſt, dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Eccleſiis, & Collegiatis, inſignioribus conferantur tantum Magiſtris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel iure Canonico. Supponens non his, qui ſunt digniores, neceſſ. rio eſſe conferendas tales dignitates, aut canonicatus, ſed id arbitrio ſuperioris, eſſe relictum. Quamuis, vt verum fatear, hoc magis confirmare videtur primam partem noſtræ concluſionis.

Secundò probant, quia omnes Prælati etiam Sum. Pontifex prædicta beneficia ſimplicia dignis conferunt, nihil de dignioribus curantes, aut parum.

Tertiò, quia prædicta beneficia ordinãtur ad valde limitatum miniſterium, quale eſt recitare officium diuinum, cantare in choro, Miſſam, aut Euangelium, vel Epiſtolam dicere, ad quod exigua dignitas requiritur, & ſufficit; ſicque omnes illam habentes in ordine ad tale miniſteriũ ſunt æqualiter digni, & ſi eſt aliquis exceſſus, reputatur leuis; ergo non eſt peccatum mortale, illa non dare dignioribus.

Limitant hoc tamen niſi talia beneficia conferantur per oppoſitionem, & concurſum: nam tunc ſi digniores omitterentur, iniuria illis fieret. Niſi etiam aliqua lege, aut conſtitutione particulari, vel iuramento aliud cautum ſit: nam tũc peccatum mortale eſſet, eligere ad prædicta beneficia dignum, digniori prætermiſſo.

Di-

Dicendum eſt 3. excipiẽdos eſſe aliquos caſus, in quibus, aut non eſt peccatũ mortale, aut licitum eſt, prædicta beneficia etiã curata conferre dignis, prætermiſſis dignioribus.

Primum eſt, quem M. Soto lib. 3. de iuſtitia, quæſt. 6. art. 2. concl. 9. his verbis docet: *In primis non contendimus in has anguſtias timoratos animos conÿcere, vt quando munus, ad quod perſona eligitur, exigui momenti eſt, cenſeatur peccatum mortale, digniorem prætermittere. Moxque neque eſt tale peccatum timendum, etiam in rebus maioris momenti, quando meritorum exceſſus non eſt tantus, vt videatur, ad rem multum referre: quoniam, & furari exiguam monetam, non eſt peccatum mortale.* Si electores aſtringerentur iuramento ad eligendum digniorem, quidam aſſerunt mortaliter peccare, ſi digniorem non eligerent, quantumcumque in minimo excederet, quia iuramentũ obligat ſub mortali. Alij dicunt, etiam tunc ſolum eſſe veniale peccatum; quia iuramentum promiſſorium in re leui non obligat ſub mortali, ſed ſolum ſub veniali peccato.

Secundus eſt, quando vacantibus ſimul duobus beneficijs altero ſimplici, & pingui, altero parrochiali, & tenui, non ſunt niſi duo oppoſitores, non eſt conferendum beneficium magis pingue digniori, ſed parrochiale tenue: quia in diſpenſatione beneficiorum magis ſpectanda eſt vtilitas Eccleſiæ, quam commodum temporale miniſtri: bono autem communi Eccleſiæ ex-

pe-

pedit, vt dignior præficiatur beneficio parrochiali, cui eſt annexa cura animarum. Ita M. Bañes hic dubio 3. con.3. & M. Scto vbi ſupra.

Tertius eſt, ſi plures ſunt electores, & paucorũ ſuffragia inclinant in digniorem, ego, qui huic meo ſuffragio nihil prodeſſe poſſum; ſi tamen conferam digno, hic euadet electus, & vitabitur electio indigni, teneor dignum eligere, prætermiſſo digniore, etiam ſi iure iurando me aſtrinxerim, eligere digniorem, vt ait M.Soto vbi ſupra. Tuncque cum aliis ad opus malum non concurro: quia eligere dignum non eſt malum ſecundum ſe, niſi adfuerit dignior, qui poſſit eligi. Suppoſita autem determinatione maioris partis eligentis dignum, prætermiſſo digniori, nullus eſt de facto dignior, qui poſſit eligi. Immo non ſolum ad vitandam electionem indigni poſſum me conformare cum maiori parte eligente dignum, prætermiſſo digniori, ſed etiam, vt electio fiat pacifice, cum eſt moraliter euidens, digniorem non fore eligiendum. Vide M.Bañes loc.cit.

Quartus eſt, ſi fundator conſtituiſſet, vt beneficium detur alicui ex ſua familia, ſi idoneus repertus fuerit; vel ſi beneficium ex ſua inſtitutione dandum ſit alicui ex certa familia, vel ciuitate: aut ſi decreto canonũ eligendus ſit aliquis ex clericis eiuſdem Eccleſiæ; non eſt dandum beneficiũ digniori, qui ex alia Eccleſia, ciuitate, aut familia haberi poſſet, ſed idoneo, ſi dignior

ex

ex tali Eccleſia, ciuitate, aut familia haberi non poſſet, vt colligitur ex cap. *Nullus*, & cap. *Obitum*, citatis in 2. argum. facti in principio dubij confirmatione. Dicit tamen D.Thom. hic ad 4. *Quod ille, qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, vt in pluribus conſueuit eſſe vtilior, quantum ad bonum commune, quia magis diligit Eccleſiam, in qua eſt nutritus*. Ac proinde, licet abſolutè ſolum ſit idoneus, & dignus, reſpectu tamen huius Eccleſiæ eſt dignior.

Quintus eſt, ſi patronus præſentat dignum: huic enim debet conferri beneficium, etiam ſi ſint alij digniores. Vnde Caiet. in Sum. verbo *Beneficium*, ait: *Vbi ſola confirmatio electi, aut præſentati à patrono ſpectat ad eum, ſufficit, quod detur digno: quoniam ex hoc ipſo, quod electus, aut præſentatus eſt, tanquam dignior habetur*. Aut certè eodem modo ſe habet, ac ſi vnus iſte eſſet idoneus. Colligitur hoc ex cap. *Cum nobis*, citato in confirmatione arg. 2. facti in principio, & ex Conc. Trid ſeſſ. 24. cap. 18. de reformatione, vbi dicitur, debere illũ, qui à patrono laico præſentatus eſt admitti, ſi repertus fuerit idoneus. An vero patronus ipſe teneatur in conſcientia præſentare digniorem, non eſt concors omnium ſententia. Quidam dicunt, patronũ, qui primus immediatè per ſe Eccleſiam fundauit, aut beneficiũ ex proprijs bonis, licite poſſe præſentare dignum, omiſſo digniore; quod colligunt ex cap. *Monaſterium* 16. q. 7. citato in 2. argum. facto in principio: non ta-

mea

men illum, qui non eſt primus fundator. Alij etiam hunc, idem poſſe, affirmant, cum fundatori ſuccedat in omnibus iuribus. Alij tam hunc, quam illum patronum teneri ad eligendos, & præſentandos digniores dicunt: quia poſtquã beneficia inſtituta ſunt, iam facta ſunt bona communia, ſicque ſecundum regulas iuſtitiæ diſtributiuæ diſpenſanda. Vide M. Bañes hic dubio 4.

Sextus eſt, ſi qui habet beneficium, reſignet illud in fauorem alterius: nam licet alter non ſit dignior, poteſt illi conferri beneficium, ait namque Caiet. in ſum. verbo *Beneficium*: *Cum renuntiatur beneficium in fauorem alterius, ſufficit collatori, quod ille ſit dignus: quoniam æquitas præfert alijs illum tunc pro ſic vacante beneficio*. Idem eſt cum quis beneficium cum altero permutat.

Dicendum eſt 4. Vt quis dignior iudicetur ad prædicta beneficia, plures conditiones eſſe conſiderandas. Prima eſt, morum probitas: nam vt ait D. Thom. Quodlib. 8. art. 6. *Per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet ſpirituale exequendum*. Idem dicunt Syluester verbo *Electio*, q. 14. & Caiet. in Sum. verbo *Electio*. Vbi numerans conditiones requiſitas in foro conſcientiæ ad electionem paſtoris eccleſiaſtici, ait: *Prima eſt, quod ſit bonus: hoc eſt ſine peccato mortali: propter hoc enim Dominus ter Petrum interrogauit, ſi haberet charitatem*. Et poſt pauca ſubdit: *Tenetur eligens, ſi abſque peccati mortalis incurſu vult eligere*,

tenere ſecundum ſuam conſcientiam, quod ille, quem elegit, ſit in gratia Dei. M. Banes vero hic dubio 1 dicit: diſtributorem, & electorem, ſi ſecreto ſciat, aliquem eſſe in peccato mortali, poſſe illum eligere, ſi alioquin dignus habetur, & peccatum ſolum ſit ex fragilitate commiſſum, à quo moraliter creditur facile reſurrecturus. Et D. Th. doctrinam interpretatur de peccato ex certa malitia, & per modum ſtatus, aut vero quando de tali peccato conſtat. Vnde ipſe D. Thom. 1. ad Timoth. 3. lection. 3. ait: *Nec eſt dicendum, ſicut aliqui dixerunt, quod quicunque peccauit mortaliter poſt baptiſmū, nõ eſt idoneus, quia pauci eſſent tales. Sed irreprehenſibilis, id eſt non ſubiectus alicui peccato, vnde ab alijs reprehendi poſſet*. Et ad Titum 1. lect. 2. explicans, illud, *Sine crimine*, inquit, crimen non ſignificare peccatum occultum, ſed infame, & notoriū, ob quod reprehendi poſſit. Quamuis autem morū probitas, ac vitæ ſanctitas hominem ſimpliciter bonum efficiat, & maior ſanctitas meliorem ſimpliciter: *Non tamen oportet* (inquit D. Thom. Quodlib. 8. articulo 6.) *quod ſemper eligatur ille, qui eſt melior ſimpliciter. Poſſibile eſt enim, quod illi, qui eſt in charitate perfectior, deficiant multa, quæ requiruntur ad hoc, quod ſit prelatus idoneus: quæ in alio, qui eſt minoris charitatis, inueniuntur, vt ſunt ſcientia, induſtria, potentia, & alia huiuſmodi. Vnde non oportet ſemper eligere meliorem ſimpliciter, ſed eum, qui ſit melior ad hoc*

offi-

officium. Idem dicit S. Doct. Quodlibet. 6. artic. 9. & in præſenti articulo. Vide illum.

Secunda conditio eſt, ſcientia: vnde in Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 2. Decreti de reformatione dicitur de aſſumendo ad Eccleſias Cathedrales: *Scientia vero præter hæc eiuſmodi polleat, &c.* & cap 12 *Doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, &c.* Quæ autẽ ſcientia ſit præferenda Theologia, aut Iuris canonici peritia, ſatis inſinuat Conciliũ, dum in vtroque loco cit. Theologiam primo loco numerat, Vide Caiet. infra q. 185. art. 3. & M. Soto, lib. 3. de iuſtitia, q 6. art. 2. concl. 10.

Tertia conditio eſt, prudentia, & induſtria in rebus agendis. Vnde in cap. *Qui Epiſcopus*, d. 23. inter alias conditiones hæc ponitur: *Si natura ſit prudens, ſi docibilis, ſi ſemper ſuis negotijs cauens*. Et cap. *Petrus*, diſt. 39. dicitur: *Qui non ſolum de ſalute animarum, verum etiam de extrinſeca ſubiectorũ vtilitate, & cautela ſciat eſſe ſolicitus.* Aduertit autẽ M. Soto vbi ſupra lim. 2. con. 9. *Licet occurrat vir litteris clariſſimus, & prudẽtia conſpicuus, eſt tamen vecors, vel alijs implicatus negotijs, de quo non eſt tanta ſpes, quod prædicabit, vel gubernabit ſecundum ſuas dotes: vel fortè, & ſi ſit optimè moratus, publicis eſt tamen negotijs ineptus: huiuſmodi certè hominibus ille præferendus eſt, qui licet huiuſmodi dotibus non ſit tam potens, ſperatur tamen curam ſolicitius habiturum, diligentiamque habiturum ad ſuum exequendum munus.* Et con. 10. inquit: *Mal-*

lem, vt poſt morũ honeſtatem prudentia viri, roburque animi manſuetudinẽ inſignitum, atque in agibilibus dexteritas perpenderetur, quam ſcientia eminentia, &c.

Quarta conditio eſt potentia: ait namq; D.Thom. hic: *Contingit quandoque, quod ille, qui eſt minus ſanctus, & minus ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune propter potentiam, &c.* Quia ſcilicet ſufficiens eſt ad cogendum potentes clericos, vt ſeruentur, quæ ſunt de vita, & honeſtate clericorum, vel aliquid huiuſmodi. Alias conditiones, vide apud Sylueſtrum, verbo *Electio* 1. quæſt. 14.

Ad argumenta autem facta in principio reſpondetur: Ad 1. negando conſequentiam, quia eſt argumentum ab auctoritate negatiuum, ſicque inefficax. Vel reſpondetur ſecundò, negando antecedens: nam *Irreprehenſibilem eſſe*, cæteris digniorem denotat: dignus enim reſpectu dignioris quodammodo eſt reprehenſibilis: ait namque S. Greg. Nazianz. Apologet. orat. 1. *Vitium eſſe Antiſtitis non quam optimum eſſe*. Ad cõfirmationem dico, Epiſcopatum eſſe quidem onus, honorificum tamen; cum ſit prælatio, quæ ſuperioritatem reſpectu aliorum importat. Et quamuis ſi Epiſcopatui ſolum conueniret eſſe onus, ad illum ſufficeret eligere dignum, quia tamen etiam honor, & dignitas eſt; ad illum digniorem alijs præferre oportet. Nec obſtat rationem oneris primo, & per ſe conuenire Epiſcopatui, & rationem honoris ſecunda-

dario, & per accidens: nam poſtquam hæc coniuncta conſiderantur, vtrumque attenditur a diſtributore. Nec quia bona temporalia annexa paſtoralibus officijs per accidens concurrant, inde rectè colligitur, non peccare mortaliter illum, qui ea malè diſpenſat, poſtponendo digniorem: nam etiam circumſtantiæ per accidens, & ſecundario concurrunt; & tamen ex illis poteſt actus humanus eſſe peccatum mortale.

Ad 2. reſpondetur, ibi ſolum requiri, vt dignus eligatur, non vt electio ſit abſque culpa, ſi dignior prætermittatur, ſed vt nõ repellatur in foro exteriori: ait namque D. Thom. hic ad 3. *Quantum ad hoc, quod electio impugnari non poſſit in foro iudiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam*. Vnde ſicut pro Eccleſiæ vtilitate eligendus eſt dignior: ita pro eius pace electus dignus, etiam poſtpoſito digniore, eſt acceptãdus, & rata eius electio habenda, alias omnia replerentur litibus. Ad confirmationem reſpondetur ex capitibus in ea citatis colligi, excipiẽdos eſſe aliquos caſus præſertim quartum, & quintum numeratos à nobis con.3.

Ad 3. reſpondetur negando vtrãque partem antecedentis. Ad probationem primæ dico, digniorem teneri ad præſtandũ Eccleſiæ iuxta ſuas vires, & omium neceſſitatem; poſſeque eſſe caſum, in quo ad neceſſitatem Eccleſiæ, & animarum ſuffi-

ciat dignior docendo,& confirmando in fide; non verò ſufficiat dignus, proindeque iniuriam fieri Eccleſiæ, ſi eligatur dignus relicto digniore; falſumque eſt, ei non deberi plus quam,vt ei ſufficienter prouideatur, debetur enim vt, ſi poſſibile eſt, prouideatur ſufficientiſſimè. Ad probationem ſecundæ partis, patet ex dictis ad confirmationem primi: tale enim onus cum honore habet rationem præmij,ſicque iniuria fit digniori, ſi ei non conferatur. Ad confirmationem reſpondet M.Soto vbi ſupra poſt 9. con. negando maiorem: *Nam recipienti non incumbit conferendi cura: ob idque non cenſetur iniqua collationis cauſa perinde atque conferens, & maximè ſi ſit dignus. Quinimo in re dubia non tenetur ipſe, ſe ipſum examinare, ſed ille, qui confert.* Vide quæ diximus, ſupra q.62. art.1. dubio vnico, con.5. ad finem.

Dubium ſecundum. An in officiorum ſæcularium collatione locum habeat acceptio perſonarum.

CAietanus in ſumma verbo *Electio*, partem negantem tenet; quamuis enim dicat,electionem ſæcularis officialis, vt prętoris, debere fieri de perſona ad illud officium idonea, ita vt oppoſitum ſcienter,aut negligenter faciens peccet mortaliter propter nocumentum Reipublicæ, quod ex inepto rectore incurrere oportet; ſubdit tamen:

men; *Ad eligendum tamen meliorem ad hoc, quamuis forte teneatur, qui poteſt, non tamen video vinculum peccati mortalis, ſi placet ſibi ſufficere idoneum: quoniam non video hic acceptionem perſonarum: quia nec video habere hic locum iuſtitiam diſtributiuam, cum officium hoc non detur ciui, vt parti communitatis.*

Probatur hæc ſententia primò argumento, quod inſinuat Caietanus: Ad iuſtitiam diſtributiuam pertinet bonum commune inter partes communitatis diſtribuere: ſed officia ſæcularia non ſic diſtribuuntur, nam indifferenter dantur ciuibus, & extraneis; ergo in eis non habet locum iuſtitia diſtributiua, ac per conſequens nec acceptio perſonarum, per quam iuſtitia diſtributiua violatur.

Secundò Rex, & Reſpublica habent dominium iſtorum officiorum; ergo non tenentur illa conferre, aut diſtribuere ſecundum leges iuſtitiæ diſtributiuæ: nemo enim tenetur ſecundum has leges conferre, quod eſt illi proprium, cuius habet dominium; ſicque non poteſt eſſe in collatione talium officiorum acceptio perſonarum, quæ opponitur iuſtitię diſtributiuæ.

Tertiò, qui poſt rem ſuam vendere plus offerenti, non eſt acceptor perſonarum, etiam ſi minus digno eam cõferat: ſed Rex, & Reſpublica poſſunt vendere officia ſæcularia; ergo poſſunt ea conferre minus dignis abſque vlla acceptione perſonarum.

Dicendum tamen eſt: in officiorum ſæcularium collatione locum habere acceptio-

ptionem perſonarum, ſicque peccatum mortale eſſe, ea non conferre dignioribus. Docent hoc M. Soto, lib. 3. de iuſtitia, q.6. ar.4.& M Bañes hic dub.vlt.

Probatur primo: Caietanus enim vbi ſupra ſubdit. *Electiones, quæ in communitatibus ſæcularibus fiunt de ſuis officijs diſtribuendis ſuis ciuibus (ſiue ſit pratura, ſiue quodcunq; aliud notabile) regulariter fieri debent ſecundũ regulas iuſtitiæ diſtributiuæ, &c. Qui autem contra iuſtitiam diſtributiuam votum dat, peccat mortaliter.* Sed eadem eſt ratio quando electio fit ab vno tantum nempè Rege, in hunc enim communitas ſicut tranſtulit dominiũ talium officiorum, ita & ius eligendi officiales, ergo,&c.

Secundò probatur, quamuis hæc officia non dentur ciuibus, vt partibus communitatis, eo quod extraneis dari poſſunt; dantur tamen illis, vt bona communia ipſis, & alijs, de quibus poteſt fieri electio; ergo diſtribui debent ſecundum leges iuſtitiæ diſtributiuæ, ſicque peccatum acceptionis perſonarum erit, non eligere digniorem, ſiue electio fiat per vota multorum, ſiue ab vno tantum nempè Principe. Nec eſt verum, Principem habere commiſſionem ita abſolutam, ſicut œconomus, qui non peccat mortaliter etiam ſi non inducat meliores operarios in vineam domini ſui: habet enim Princeps commiſſionem dependentem à voluntate Reipublicæ, quæ ſemper intendit meliores.

Tertiò probatur, officia ſæcularia ſunt

bona

bona communia, ordinata in bonum Reipublicæ, eius ſcilicet gubernationem, & conſeruationem, in præmium etiam meritorum, cum ſint honorifica, & fructuoſa; ergo diſtribuenda ſunt dignioribus, quibus, ſi non dentur, acceptio perſonarum erit. Confirmatur, quamuis hæc officia non eſſent præmia meritorum, ſed ſtipendia miniſtrorum, vt ſentit M. Soto vbi ſupra, in collatione tamen illorum ſeruanda eſt forma iuſtitiæ diſtributiuę, vt dignioribus maiora conferantur, maiora enim ſtipendia conferenda ſunt eis, qui vtiliores ſunt Reipublicæ, eique maiora poſſunt impendere obſequia, quales ſunt digniores; ergo ſi his non conferantur, licet eis nulla ſit facienda reſtitutio, habet nihilominus locum, & in iſtiuſmodi diſtributionibus perſonarum acceptio, ob non ſeruatam formam iuſtitiæ diſtributiuæ.

Ad 1. autem factum in principio reſpondetur, ad iuſtitiam diſtributiuam ſufficere, vt bona communia dētur eis, quibus communicari poſſunt ſecundum eorum merita, & dignitatem, & non requiri, vt diſtribuantur inter ciues, qui ſunt partes vnius communitatis, vt patet in cathedris multarum Vniuerſitatum, quæ dantur digniori ex oppoſitis, cuiuſcumque ſit nationis. Idem eſt de officijs militaribus.

Ad ſecundum Adrianus in 4. in materia de reſtitutione paulo poſt initium negat Reges habere dominium prædictorum officiorum. Tum quia nunquam Reſpu-

blica tranſtulit tale dominium in Regem? Tum etiam, quia Reguli haberent dominium quoque talium officiorum, quod eſt falſum. Tum denique, quia Sum. Pontifex non habet dominium officiorum Eccleſiæ; ergo nec Reges officiorum Reipublicæ. Oppoſitum docent communiter Doctores pręſertim diſcipuli D. Thom. vt M.Bañes hic dub.6.& M Soto lib.3.De Iuſtitia q 6.ar.4.ad.2.vbi ait, Regem non eſſe merum diſpenſatorem officiornm, ſed dominum, pleniſſimamque poteſtatem habere Reipublicæ, eandem ſcilicet, quam ipſa habet: *Atque adeo quæcunque facultas, & ius Reipublicæ penès ipſum eſt.* Quod, & colligitur ex L. 1. ff. De conſtitutionibus Principum, vbi dicitur: *Quod principi placuit, legis habet vigorem, vtpote cum lege regia, quæ de imperio eius lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum imperium, & poteſtatem contulerit.* Ex quo patet falſum eſſe, quod dicitur in prima ratione Adriani. Ad 2. reſpondet M.Soto non eſſe eandem rationem de Regulis, ſeu magnatibus: *Quia Ducatus, verbi gratia, vel Marchionatus non cenſetur, tanquam per ſe Reſpublica, neque ad illum abſolutè pertinet iura, quæ ſubditi ſolent inſtituere, ſed dependenter à Rege.* De Papa, de quo procedit tertium argumentum Adriani, diuerſa eſt etiam ratio: nam nec in Eccleſia eſt dominium officiorum, & bonorum ſpiritualium Eccleſiæ, ſed immediatè in Chriſto, à quo deriuatur poteſtas diſpenſandi illa in Sum. Pontifice; in

Re-

Republica vero eſt dominium bonorum temporalium, & officiorum ſæcularium, & ab ea eſt deriuatum per ipſius electionem, & conſenſum in Reges. Hoc ſuppoſito, ad 2. argumentum principale conceſſo antecedente neganda eſt conſequentia: nam Rex, & Reſpublica, licet habeant dominium iſtorum officiorum; non tamen abſolutum, & dominatiuum, ſed gubernatiuum, vt multi volunt. Vnde debent illa diſtribuere in vtilitatem ſubditorum; & ſicut propter hoc non poſſunt ea conferre indignis, ita nec minus dignis. Vel ſi habent dominium abſolutum, vt M. Soto indicat; non tamen in deſtructionem boni communis, cum hoc ſit intrinſecè malũ, ſed ad boni publici conſeruationem, & promotionem, cui repugnat conferre indignis, & minus dignis officia.

Ad 3. Adrianus, vbi ſupra negat minorem: illicitam enim eſſe putat venditionem officiorum ſæcularium. Sed D. Tho. Opuſc. 21. ad Duciſſam Brabantiæ, licitam eſſe docet; interrogatus enim de hoc à prædicta Duciſſa, ei reſpondit: *Non video, quare huiuſmodi officia non liceat vobis vendere*. Subdit tamen: *Sed tamen talis venditio expediens non videtur*. Caietanus in Sum. verbo *Officiorum ſæcularium venalitas*. Et M. Soto vbi ſupra dicunt, vendere hæc officia ſpeculatiuè eſſe licitum; non tamen practicè. Quod non ita intelligendum eſt, vt non poſſint hæc officia in opere, & in exercitio aliquando licitè vendi, ſed quia

quamuis iſta officia ex natura ſua venalia ſint, & appoſitis conditionibus honeſtantibus, venditio de facto ſit licita: tamen, vt in plurimum, & moraliter loquẽdo iniquè venduntur, quia non ſeruantur huiuſmodi conditiones. Sunt enim hæ; vt vendantur, quantum fieri poſſit digniori, & moderato pretio, & quod venditio cenſeatur vtilis bono publico. Sæpe autem hæc officia venduntur indignis, aut ſummo pretio, aut eis, qui non adminiſtrant ea, vt debent, ſed multa iniuſtè extorquent, vt pretium immodicum, quod ſoluerunt, recuperent. Vnde nihil aliud quã D.Thom. aſſerunt iſti, & alij eius diſcipuli. Nos hoc ſuppoſito argumento reſpondemus, diſtinguendo maiorem: ſi res ita ſit ſua, vt non ſi communis, & approprianda in vtilitatem Reipublicæ, & ciuium, concedo maiorem: Si tamen res ita ſit ſua, vt etiam ſit communis, & approprianda in vtilitatem Reipublicæ, & ciuium, nego maiorem. Et huiuſmodi ſunt officia ſæcularia. Vnde licet, quia temporalia, ſint venalia; quia tamen approprianda, & communia ſunt, diſtributioni iuſtitię ſubiacent; ſicque ſecundum leges iuſtitię diſtributiuæ ſunt dignioribus conferenda, & quando venduntur, quantum fieri poteſt, debent dignioribus vendi. Propter quod D.Th. vbi ſupra licitum eſſe dicit Ducisſæ Brabãtiæ huiuſmodi officia vendere, *Dummodo talibus vendatis, de quibus poſſit præſumi, quod ſint vtiles ad talia officia excercenda*,

Mo-

Modo, vt ait Azor tom.3.lib.8.cap.7. q. 3. Principes contendunt, tales venditiones Reipublicæ vtiles eſſe: quia emptores metu pœnę, ne officium amittant ſimul, & pretium, quod dederunt, coguntur ſuo munere recte fungi: vnde non dubitant talia officia vendere. Et reuera ſi vendantur moderato prætio ijs, qui apti, & idonei ſunt,& de quibus eſt probabilis ſpes,eos bene officio functuros, eorum venditio damnanda non eſt, cum licitam eſſe aſſerat D.Thom.de alijs, qui habent licentiam à Rege,officia hæc in aliam perſonam trãſferendi, probabile eſt, poſſe illa vendere: quia ſiue illa gratis transferant, ſiue venditione, Reipublicæ non nocent, dummodo curent, ne in ea detrimentum aliquod ſequatur, de quo vide M. Ledeſma parte 2. Sum.tractatu 7. capite ſecundo concluſ. 16. difficultate 4. & Dianam ſecunda parte tractatu quinto miſcellaneo reſol. 108. & 109.

Vtrum in exhibitione honoris, & reuerentiæ locum habeat peccatum acceptionis perſonarum.

Concluſio eſt affirmans.

DIfficultate non caret, an in exhibitione gratuita honoris, poſſit eſſe, perſonarum acceptio, vt cum quis honorat aliquem illi aſſurgendo, aut detegendo caput propter diuitias, quamuis non mereatur. Caietanus hic dicit: *Quod cum acceptio perſonarum in tantum ſit peccatum, in quantum contrariatur iuſtitiæ, & iuſtitia ſolum verſetur circa debita, conſequens eſt, vt in gratuitis locum non habeat.* Neque obſtat, reſalutare diuitem, non vero pauperem, eſſe acceptionem perſonarum. Reſpondetur enim hoc ideo eſſe, quia reſalutare ſalutantem debitum eſt. Si tamen honor ſit merè gratuitus, impoſſibile eſt in eius exhibitione inueniri accaptionem perſonarum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in iudicijs locum habeat peccatum acceptionis perſonarum.

Concluſio eſt affirmans.

SI quæras, an in illis, quæ lex arbitrio iudicis relinquit, poſſit eſſe acceptio perſonarum? Reſpondetur: ſi hæc concedantur in fauorem cauſæ, & ipſorum litigantium, qualis eſt iuris, & terminorum prorogatio, & reſtrictio, poſſe contingere, vt iudices acceptẽt perſonas: quia lex non ita relinquit arbitrio iudicis, vt pro libito id faciat, ſed ex rationabili cauſa, quæ cum multiplex eſſe poſſit, non potuit taxaria lege, ſed prudentiæ iudicis relinquitur. Vnde ſi hoc faciat intuitu perſonæ ſolum, & abſque rationabili cauſa, peccat acceptione perſonarum. Si verò concedantur in fauorem ſolius iudicis, non poteſt eſſe acceptio perſonarum, quia cum ſint omnino voluntaria, poteſt iudex ſua cedere fauori in gratiam amici, nempè ſententiam ferendo in die, quo iudicare non tenetur, niſi velit. Immò propter hæc poſſe munera accipere, ſecluſo tamen ſcandalo, & periculo iniuſtitiæ, multi aſſerunt.

Si

Si quando ſunt duę opiniones probabiles, integrum eſt iudici, ſequi quam maluerit, & ſententiam proferre ſequendo opinionem probabilem omiſſa probabiliori, vt multi dicunt, & videbimus infra q.71.art 3. Si hoc in fauorem amici faciat, non erit acceptor perſonarum. Vt hoc etiam faciat ſunt, qui dicant, poſſe munera, aut pretium accipere, niſi iure poſitiuo id ſit prohibitum: quia tunc non accipitur pretium pro iuſtitia ſententiæ, ſed vt hæc opinio præferatur alteri, ad quod iudex nullo modo tenebatur. Vide Dianam 1.p.tract.13.reſ.3.

QVÆSTIO LXIV.

De Homicidio.

ARTICVLVS I.

Vtrum occidere quæcumque viuentia ſit illicitum.

Concluſio eſt negans.

Oppoſitum tenuerunt Manichæi, vt refert D. Auguſtinus lib. 1. de Ciuitate Dei, cap.20. & lib. de hæreſibus, cap 46. & lib.6, contra Fauſtum cap.4. D.Tho. etiam

in

in 1. diſt.39. q.2. art.2. refert, quoſdam hæreticos ſui temporis ſenſiſſe: *Quod peccatum eſt occidere brutum ſicut, & hominem*. Contra quos omnes eſt concluſio articuli, quã ſecundum fidem certam eſſe oſtendunt loca hic adducta à D.Thom.

Si quæras, an crudeliter necare bruta animalia ſit peccatum? Reſpondetur, poſſe eſſe, peccatum ſaltem veniale: eſt enim quidam abuſus poteſtatis, & dominij, quod homini conceſſum eſt in beſtias. Aſſueſcit etiam homo iſta crudelitate, vt in homines quoque facilius ſit. Vnde in illud Prouerb.12.v.10. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorũ animas: viſcera autem impiorum crudelia*, ait Lyra: *Iudæi erant crudeles, & ideo lex nõ tantum induxit eos ad pietatem circa homines, ſed etiam circa bruta animalia.*

ARTICVLVS II.

Vtrum ſit licitum occidere peccatores.

Concluſio eſt affirmans.

QVæ intelligenda eſt, non priuata, ſed publica auctoritate, eſtque certa ſecundum fidem, vt conuincit locus adductus à D. Thom. in argum. *Sed contra* ex Exod. 22. v. 18. *Maleficos non patieris viuere*, &c.

Sco-

Scotus tamen in 4. d. 15. q. 3. §. *Sed quis*, dicit: *Lex diuina abſolutè prohibuit, non permittas hominem occidi, & nulli licet inferiori in lege ſuperioris diſpenſare; ergo nulla lex poſitiua, conſtituens hominem occidendum, iuſta eſt ſi in illis caſibus ſtatuat, quos Deus non excipit. Excipit autem multos, vt patet in Exodo, ſcilicet blaſphemum, homicidam, adulterum, & multos alios, &c. Conſtat, quod Deus in lege Moyſi, vel Euangelica non excipit peccatum furti ab illo præcepto non occides, vt ſcilicet propter hoc peccatum liceat occidere: & ideo niſi reuocauerit aliqua reuocatione ſpeciali, quæ non habetur ex ſcriptura, nec de Bulla ſuper hoc deſcendente de cœlo audiuimus, non video, quod lex aliqua iuſta poſſit ſtatuere hominem occidi pro furto ſolo.*

Hanc ſententiam multis argumentis falſitatis conuincunt Caietanus hic, & M. Soto lib. 5. de Iuſtitia q. 1. ar. 2. Illam etiam recentiores damnant, vt minus ſanæ fidei conſentaneam, & vt temerariam, & erroneam in fide. Probatur, quia ſecundum fidem poteſtas publica, etiam ſi ſit Reſpublica Gentilium, habet facultatem occidendi malefactores, qui Rempublicam turbant, illique noxii ſunt, vt colligitur ex illo ad Rom. 13. v. 4. *Vis non timere poteſtatem? Bonum fac. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat, &c.* Sed non ſolum excepti in S. Scriptura, ſed etiam alij malefactores ſunt noxii Reipublicæ, illamque perturbant, præſertim fures, tam qui rem communem, quam qu

res

res particularium in magna quantitate ſurantur, ergo iure occiduntur, iuſtiſſimæque ſunt leges ſtatuentes pœnam capitis contra illos apud omnes fere gentes. Confirmatur primo ex illis verbis latronis boni Luc. 23. verſ. 41. *Et nos quidem rectè: nam digna factis recipimus.* Quamuis enim S.Chriſoſt. Hom. 2. in Pſ. 50. dicat de illo: *Omnem vitam ſuam cruentam habuit homicidijs, dire ptionibus.* Non ſolum homicidia, ſed etiam direptiones, & latrocinia factorum nomine comprehendit latro, immo præcipuè latrocinia, cum ibi nullum aliud peccatum exprimatur, niſi quod latronum nomen indicat. Confirmatur 2. nam Ioſue 7. Achan propter furtum (hoc enim fuiſſe eius peccatum conſtat ex v. 11.) lapidatus eſt: ait autem Auctor imperfecti Hom. 41. in Matth. *Vt quid ſcriptum eſt Achan propter furtum laminæ aureæ lapidatus, niſi vt habeant fures, quod timeant.* Iuſte ergo mortis pœna plectuntur.

Vtrùm occidere hominem peccatorem liceat priuatæ perſonæ.

Concluſio eſt negans.

SI quæras, an homini priuato liceat tyrannum occidere? Reſpondetur cum Caietano hic, & M. Soto lib. 5. de iuſtitia, q. 1, ar. 3 duplicem eſſe tyrannum. *Quidam eſt tyrannus in modo tantum regendi, vt pluries contingit, quod veri domini tyrannice regunt. Quidam autem tyrannus eſt in ipſo iure dominij: quia ſcilicet vſurpauit ſibi dominium vi armorum, vel alias iniquè.* Si de primo fit ſermo, certum eſt, non licere cuilibet de populo illum occidere. *Propter huiuſmodi enim tyrannos reprobata fuit in Conci. Conſtan. ſeſſ. 15. propoſitio dicens: Quilibet tyrannus poteſt à quolibet ſuo ſubdito occidi.* De quo vide etiam D. Thom. libro primo de regimine principum ca. 6. vbi ait: *Quibuſdam viſum fuit, vt ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, &c. Sed hoc Apoſtolicæ doctrinæ non congruit. Docet enim nos Petrus, non bonis tantum, & modeſtis verum etiam diſcolis dominis reuerenter ſubditos eſſe, &c.*

Si de ſecundo loquamur, cõmunis ſententia eſt, poſſe à quouis de Regno interfici;

ci; quam docet D.Thom.in 2.d. 44. qu. 2. ar.2.ad 5. vbi cum ſibi obieciſſet, Tullium lib. De officijs laudare eos, qui Iulium Cæſarem interfecerunt, quamuis amicum, & familiarem, reſpondet: *Quod Tullius loquitur in caſu illo, quando aliquis dominium ſibi per violentiam ſubripit nolentibus ſubditis, vel etiam ad conſenſum coactis, & quando non eſt recurſus ad ſuperiorem, per quem iudicium de inuaſore poſſit fieri: tunc enim, qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit laudatur, & præmium accipit.* Aduertit autem, & probat Caietanus hic, quando ſic occiditur tyrannus, nō occidi à perſona priuata propria, ſed publica auctoritate, nempe auctoritate iuſti belli, quæ eſt auctoritas publica: eſt enim talis tyrannus hoſtis populi, habens continuum bellum iniuſtum cum populo.

Si quæras 2. an liceat viro occidere vxorem in actu adulterij deprehenſam? Reſpondetur cum D. Thom. in 4. d. 37. qu. 2. ar. 1. *Lex ciuilis, quaſi licitum computat, quod in ipſo actu eam interficiat, non quaſi præcipiens, ſed quaſi pœnam homicidij non inferens propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occiſionem vxoris; Sed Eccleſia in hoc non eſt aſtricta legibus humanis, vt iudicet eum ſine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ Eccleſiaſticè iudicio infligendæ, ex hoc, quod eſt, ſine reatu pœnæ infligendæ per iudicium ſeculare: & ideo in nullo caſu licet viro interficere vxorem propria auctoritate.* Idem dicendum eſt de adultero. Patri etiam, quāuis impune

ne, lege ciuili liceat adulterum filiæ, & ipsā filiam in adulterio deprehenſam occi. dere: non tamen in conſcientia, & foro animæ. Vide S. Aug. lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 15.

ARTICVLVS IV.

Vtrum occidere malefactores liceat clericis.

Concluſio eſt negans.

PRobat D. Tho in argumento *Sed contra* ex illo 1. ad Timoth. 3. v. 2. & ſeq. & ad Titum 1. v. 7. *Oportet Epiſcopum, ſine crimine eſſe, non vinolentum, non percuſſorem.* Aduertit autem M. Soto lib. 5. De iuſtitia, q. 1. ar. 4. malefactores occidere etiam publica auctoritate interdictum eſſe clericis, non quidem iure naturali, aut diuino, ſed ſolum iure mere poſitiuo Eccleſiaſtico, ſubdit vero; *Neque S. Tho. verbum adduxit apoſtolicum, ac ſi eſſet habendam pro lege, ne clerici in cauſa ſanguinis iudices ſederent, ſed ſolum per viam conſequentiæ, & exempli: nempe, quod poſtquam admonentur, ne ſint percuſſores, merito Eccleſia cauit, vt ab omni percuſſione abſtinerent.* Addit præterea idem M. Soto: *Nomine clericorum in eiuſmodi prohibitione omnes promiſcuè comprehenduntur, tam minoribus ordinibus, quam ſacris initiati. Tametſi*

metſi quantum ad culpæ gradum non ſit eadem omnino ratio. Nam qui in minoribus conſtitutus iudicatum ſæcularem vſque ad ſanguinis effuſionem exerceret, non peccaret mortaliter, quia ordines illi non ſunt propriè ſacri: qua tamen lethali culpa inficeretur, qui eſſet in ſacris, ſiue tanquam iudex, ſiue tanquam iuſtitiæ miniſter ſe cruentaret. At vero etiam in minoribus ordinibus nonnullum eſſet peccatum, nam omnibus interdicta eſt ſanguinis effuſio.

De clericis prima tonſura initiatis aliqui oppoſitum cenſent. Alijs veroſimilius videtur ad illos etiam prohibitionem extendi: nam quamuis prima tonſura ſecundum probabilem opinionem non ſit ordo; conſtituit tamen hominem in ſtatu clericali, & facit capacem ad beneficia Eccleſiaſtica, & ille gaudet priuilegio clericali contento in cap. *Si quis ſuadente diabolo.* De ſent. excom. ſicque debet vitare ea, quæ non decent ſtatum clericalem. Et quamuis non peccaret mortaliter, vltro ſuſcipiendo officium iudicis in cauſa ſanguinis, aut teſtis, aut tabellionis, &c. priuaretur tamen priuilegiis Eccleſiaſticis, & maneret irregularis ad procedendum in clericatu.

Circa ſolutionem tertii aduerte: quamuis prohibitum ſit clericis proferre ſententiam in cauſa ſanguinis, non tamen prohiberi eis deſignare iudices delegatos ad huiuſmodi cauſas iudicandas. Quidam tamen dicunt, quando prælati Eccleſiarum,

habentes temporalem iuriſdictionem, deſignant iudicem ad cauſas ſanguinis, non conferre illi auctoritatem, ſed hanc habere iudicem huiuſmodi à Republica, vel Principe, qui iuriſdictionem temporalem contulit Prælato Eccleſiaſtico. Sed Diu. Thom. hic ad 3. docet, Prælatorum auctoritate exerceri per alios ab ipſis deſignatos iudicium ſanguinis. Quæ auctoritas non dedecet eos: quia per huiuſmodi commiſſionem in vniuerſali (quam ex iuris conceſſione abſque diſpenſatione conferre poſſunt Prçlati auctoritatem ſæcularem habentes) non amittitur manſuetudo Eccleſiaſtica, ſed ſolum per exercitium talis auctoritatis per ſe ipſos. Vnde non eſt indecens Eccleſiaſticis occidere malefactores auctoritatiue, ſicuti eſt indecens occidere miniſterialiter, aut per ſe ipſos exercere auctoritatem, quam habent ad mortem damnandi malefactores. Quapropter, vt poſſint tanquam proreges, aut præſides ſenatus regii cauſas ſanguinis immediatè, directè, & per ſe iudicare, ſine peccato, & irregularitate, priuilegio, & diſpenſatione Papę indigent.

ARTICVLVS V.

Vtrum liceat alicui occidere ſe ipſum.

Concluſio eſt negans.

Circumcelliones hęretici, vt refert S. Aug. lib de hæreſibus: *Per mortes varias maximè præcipitiorum, & aquarum, & ignium ſe ipſos necare conſueuerunt*. De eiſdem 24.q.3.cap. *Quidam* dicitur: *Hi amore martyrij ſe ipſos perimunt, vt violenter de hac vita diſcedentes martyres nominentur*. Horum errorem tenuit Petilianus Donatiſta, quem S. Aug.lib.2.contra litteras Petiliani ca.49 & lib. 1.de Ciuit. Dei à cap. 17. vſque ad 28. multis impugnat. Verba eius referuntur 23, q. 5. cap. *Tu dixiſti*, & cap. *Si non licet*, capite autem *Placuit*, hęc ex Concil.Bracharenſi 1.capite 34. referũtur: *Placuit, vt qui ſibi ipſis voluntariè, aut per ferrum, aut per venenum; aut per præcipitium, aut per ſuſpendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorſus pro illis oblatione commemoratio fiat: neque cum pſalmis ad ſepulchrum eorum cadauera deducantur*,

An vero ſaltem, quando periclitatur caſtitas liceat homini pro ea ſeruanda ſibi vitam adimere, videntur aſſerere S. Hieron.in caput primum Ionæ,cuius hæc ver-

ba 23.quæſt.quinta cap. *Non eſt*, referuntur; *In perſequutionibus non licet peopria perire manu, abſque eo, vbi caſtitas periclitatur.* S. Ambroſius, qui libro tertio de virginibus,& Epiſt. 7.commendat Pelagiam, quæ ſe ipſa, ne caſtitas periclitaretur, interemit. Et Euſebius libro octauo hiſtoriæ capite 12. vbi narrat duas cum matre virgines fluuio,& duas alias mari ſeſe, ne caſtitatem perderent, perdidiſſe. Sed aliter, quam ex diuina inſpiratione nemini eſſe licitum ſe ipſum occidere ob quamcumque cauſam, oſtendit optime D. Aug. libro primo de Ciuitate Dei cap. 26. vbi poſtquam de ſanctis fœminis, quæ vt inſectatores ſuę pudicitiæ deuitarent, in rapturum, atque necaturum ſe flumen proiecerunt, dixit, hoc eas feciſſe diuinitus iuſſas, ſicut de Sampſone cap. 21. dixerat, ſubdit: *Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere grauiſſimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter peccata, præterita propter quę magis hac vita opus eſt, vt poſſint pœnitentia ſanari. Neminem velut deſiderio vitę melioris, quæ poſt mortem ſperatur: quia reos ſui mortis, melior poſt mortem vita non ſuſcipit.* Idem docet D. Thom. hic ad 3. cuius ratione in corp. ar. optimæ ſunt. Patres verò citati exponi poſſunt, ſolum ſenſiſſe, ob caſtitatem ſeruandam licitum eſſe ſe ipſum occi-

de-

dere diuina inſpiratione. quamuis enim huius non meminerint expreſsè; illam tamen inſinuat S. Amb dum Pelagiam Deo plenam commemorat. S Hier etiam illa ſuppoſita loquutum fuiſſe credendum eſt. Illum preterea exponit Gloſſa in ſupradictum ca. *Non eſt*. Dictionem illam *Abſque* accipiendam eſſe incluſiuè. *Quaſi dicat: nec in iſtis, in quibus magis videtur, licet alicui ſe occidere, ſic ponitur ibi: Pulchræ ſunt genæ tuæ, abſque eo, quod intrinſecus latet*.

Quamuis autem abſque diuina inſpiratione nulli liceat ſe ipſum directè interficere; licitum tamen eſt, ſi iuſta ſubſit cauſa, aliquid facere, vel omittere, vnde certo ſcitur interitus ſequuturus indirectè. Huius exempla multa ſolent afferri. Primum, condemnatus ad mortem per famem, poteſt abſtinere à cibo clanculum oblato, vt docet M Soto lib. 5. de Iuſtitia q. 6. ar. 4. De hoc tamen nos agemus infra q. 69 artic. 4. dub 3. vbi con. 2. probabilius eſſe oppoſitū dicemus. Ibidem etiam dub. 2. agemus, an damnato ad mortem liceat non fugere carcere cum poſſit.

Secundum, ſi duo in extrema neceſſitate ſint conſtituti, poteſt alter alteri cedere panem, quem habet, & ſinere ſe mori: & in naufragio poteſt quis alteri permittere tabulā etiam à ſe occupatam, & committere ſe vndis, etſi non ſit ſpes euadendi, vt docet M. Victora Relect. de homicidio, numero 26. habet enim iuſtam cauſam, nem-

pe officium charitatis in proximum. Ob quam etiam alii dicunt, ad conſeruandam vitam non ſolum Principis, ſed etiam amici poſſe ſe obiicere telo, immo, & ſe offerre occidendo pro amico injuſtè condemnato ad mortem, de quo vide Leſſium lib 2.c.9. dub.6 n 30.& 31.

Tertium, Miles poteſt, & tenetur non deſerere ſtationem in periculo communi, etſi certus ſit ſe occidendum. Poteſt etiam quis ſeruire infectis peſte, etſi putet ſe inficiendum, iuſta namque ſubeſt cauſa. Vn. de Caiet. Tom.3 Opuſc. tract. 9. de vinculo obedientiæ ad 2. rationem ait: *Miles pro actu virtutis ſcilicet iuſtæ defenſionis, aut iuſtæ vltionis, exponit vitam ſuam periculo, & ſeruiens infectis pro actu virtutis, ſcilicet religioſi obſequij exponit ſe periculo mortis.*

Quartum; Poteſt, quoque miles iniicere ignem in puluerem tormentariū ad euertendam turrem hoſtilem, & ſi certum ſit momento ſe diſſipandum. Sic enim Eleazarus interfecit elephantem, à quo videbat ſe opprimendum 2. Machab. 6. Sic etiam Sampſon, vt interficeret hoſtes populi, euertit domum, cuius ruina eſt, & ipſe obrutus, Iudicum 16. Vbi Caietanus ait: *Non eligitur in huiuſmodi caſibus mors propria in ſe ipſa, ſed per ſe eligitur mors hoſtium, & concomitans propria mors toleranda admittitur propter bonum vltionis.* Hoc modo inquit P. Leſſius libro ſecundo capite nono dubit 6. num. 34. excuſari poſſe milites nauales, qui cum vident nauem in po-

te-

teſtatem hoſtium venturam, ignem pulueri iniiciunt, & ſe mari committunt, ne ipſi, & nauis veniant in hoſtium poteſtatem: non enim intendunt ſui interitum, ſed ne hoſtis naui cum publico damno potiatur, & vt ſe ipſi (ſi qua ratione poſſint) à morte certiſſima ab hoſte inferenda eripiant. Alia exempla afferri ſolent, ſed hæc nobis ſufficiant.

ARTICVLVS VI.

Vtrum liceat in aliquo caſu interficere innocentem.

Concluſio eſt negans.

Magiſter Soto lib. 5. de iuſtitia q. 1. a. 7. & alii recentiores hic intelligendam eſſe dicunt, de eo, qui non ſolum reuera eſt innocens, ſed etiam legitimè, quia non probatur nocens publica auctoritate. D. Thom. tamen hic ad 3. nec in hoc caſu, quando ſcilicet innocens probatur nocens, videtur admittere licitè occidi innocentem: nam de iudice, qui non peccat ſecundum allegata, & probata ferendo ſententiam, inquit: *Ipſe non occidit innocentem, ſed illi, qui eum aſſerunt nocentem.* Vnde intelligenda videtur concluſio de innocente formaliter, qua ratione iudex prædictus non occidit innocentem, ſed nocentem;

& idem eſſet, ſi illi, qui aſſerunt aliquem eſſe nocentem inuincibiliter ignorare eſſe innocentem. Sed diſſenſio, ſolum eſt de modo loquendi.

Intelligenda eſt etiam concluſio de interfectione innocentis directè, & per ſe intenta: per accidens enim innocentem licitum eſſe occidere, patet, quando in bello iuſto ad expugnationem alicuius ciuitatis neceſſarium eſt turrim euertere, in qua obſeſſi pueros, & alios innocentes incluſerunt. Per ſe tamen, & directè non eſſe vnquam licitum innocentem occidere, patet ex illo Exodi 23. ṽ. 7. hic in arg. *Sed contra* adducto à S. Thom. *Innocentem, & iuſtum non occides: quia auerſor impium.* Vbi aperte inſinuatur occidere innocentem eſſe impietatem, & intrinſecè malum. Vnde nec pro bono publico, ne tota gens pereat, cum tyrannus minatur vrbis excidium, niſi innocentem occidant, licitum eſt illum interficere. Sicut nec ipſi innocenti pro conſeruatione ciuitatis licitum eſſet ſe ipſum occidere, etiamſi tyrannus hoc peteret, ne deſtrueret ciuitatem.

Nec obſtat quod viri Samariæ metu belli, quod eis Iehu minabatur, niſi tollerent capita filiorum Acab, & venirent ad eum, fecerunt 4. Reg. 10. v. 7. *Tulerunt filios regis, & occiderunt ſeptuaginta viros, & poſuerunt capita eorum in cophinis, & miſerunt ad eum.* Reſpondetur namque Samaritanos peccaſſe, ſi mundano timore ipſius Iehu illud fece-

ce-

cerunt. Vel ſi non peccauerunt, interceſſiſſe Dei mandatum, vt innuitur verſic. 10. quem explicans Lyra ait: *Quaſi dicat, nec ego præcipiendo, nec vos exequendo ſumus culpabiles, ſed magis iuſti, & laudabiles: quia de voluntate, & mandato Domini factum eſt.*

Dubium. An ſaltem liceat tradere innocentem occidendum Tyranno vrbis excidium minanti, niſi illum ſibi tradant.

DVæ ſunt de hac re Doctorum ſententiæ. Prima eſt, id nullatenus licere, quam tenent M. Soto lib 5. de iuſtitia, q. 1. ar. 7. & alii. Probant 1. In Republica bene conſtituta tale quid ſubinde petitum legimus, factum tamen non legimus. Nicanoris iſtæ ſunt minæ. 2. Machab. 14. v. 33. *Niſi Iudam mihi vinctum tradideritis, iſtud Dei fanum in planitiem deducam, &c.* Attamen eiuſmodi proditione populus ſibi non conſuluit, aut templo. Athenienſes etiam ſolius Demoſtenis traditione ciuitatem obſidione aliquando liberare potuerunt, ſed tyranni voluntatem non fecerunt, Demoſtene referente in ſenatu fabulam illam luporum, qui ab ouibus canes depoſcebãt. Quin, & Pilati facinus ex oppoſita ſententia patrocinium inueniret: immo, & Iudæorum, qui metu Romanorum Chriſtum Pilato tradiderunt aſſentientes concilio

Caiphæ dicentis Ioann. 11. v. 50. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.*

Secundo, tradere innocentem tyranno, qui certo eum ſit occiſurus, eſt actio, moraliter ſaltem, deſtinata ad necem innocentis, ſicut tradere beſtijs deuoraturis; ergo non poteſt licite fieri, niſi forte volente ipſo innocente pro proximo mori: ipſe enim poteſt iuri ſuæ innocentiæ renuntiare propter bonum charitatis, & aliquãdo debet, verum ad hoc cogi non poteſt, ſicut poteſt cogi ad panem cedendum Principi; quia in res externas Reſpublica hoc iuris habet, vt neceſſitati communi ſeruire debeant, ſed immediatè in vitam innocentis huiuſmodi ius non habet.

Tertiò, Innocens habet ius ſe defendendi contra tyrannum; ergo, & contra quoſcunque etiam aliàs innocentes, qui ad hoc cooperantur, vt ipſum ſuperet tyrannus, & occidat; ergo etiam contra Rempublicam ſe tradentem ius habet defenſionis, quamuis ex charitate teneatur eo non vti. Igitur Reſpublica non habet ius, ipſum tradendi: quia nemo vtens iure ſuo facit alteri iniuriam, & non datur bellum vtrinque iuſtum.

Quartò, ſi Princeps inuadat innocentem, etiamſi inuaſus forte teneatur potius mori, quam occidere Principem; non tamen licet alicui tertio, cui nota ſit eius innocentia, iuuare in eius oppreſſione Principem tradendo ei innocentem occidendum,

dum, niſi forte cum fugere poſſit, videat velle Principem occidere; ergo nec licebit Reipublicæ tradere innocentem tyranno.

Secunda ſententia affirmat, id licitum eſſe, quam tenet M. Bañes hic dubio vnico, M. Ledeſma 2. p. tract. 8. cap. 18. con. 7. difficult. 1. & alii. Probant 1. Tradere innocentem tyranno, qui certiſſimè eum occidet, non eſt innocentem occidere; alias enim, ne quidem ipſi innocenti liceret ſe tradere, cum tamen auctores aduerſę opinionis, non ſolum dicant hoc ipſi licere, ſed etiam ad hoc teneri: at ſolum occidere innocentem eſt prohibitum, & per ſe malum; ergo licitum erit Reipublicæ illum tyranno tradere pro communi, & publico bono.

Secundò poteſt Magiſtratus cogere ciuē ſuum, vt ſeruet legem charitatis, præcipuè quando intereſt euidenter Reipublicæ: videmus enim diuites iuſtè cogi, vt vendant ſibi ſuperflua frumenta pauperibus, vt dent eleemosynam in charitate annonæ, & vt vitent ſumptus in conuiuia, aut immodicas impenſas funerum; ergo cum ciuis innocens teneatur ſe offerre tyranno, poterit, vt id præſtet, compelli: immo ſi nolit acquieſcere, iam eo ipſo fiet nocens, & poterit, non ſolum tradi, ſed etiam occidi à Republica.

Tertiò, ſi tyrannus, alioqui occiſurus, velit, vt te mutiles, licet tibi te ipſum mu-

tilare; ergo, & Reipublicæ licebit ſe priuare hoc membro in ſimili neceſſitate.

Quarto, ſi Principe in extrema neceſſitate conſtituto, non ſuppeteret, niſi vnus panis hominis priuati, poſſet ille cogi ad cedendum eum Principi, & etiam vi ſpoliari, etiam ſi eſſet moriturus ſame; ergo etiam poteſt cogi, vt accedat tyrannum, quando id neceſſarium eſt ad ſalutem Reipub.

Dicendum tamen eſt: Quamuis hæc ſecunda ſententia ſit probabilis ob auctoritatem auctorum, qui illam tenent, & argumenta facta pro illa: primam tamen veriorem, & Diuo Thomę conformiorem eſſe. Probatur 1. argumentis pro ea factis.

Secundò, ſicut occidere hominem, teſte Diuo Thoma hic, non licet niſi per comparationem ad bonum commune, ita, & tradere hominem ad mortem: ſed ſicut occidere innocentem non licet per comparationem ad bonum commune, ita nec illum tradere ad mortem: ergo nullo modo licet innocentem tradere tyranno volenti eum occidere. Minor probatur, ideo nullo modo licet occidere innocentem, quia vt hic ait D. Thom. *Vita iuſtorum eſt conſeruatiua, & promotiua boni coommunis*. Ergo ob eandem rationem non erit licitũ innocentem, ac iuſtum tradere ad mortem: non enim minus bonum commune deſtruitur occidendo, quam tradendo

ad

ad mortem illos, quorum vita eſt conſeruatiua,& promotiua boni communis. Cóſirmatur, vita iuſtorum, ac innocentum ſolum poteſt eſſe impedimentum ſalutis publicę, ad hancque illorum occiſio, & traditio ad mortem conduceret propter malitiam tyranni; ergo ſicut, quamuis hoc modo conducat occiſio, non eſt licita, ita nec traditio ad mortem.

Tertiò, Reſpublica, cum non habet dominium vitæ, & mortis, ſicut habet Deus, non habet poteſtatem occidendi hominem in ſua dignitate manentem, prout ſcilicet homo eſt naturaliter liber, & propter ſe ipſum exiſtens, qualis eſt innocens; ſed eum, qui vt docet D. Thom. ſupra artic. 2. ad 3. *Peccando decidit à dignitate humana, & incidit quodammodo in ſeruitutem beſtiarum*: Ergo neque tradendi illum ad mortem etiam propter bonum commune, alias non maneret in ſua dignitate, nec liber, ſed ſeruus ſub dominio Reipublicæ, vt de ipſo ordinaret, vt eſt vtile alij, tradendo illum ad mortem ob bonum commune aliorum.

Poſſet ergo in caſu poſito Reſpublica innocentem quidem non defendere: nam non teneretur cum ſui periculo defendere priuatum ciuem, proindeque poſſet illum è ciuitate expellere: tradere tamen tyranno, qui ad mortem illum quærit, non poſſet.

Ad primum verò ſecundæ ſententiæ reſpondetur, tradere innocentem tyranno

eſſe cooperari ad occiſionem, quando non eſt rationabilis cauſa id faciendi; vt patet, ſi ſatellites tyranni caperent innocentem, illumque tyranno traderent. Eſt autem rationabilis cauſa, vt ipſe innocens ſeſe offerat, nimirum, vt ponat animam pro fratribus; uon eſt verò cauſa rationabilis, ob quam Reſpublica inuitum tradat: quia nullam habet Reſpublica cauſam rationabilem occidendi, aut tradendi ad mortem hominem, niſi quia decidit à dignitate humana, & incidit quodammodo in ſeruitutem beſtiarum per peccatum, vt dictum eſt.

Ad ſecundum reſpondetur negando cõſequentiam. Differentia eſt, quia vita innocentis non ſubeſt diſpoſitioni Reipublicæ, ſicut aliæ res externæ ſubſunt, vt neceſſitati communi deſeruiant. In caſibus etiam antecedentis non ſolum tenetur homo ad illa ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia legali propter bonum commnneReipublicæ; non vero in caſu conſequentis. Vnde rectè ait, Mag. Soto vbi ſupra: *Quod quamuis ipſe teneatur tunc proprio ſe offerre periculo, vt publicum caueat: non tamen ad id iure cogi poteſt: quoniam tenetur non de iuſtitia, ſed de charitate. Sicut ſtat me in graui neceſſitate ad eleemoſynam teneri, ad quam cogi non poſſum*, Aut quia non habeo ſuperiorem, aut quia indigens non ſpectat ad Rempublicam, cui ego ſubiectus ſum; hæc enim ſolum poteſt me cogere, vt ſubueniam ſuis ciuibus propter bonum commune illius:

lius, non alienis, quorum ſubuentio non ſpectat ad bonum commune ipſius, ſed alterius Reipublicæ. Quantum autem ad hoc, quod eſt offerre vitam etiam pro ſalute communi, innocens non habet ſuperiorem Rempublicam (nam diſpoſitioni huius ſolum ſubeſt vita peccatoris, qui à dignitate humana decidit, & in ſeruitutem per peccatum incidit, vt de ipſo ordinetur ſecundum, quod eſt vtile alijs) ſed ſolum Deum, ſicque ſolum diuina charitate teneri poteſt; non tamen cogi lege ciuili Reipublicæ. Si dicas, Dux in bello iuſto legem conſtituere poteſt, vt hic, vel ille miles maneat in tali loco, in quo mors certiſſima imminet, ob bonum commune, & pœnam capitis imponere; ergo etiam poteſt Reſpublica in caſu huius dubij legem condere, vt innocens ſe tradat tyranno ad liberandam Rempublicam, impoſita ei pœna capitis. Reſpondetur negando conſequentiam: nam militem manere in tali loco non eſt actio deſtinata ad eius necem, quamuis hæc per accidens, & indirectè ex ea ſequatur infallibiliter, ſed ad conſeruationem talis loci, quæ ſubeſt diſpoſitioni Ducis, vt bono communi exercitus deſeruiat. At innocentem tradere, aut ei præcipere, vt ſe tradat tyranno occidendum, eſt actio deſtinata ad eius necem, quę non ſubeſt diſpoſitioni Reipublicæ; ſicque hæc non poteſt innocentem tradere, nec ei præcipere, vt ſe tradat occidendum tyranno.

ARTICVLVS VII.

Vtrum liceat alicui occidere aliquem ſe defendendo.

Concluſio eſt affirmans.

Dub. 1. *An tam pro vitæ, quam pro aliarum rerum defenſione liceat alicui alium occidere.*

PArs negans probatur primo. Chriſtus Petrum volentem ſe, & magiſtrum defendere prohibuit dicens Matth. 16. v. 52. *Conuerte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim, qui acceperint gladium gladio peribunt.* Et Paulus ad Rom. 12. v. 19. ait: *Non vos defendentes chariſſimi*, ergo, &c.

Secundò, plus debet diligi vita ſpirtualis proximi, quam vita corporalis propria, & quæcumque alia bona temporalia; ergo ne pereat vita ſpiritualis inuaſoris, illum teneor non occidere, & potius mortem pati, ac vitam corporalem, & quæcunque alia bona temporalia non defendere.

Tertiò, ſi liceret pro defenſione vitæ, & aliarum rerum propriarum alium occidere, etiam liceret talem occiſionem intendere, ſæpe enim fieri nequit, vt te defendas, niſi inuaſori lethalem vulnus infligas, vt

vt ſclopo, vel haſta: at D. Thom. hic ait: illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, vt ſe ipſum defendat; ergo, &c.

Dicendum tamen eſt 1. Pro vitæ proprię defenſione licitum eſſe inuaſorem occidere, ſeruato tamen moderamine inculpatæ tutelę. Probatur 1. cum D. Thom. hic: *Nam ſecundum iura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ*. Vt patet ex c. *Significaſti* De homicidio, vbi dicitur: *Quãuis vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittant: quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad iniuriam propulſandam*. Vide etiam c. cap. *Si vero* De ſent. excom. & cap. *Ius naturale*, diſtinct. 1. & L. 3. ff de iuſtitia, & iure.

Secundò probatur cum eodem D. Thõ. hic: *Quia plus tenetur homo vitæ ſuæ prouidere, quam vitæ alienæ*. Ergo non tenetur actum moderatæ tutelæ prætermittere ad euitandã occiſionem alterius. Niſi fortè in caſu, quẽ excipit M. Soto lib. 5. de iuſtitia, q. 1. a. 8. *Etenim ſi agreſſor eſſet rex, vel dux, vel alia perſona, quæ valde eſſet Reipublicæ neceſſaria, inuaſus autem eſſet perſona vilis, cuius vita ad bonum commune nihil referret: profectò crediderim tunc inuaſum illum charitate cogi, vt lethum potius ferat, quam alteri inferat*. Quod quidam limitant, quando ex interitu alterius ſequeretur magnum Reipublicę damnũm, vt bella ciuilia ob ſucceſſionem, &c. Sunt etiam quibus durus videa-

tur

tur hic ſermo. Et licet fateantur heroicũ fore, permittere potius te occidi, quàm occidas eo caſu te inuadentem Principem; dicunt tamen te non obligari ad huiuſmodi duram conditionem. Sed doctrina M.Soto verior eſt. Cui addunt Mag. Bañes hic dub.1. con.2. & alij, illum qui eo caſu Principem occideret defendendo propriã vitam cum moderamine, peccare contra iuſtitiam commutatiuam, non quidem per comparationem ad occiſum, ſed per comparationem ad Rempublicam, cui maximũ detrimentum infert, ad taliſque proinde damni reſtitutionem teneri.

Quamuis autem licitum ſit inuaſorem occidere, quando aliter nos tueri nequimus, concedunt tamen omnes præſertim Mag. Bañes hic dub.1.con.1. & alij diſcipuli D.Thom. licitum eſſe etiam non defendere propriam vitam in tali caſu. Nam vt cum S. Auguſt. docet D.Thom. ſupra q.26. art.5. *Proximum quantum ad ſalutem animæ magis debemus deligere, quàm proprium corpus.* Ergo quamuis homo poſſit ſe defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ occidendo inuaſorem: licitum tamen erit ei ex perfecta charitate velle potius pati mortẽ corporalem, quam quod ipſe inuaſor pereat in æternum. Quod exempla Chriſti, & multorum martyrum confirmant; qui cum poſſent ſe defendere, voluerunt potius pati mortem. Excipit tamen M.Soto vbi ſupra: *Si Princeps, aut quauis alia perſona Reipublicæ perquam commoda ab impuro ali-*

aliquo, aut nefario impetiretur: tunc enim procul dubio prodigalitas eſſet vitæ, non ſeipſum iniuria laceſſitum defendere, etiam dum opus eſſet laceſſentem offendere. Alij excipiunt etiam, ſi inuaſus probabiliter ſibi metuat ex morte ſubitanea periculum animæ: tũc enim etiam ſi inuaſor eſſet Princeps neceſſarius Reipub. ſe defẽdere teneretur inuaſus.

Quando verò ſeruetur moderamen inculpatæ tutelæ in occiſione inuaſoris, colligi videtur ex cap. *Significaſti*, De homicidio ſupra citato, nempè quando fit, *Non ad ſumendam vindictam, ſed ad iniuriam propulſandam*. Quod contingit, quando quis alterum occidit, ſolum, quia aliter ipſam mortem euadere non poteſt. Vnde qui percuſſus ab inuaſore ipſum iam fugientem inſequitur, & occidit, cum id non ad propulſandam iniuriã, mortemque vitandã faciat, ſed ad ſumendã vindictam præteritæ iniuriæ, non occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec à peccato homicidij liber, ac impunis eſt. Benè verò, qui occidit eum, qui ipſum armis actu ferit, aut ad feriendum accedit, aut inſtructus eſt ad inuadendum, ſi alter non poteſt mortem euadere. Nam tametſi non ſit licitum ſimpliciter præuenire eum, quem timeo futurũ eſſe agreſſorem; poſtquam tamen iam agreſſor fecit aliquam actionem parãdo mihi inſidias, quas ego aliter effugere non poſſum, niſi occidendo illum: tunc licitum eſt mihi medio tempore, antequam inſtet meũ damnũ, occidere inſidiantem,

etiamſi

etiamſi pro tunc quietus ſit, vt hic dub.4. con.2. docet M.Bañes. Diſplicet hoc Dianæ p.3. tract.5. miſcell.reſol. 90. Sed quid?

Ex hoc duo infert M. Bañes. Primum, adulteram, quæ certo ſcit maritum conſcium adulterij ab ea commiſſi, velle eam occidere, & iam habere paratum pugionem, quem ſub ceruicali poſuit, vt ipſam, quæ non poteſt fugere, concluſa claue ianua, interficiat, poſſe ipſum præuenire, & occidere. Quod etiam dicit Nauarrus cap. 15. num.3. Et idem eſt, ſi haberet paratum venenum, aut aliud ſimile, ſi non poſſet euadere niſi præueniendo.

Secundum, licitum eſſe occidere eum, qui vadit ad iudicem, vt mihi imponat falſum teſtimonium, propter quod ero occidendus, vel infamandus, vel amiſſurus bona temporalia, ſi aliter non poſſum me, aut mea defendere. Fauet Caiet.infra q.95. art.8.circa ſolutionem tertij explicans cauſam quartam finalem ad quam ſingularis pugna ordinatur, nam ait, *Licitum mihi videtur acceptare duellum, quando accuſator euidenter calumniatur, & præualet contra me innocentem ad mortem, vel mutilationem, &c. Hoc enim, licet ſecundum apparentiam ſit duellum, ſecundum veritatem non eſt niſi defenſio contra inuadentem ſe perſonaliter ad mortem, vel mutilationem. Differt enim ſecundum rem nihil, occidere in gladio proprio, & alieno.* Idem dicit in Sum verbo *Duellum.* Confirmatur. licitum eſſet mihi occidere hominem, qui vocat ſeruum, vt me occidat, ſi non habe-

rem aliud medium, quo vitam ſeruem incolumem. Item ſi quis vadit, vt ſoluat, vel irritet canem contra me, aut leonem, licitũ eſt mihi illũ occidere antequã ſoluat; ergo etiã in caſu poſito licitũ erit occidere accuſatorem. Et idem erit ſi quis vadit ad me contra ius accuſandũ de crimine vero, ſed occulto, ex cuius accuſatione mihi certũ periculũ imminet mortis, vel infamiæ.

M.Soto lib. 5. de iuſtitia q. 1. art 8. licet primum horum admittat, aduertit tamẽ: *Haud eſt in publico hæc ſententia prædicanda, ne rude vulgus, quod diſcernere neſcit quãdo eſt agreſſio, quã vero defenſio, eã per abuſũ amplificet.*

Secundum impugnat. *Quoniam ſolum licitum eſt vim vi repellere, vis autem non eſt niſi in præſenti agreſſione.* Alij recentiores dicunt, etſi ſpeculatiuè probabile videri queat: non tamen in praxi eſſe admittendum ob incõmoda, quæ ex eo ſequi poſſunt. Facilè enim homines ſibi perſuadent, ſe per calumniam accuſari, & non eſſe effugium niſi morte accuſatoris; ſicque multæ cędes iniuſtę patrarentur.

Mihi tñ de amiſſione honoris aſſerẽdũ videt; nullũ, aut Metahpyſicum eſſe caſũ, quo pro defenſione ſolius honoris liceat aggreſſorẽ interficere; Primò, quia vix eſt, ꝙ honor nõ poſſit aliter defẽdi, quã per mortẽ aggreſſoris; Secũdò, quia in ſui, ſuorũq. defenſione tm̃ licet vim vi repellere; fraus aũt, calũnia, & detractio nõ ſũt vis, & cõſequẽter nõ ſũt repellendæ per vim, ſed per viam iudicij.

Si quæras, an liceat occidere innocentem:

tem : v.g. infantem, quo inuaſor ſeſe protegit, vt te defendas, aut qui eſt in anguſta via, & vt euadas mortem fugiendo proterendus, ac interficiendus eſt à te? Reſpondetur, id licere, ſi aliter nō potes mortem euadere: nam vt ait Caiet. infra q.67. art.2. ad 1. dub. circa con. *Occidere innocentem per accidens, dando ſcilicet operam rei licitæ: & neceſſariæ, non eſt contra ius naturale, diuinum, aut ſcriptum*. Patet hoc in iudice ſecundum allegata, & probata iudicante. Cum autem conſtet, illum qui ſe defendit, aut fugit non valens aliter vitare mortem, dare operam rei licitæ. & neceſſariæ, nam habet ius ſe defendendi, aut fugiendi, quo iure non priuatur ex illa interpoſitione innocentis, aut ratione infantis in via conſtitut i, ſicut nec ſi fugienti amens, aut ebrius quiſpiam ſe obijceret; illicitum eſſet illum occidere. Si infans ſine baptiſmo eſſet moriturus, ob ſalutem eius ſpiritualem poſſet inuaſus ex perfecta charitate, velle potius pati mortem iuxta ſuperius dicta in hac cō cluſione; illum tamen ad hoc obligare, durum videtur. Si innocens eadē via publica pergeret, & cedere fugienti non poſſet, dicunt quidam probabilius eſſe, non eſſe licitum illum occidere, ſicut nec liceret mihi occidere illum, qui in naufragio re ipſa iam tabulam occupaſſet, vt ego illa euaderem. Secus eſſet ſi incautus iaceret in viæ anguſtijs, & fugientem, qui ius habet illac tranſeundi, impediret, cum ipſe non habeat ius ita anguſtias illas occupandi.

Di-

Dicendum eſt 2. Pro defenſione etiam rerum, ac bonorum temporalium licitum eſſe, furem, aut inuaſorem occidere ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ. Docent hoc S. Antoninus 3 p. tit. 4. cap. 3. §. 2. Sylueſter verbo *Homicidium* 1. q. 4. M. Soto lib. 5. de iuſt. q. 1 art. 8. & Caiet. hic §. *Ad hoc dicitur*. Vbi ait: *Quando quis non poteſt aliter res ſuas defendere, quin ſequatur ex defenſione occiſio inuaſuris, licite poteſt defendendo occidere illum. Et eſt ratio eadem, quæ aſſignatur in litera: quia ſcilicet plus tenetur aliquis curam habere rerum ſuarum, quæ ſunt adminicula vitæ ſuæ, & virtutis, atque fœlicitatis, quam alienæ vitæ*. Ergo ſicut pro tuenda vita licet alium occidere, ita & pro defenſione rerũ temporalium, quæ vitę ſunt neceſſaria, non ſolum præciſe, vt viuamus, ſed etiam, vt conuenienter, & honeſtè viuamus: & ſicut vita fundamentum eſt omnium bonorum, ita eſt, & eorum tutrix.

Probari etiam ſolet ex cap. *Interfeciſti* extra de homicidio, quamuis nonnulli, quos hic refert Caiet. aſſerant ex illo non probari licitum eſſe in foro conſcientiæ, ſed ſolũ quantum ad forum ciuile. Ex cap. *Dilecto* de ſent. excom. in 6. quamuis ibi Gloſſa aſſerat ſolum dici, licere bona temporalia defendere, nõ tamen eorũ inuaſorem interimere. Et ex iure etiam ciuili. L. *furem*, 9. ff. Ad legem Corneliam de ſiccarijs, & L. *Sed etſi*, 4. ff. Ad legem Aquiliam, quamuis aliqui, quos hic refert Caietanus, dicãt, ius ibi ſolum cõcedere, vt poſſim res meas

defendẽdo licitè occidere inuaſorem, quã-do non poſſum eas per viam iudicis recuperare; nõ tamen ſi recuperare eas poſſem per viam iudicis. Quod quamuis verũ ſit, ſi fur re ablata fugiat; tunc enim ſaltẽ contra charitatem peccaret, qui illum occideret, ſi poſſet res ſuas ſine magnis moleſtijs per viam iudicis recuperare: tamen ſi fur non fugiat, ſed vi ſe velit tueri contra eum, qui nititur furtum impedire; poterit viciſſim illa vis vi repelli, quantum neceſſe eſt, vt res ſalua ſit (vt multi aſſerunt) etiam ſi res per iudicem recuperari poſſit: quia non dictat charitas, vt patiar res meas in mea præſentia capi, vtque tantæ furis improbitati non reſiſtam, quia hoc faciendo magnam contumeliam infert, quæ vi repelli poteſt, Vnde Sylueſt. verbo *Bellum*, q.1. ad finem inquit: *Quandò res per viam iudicij poteſt rehaberi, non licet eam defendere, niſi dũ eſt in ipſo rapi.*

Aduertit tamen M Soto vbi ſupra, quando res per viam iudicis recuperari non poteſt, *toto illo tempore flagrantis delicti licere vim vi repellere, etiam dum fugit: poſtquam vero aliquo ſe iam recepit, non licet eum vi agredi, ſed tenere, quouſque iudex eum capiat. Attamen cum hæc licere aſtruimus, nempè furem telo proſternere, ſic intelligimus, ſi bona aliquanti ſint pretij. Nam pro re vili nempè pro valore duorum triumue ducatorum, vt vitam periculo exponere delictum eſſet, ſic & alium interficere. Nam licet te, tuaque tuendi ius habeas, conferendum tamen eſt damnum, quod ti-*

bi

bi caues, cum illo quod das.

Notat etiam S. Anton. vbi ſupra: *Quod licitum eſt etiã pro rebus vim vi repellere contra omnes, contra quos licitũ eſt pro perſonis: ſi tamẽ perſonæ, quæ vim vi repellere volunt, poſſint habere bona, vt excludantur ſerui, monachi, & ſimiles.* Sed cum ibidem afferat, licitam eſſe defenſionem, *Non ſolum pro rebus ſuis, ſed etiam pro rebus ſibi depoſitis, & commodatis, & etiam pro rebus amicorum ſuorum, eos ſcilicet adiuuando, &c.* Mirum eſt, non eſſe id licitum ſeruis pro rebus dominorum ſuorum, præſertim, quę eis commendatæ ſunt, & monachis pro rebus ſuorum monaſteriorum, & pręcipuè earum, quarum vſus eſt ipſis conceſſus. Sed hoc non aſſerit S. Anton. (vt quidam ei imponunt) ſed ſolum dicit, ipſis non eſſe licitum, res defendere contra omnes, contra quos eſt licitum defendere perſonas: has enim licitum eſt ſeruis contra dominos, & monachis contra ſuos prælatos defendere, non tamen res.

Ex hac concluſione infert M. Bañes hic dubio 4. ad 2. licitum eſſe occidere accuſatorem, aut alium, qui in iudicio conatur aliquem damnificare, ac calumnijs opprimere in cauſa ciuili magni momenti. Cum enim licitum ſit pro defenſione rerũ temporalium inuaſorem occidere, & ille accuſator per ſe, vel per tertiam perſonam iniquè contendat accipere mea bona, licitum erit mihi illa defendere, & ſi aliter nõ poſſum, illum occidere. Diana par. 3. tract. 5. miſcell. reſol. 97. cum P. Coninch.

aſſe-

aſſerit, licet ſpectato ſolo iure naturæ non ſit hoc improbabile; iure tamen poſitiuo poſſe id prohiberi, atque adeo de facto eſſe prohibitum à lege prohibente, homicidia adhunc caſum extendi poſſe; vſu enim videtur receptum, vt in quauis Republica bene conſtituta, talis occiſor deprehenſus morte puniatur, non credo (inquit) vllibi admittendam eſſe excuſationem, quod id ob neceſſariam ſui defenſionem feciſſet, alias grauiſſimi inde ſequerentur abuſus, litigantes enim facilè ſibi perſuaderent, ſe aduerſæ partis machinationibus iniuſtè opprimi, aduerſariumq; conarentur clam occidere.

Dicendum eſt tertiò: Pro defenſione pudicitiæ etiam eſſe licitum inuaſorem occidere. Hanc concluſionem ex præcedente colligit Caiet: hic dicens: *Ex his autem patet ſolutio alterius quæſtionis ab Auguſt. vbi ſupra, & poſterioribus mota, an liceat repellendo violentiam, ſtupri, adulterij, ſodomiæ, & huiuſmodi occidere: quoniam quando non poteſt aliter euadere, quæ tunc ad hoc infertur actualiter, vim, licitè poteſt tuendo ſuorum membrorum libertatem occidere. Et tanto plus licet in defenſione hac, quam in defenſione rerum exteriorum, quanto vis hæc magis æſtimatis rebus infertur: & periculum conſenſus magnum ex hoc imminet, qui virtutis bono contrariatur. Vnde Tullius in oratione pro Milone laudabiliter commemorat militem adoleſcentem, qui ne turpiter pateretur à tribuno militari propinquo Caij Marij, ipſum interfecit.* Vide etiam Sylue-

ueſtrum verbo *Homicidium*, 1. q.5. vbi & addit: *Si tamen* (mulier ſcilicet oppreſſa) *nolit occidere, ſed circa hoc quantum poteſt ſe tueatur, & peccato mente renitatur, non peccat: ſicut, & inuaſus ſi ſe permittat occidi, ne occidat, non peccat, ſed eſſet maioris virtutis:*

Dicendum eſt 4. Pro defenſione honoris etiam eſſe licitum inuaſorem occidere, ſi honor grauiter læditur, & citra occiſionem defendi non poteſt. Probatur, honor eſt excellentius bonum, quam diuitiæ; ergo ſi pro harum defenſione licitum eſt occidere furem, etiam pro defenſione honoris licitum erit occidere inuaſorem.

In quibus tamen caſibus honor auferatur, & pro eius defenſione licitum ſit occidere, non eſt facilè explicare. M. Soto lib. 5. de iuſtitia, q.1. art.8. ponit exemplum de viro ingenuo, aut illuſtri, qui videns hoſtem ad ſe gladio appropinquare, fugiendo poſſet liberare vitam, non tamen ſine ſuo dedecore; de quo proinde ait: *Non teneri ſe in pedes conferre: quia moderamen hoc adhibendum eſt citra hominis detrimentū, quod alicuius ſit momenti. Quapropter ſacerdotes, & monachi ſugere in tali caſu tenentur: vtpotè quorum honor non eſt conflictum illum expectare: quippe quos armorum vſus niſi in extrema neceſſitate non decet. Et idem eſt de plebeio infimæ ſortis, qui nullam prorſus honoris iacturam fugiendo faceret.*

De prouocato ad duellum ſubdit, non licere ipſi exire, quia ſecundum rei veritatem, & ſapientum iudicio, non exire, non

eſt

eſt dedecus, & exire verè non eſt honor, niſi ſecundum vulgus. Idem docet Caiet. in Sum. verbo *Duellum*. Confirmat Concil. Trid. ſeſſ. 25. in decr. de reformatione prohibens duella c 19.

De nitente impingere alapam, aut baculum, certum eſt rem valde ignominioſam, & contra honorem eius, quem vult percutere, moliri, ſicque huic licitum eſt illum occidere, ſi aliter hoc dedecus vitare nequit, vt aſſerunt M. Soto vbi ſupra ad finem corporis artic. & alij. Quidam tamen hoc limitāt, niſi res in occulto ageretur: quia tunc honor parum læderetur: aut niſi honor ita læſus via iuris, aut alijs modis recuperari non poſſit, de quo vide Dianam p. 3. tract. 5. miſcell. reſol. 90. Sed non video limitationem hanc eſſe neceſſariam: nam quamuis res in occulto agatur, non parum honor læditur, cum atrox illa iniuria præſertim in Hiſpania reputetur, vt ait M. Soto, & periculū ſit rem citò diuulgandam. Quamuis etiam honor poſtea via iuris recuperari poſſit, non obligat charitas, vt patiar honorem meum lædi: ſicut nec vt patiar res meas in mea præſentia auferri, vt diximus con 2.

Quærit autem M. Soto, vtrum ſit eadem ratio de clericis, quæ eſt de laicis. Reſpōdetque. *De defenſione honoris non eſt par ratio: vtpotè, qui illum non habent in armis*. Ex quo multi inferunt, clericum peccare contra iuſtitiam, ſi nolit fugere, ſed ſe tueri occidendo inuaſorem. Non deſunt tamen

qui dicant non eſſe improbabile, ſolũ peccare contra charitatem occidendo inuaſorem, etiam ſi fugere poſſit: nam quamuis honor clericorum in armis non ſit poſitus, reuera tamen honorem habent, & qui illum aufert, peccat contra iuſtitiam; ergo illum defendens, etiam clericus, non peccat contra iuſtitiam: vnde P. Leſſius lib. 2. cap,9.dub 21.num.136. ait, eccleſiaſticum lege iuſtitię non magis teneri, quam ſæcularem.

Poſtquam quis percuſſus eſt pugno, aut fuſte, vel gladio, dicit M. Victoria relectione de iure belli, num.5. *Credo quod per iniuriã percuſſus poſſit ſtatim repercutere, etiamſi inuaſor non deberet vltra progredi. Sed ad vitandam ignominiam, & dedecus poſſet, qui colaphum exempli gratia accepit, gladio ſtatim repercutere, non ad ſumendam vindictam, ſed vt dictum eſt, ad vitandam infamiam.* Quod alij extendunt aſſerentes, poſſe etiam fugientem inſequi, & percutere; non ſecus, ac latronem fugientem cũ re mea ſequi poſſum, & percutere, vt eam relinquat, vel reddat, ſi aliter nequit recuperari. Qui enim illata graui ignominia fugit, honorem meum quodammodo ſecum defert, cum poſſit illum mihi reſtituere offerendo ſatisfactionem; ergo poſſum illum percutere, vt honorem meum reſtituat, vel ſaltem, vt eum ſic recuperem. M. Bañes hic dub.3. docet id nullatenus eſſe licitum: nam habet rationem vindictæ reſpectu prętéritæ iniurię, & eſt contra illud 1. Petri 3. ver. 9.

Non

Non reddentes malum pro malo, nec maledictũ pro maledicto. Et quamuis honor ſecundũ leges diaboli recuperetur: recuperatur tamẽ per vindictam, quod eſt illicitũ; Addit, non eſſe eandem rationem de latrone fugiente: quia latro adhuc eſt in exercitio capiendi aliena, dũ non eſt iam in loco quieto retinens rem alienam. At verò, qui ſemel percuſſit, iam læſit honorem meum, neque portat ſecum quicquam meum, quod ego poſſim eripere de manibus eius: ſicut ſi quis abſcindat manum meam, non poſſum ego abſcindere manum eius. P. Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 12. num. 80. ſententiam M. Victorię cum extenſione predicta ait eſſe, quidem ſpeculatiuè probabilem; tamen in praxi non eſſe facilè permittendam ob periculum odij, vindictę, & exceſſus, pugnarum etiam, & cędium. Mihi vtraque ſententia, tam ſcilicet M. Victorię, quam M. Bañes videtur probabilis, quamuis ſententia M. Victorię non ſit publicè prædicãda, ſed ſolum ea vti debeamus poſt factum ad pacandas conſcientias, vt de alia, quam tenet M. Bñes diximus con. 1.

Dicendum eſt 5. Pro defenſione vitę proximi (& idem eſt de pudicitię, honoris, & rerum eius, cum opem flagitat, defenſione) quę ab alio priuata auctoritate impetitur, licitum eſt inuaſorem occidere, ſi aliter defendi nequit. Docet hoc S. Antonin. 3. p. tit. 4. §. 1. vbi ſic habet: *Licita eſt prædicta defenſio non ſolum pro ſe, ſed etiam pro filio, &c. Item pro patre, &c. Item pro vxore, &c.*

Item pro alijs perſonis coniunctis. &c. Cũ enim pro defenſione rerum liceat vim vi repellere, & ad hoc amicos, & coniunctos vocare, licitum etiam erit, amicos, & coniunctos inuaſos iuuare, cum etiam homini homo officium debeat, &c. Item etiam, & extraneum defendere debet, ſi poteſt quilibet ſine periculo ſui.

Probatur deinde ex D. Thom. ſupra q. 60 art. 6. ad 2. vbi ſic habet. *Moyſes occidit Ægyptium defendendo eum, qui per iniurium patiebatur, cum moderamine inculpatę tutelę. Vnde Ambroſius dicit in libro offic. quod qui non repellit iniuriam ſocio, cum poteſt, tam eſt in vitio, quam ille, qui facit. Et inducit exemplum Moyſi.* Licitum ergo eſt pro defenſione vitæ proximi iniuriam patientis inuaſorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelę, aut ſi aliter defendi nequit. Inuaſus enim cenſetur innocens, cum iniuſtè inuadatur: licitum autem eſt cauſam innocentis defendere; ergo ſi aliter vita proximi iniuſtè inuaſi tueri nequit, niſi inuaſorem occidendo, hoc licitum erit cuilibet, etiam ſi inuaſus nollet defendi cum occiſione ſui inuaſoris: nam cum ille non ſit dominus ſuæ vitę, poteſt alius, etiam ipſo inuito, velle cuſtodire tanquam mandatarius Domini, qui vnicuique mandauit de proximo ſuo.

Excipiendus eſt pater defendentis, ſi forte ipſe eſſet inuaſor: tunc enim non poſſet pro defenſione vitę inuaſi occidere patrem ſuum, cum hoc pietati filiorum in parentes repugnet. Idem dicendum eſt, ſi inuaſor

eſſet

eſſet Princeps, aut perſona maximè neceſſaria Reipublicæ.

Si quæras, an non ſolum poſſit, ſed etiam teneatur homo innocentem inuaſum defendere cum inuaſoris occiſione, ſi aliter poteſt? Reſpondetur, ad id non teneri, niſi forte innocens inuaſus eſſet perſona maximè neceſſaria Reipublicę, vel Princeps, vel defendentis pater, aut mater, aut filius, aut vxor. Sicut enim nullus tenetur tueri vitam ſuam per mortem alterius: ita nec vitam innocentis inuaſi: & vbi ſunt mala paria, nemo tenetur alterum inferre, vt excludat alterum. Citra mortem autem alterius lege charitatis tenetur, vitam inuaſi tueri, quantum poteſt, abſque ſuæ vitę periculo. Et hoc intendit S. Ambr. citatus à D. Thom.

Si quęras etiam, an liceat pręgnanti medicinam præbere, qua cum periculo prolis ſuccurratur matris periculo? Reſpondent S. Ant. 3. p. tit. 7. cap. 2. §. 2. & Syluеſter verbo *Medicus*, q. 4. *Dare medicinam prægnāti, vt abortiatur, & lateat peccatum, eſt mortale. Ad pręſeruandum vero prægnantem ſecundum Ioann. de Neap. in* 10. *quodlib. diſtinguendum eſt. Nam ſi fœtus erat animatus rationali anima, eſt peccatum mortale: quia eſt cauſa mortis corporalis, & ſpiritualis, &c. Si vero non dum erat anima tali animatus, poſſet tunc, & deberet dare talem medicinam: quia licet impediret animationem futuram fœtus; non tamen eſſet cauſa mortis alicuius hominis, & vnum hominem liberaret à morte.* Quod non ita

intelligendum eſt, vt liceat dare, aut accipere medicinam, quę ad abortum faciat directè: nam ſicut procurare pollutionem propter ſanitatem eſt illicitum; ita,& procurare abortum; vtrumqne enim eſt contra naturam generationis, & magis expellere fœtum, cum hic, etiam ſi non ſit animatus, propinquior ſit naturæ humanę, quam ſemina non dum commixta. Sed quod licet medicinam adhibere, quę directè tendit in curationem, etiam ſi putetur inde abortio ſequutura. Si verò fœtus erat animatus, neque hanc medicinam curatiuam licet matri prębere, quãuis directè nõ faciat in occiſionem infantis, ſed in matris ſalutem: niſi forte valdè probabile eſſet, non adhibito hoc remedio vtrumqne moriturum, eo verò adhibito,ſaltem matrem poſſe ſeruari. Si certum eſſet, aut valdè probabile, adhibito hoc remedio matrem poſſe ſeruari, & infantem moriturum; illo vero non adhibito infantem poſſe ſeruari, & matrem morituram, dicunt multi, licitum eſſe illud adhibere: quia pręferenda eſt vita matris, ſicut, & inuaſi, etiam ſi inuadens ſit amens, aut ſine culpa: quia infans ſe habet, vt inuadens, cum mortem afferat matri. Oppoſitũ docent alij colligiq; videtur ex verbis S. Antonini relatis: quia præferanda eſt ſalus ſpiritualis infantis. Alij denique aſserunt,caſum quo ad ſecundam partem rariſſimum eſse, ac moraliter impoſſibilem: nam corrupti humores matris alimentum, quo puer nutriendus eſt, inficiunt,

ciunt, vt penè miraculum ſit, matre pereunte prolem viuam oriri; ſicque matri eſse ſubueniendum. Vide Dian. 3.p.tract.5. miſcel. reſol.11.

Ad 1. verò factum in principio reſpondetur, Petrum fuiſſe à Chriſto prohibitum: quia eius actio potius habebat ſpeciē vindictę, quam defenſionis vnde Gloſsa interlinearis ibi ait: *Ceſſet vindicta*. Vel prohibitus fuit, quia Chriſtus, vt ibi ait D. Thom. *Venerat, vt voluntariè pateretur, ideò nolebat defendi*. Vel vt ait Caietanus: *Quia Petrus reprehenſione dignus erat, vtpotè non expectata Magiſtri reſponſione præceps vtens gladio*. Locum Pauli exponit Diu. Thom. hic ad 5. *Quod ibi prohibetur defenſio, quæ eſt cum liuore vindictæ*.

Ad 2. reſpondetur cum Caiet. hic §. *Ad hoc dubium*, Doctrinam illam intelligendā eſse in caſu neceſſitatis. *Quod ſimus autem extra caſum neceſſitatis ex eo patet, quod inuaſor ſe ipſum ſponte in tali caſu ponit inferendo talem iniuriam proximo, quā ille non poteſt euadere, niſi occidendo. In articulo ergo iniquæ voluntatis, & mortis ſe ipſum ponit, vt iniurietur alteri*.

Ad 3. reſpondetur negando maiorē: ſicut enim licet darè prægnanti medicinam, etiam ſi ſequatur abortio, non tamen abortionen directe intendere, vt diximus: ita quamuis liceat pro defenſione vitæ inuaſorem occidere: non tamen talem occiſionem intendere, ſed quod intendi debet, eſt inuaſorem repellere: ſi autem ex actione

qua repellitur, ſequatur mors inuaſoris, erit effectus per accidens, & præter intentionem ſe defendentis: non ſecus ac eſt ebrietas, aut pollutio reſpectu eius, qui medicinam accipit ad alicuius infirmitatis remedium, ex quo ſequitur ipſum in-ebriari, aut pollui. Vnde Caiet. hic in principio Comment. ait: *Finis & medium ad finem cadunt ſub intentione, vt patet in medico, qui intendit ſanitatem per potionem vel dietam. Id autem quod ſequitur ex neceſſitate finis, non cadit ſub intentione, ſed præter intentionem exiſtens emergit, vt patet in debelitate ægroti quæ ſequitur ex medicina ſanante; &c. Perſona autem priuata non intendit occidere, vt ſe ipſum ſaluet, ſed intendit ſaluare ſe ipſum non deſtitutus à ſui defenſione, etiam ſi alterius mortem ex ſua defenſione oporteat ſequi. Et ſic iſte non occidit niſi per accidens.* M. Soto lib. 5. de iuſtitia q. 1. art 8. dicit, licitum eſſe inuaſo mortem inuaſoris intendere, ſeu potius eligere, vt medium neceſſarium ad ſui defenſionem, quæ ipſi licita eſt. Et D. Thom. mentem ſic explicat: *Cenſet enim tunc dumtaxat homicidium ex intentione fieri propter defenſionem, quando quis alterum aggreditur ipſum præueniens: vel ad vindicandum præteritam iniuriam: vel cauendam futuram.* Vnde in forma maiorem argumenti concedit; minorem vero, quæ D. Thom. doctrinam continet, prædicto modo explicat.

Dubium* 2. *An qui pro defenſione vitæ propriæ vel proximi, aut honoris, & bonorum temporalium occidit hominem, incurrat irregularitatem.

PArs affirmans probatur ex Concil. Trid. in Decreto de reformatione cap. 7. Seſſ. 14. vbi ſic dicitur: *Si homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi reppellendo, vt quis ſe à morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur; quam ob cauſam etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris miniſtrationem, & beneficia quæcunque, ac dignitates iure quodammodo deſpenſatio debeatur: committatur loci Ordinario, &c.* Cenſet ergo Concilium, irregularem eſſe, qui ſe defendendo alterum occidit.

Secundo ex D. Thom. hîc ad 3. vbi ſic habet: *Irregularitas conſequitur actum homicidij, etiam ſi ſit abſque peccato; patet in iudice, qui iuſte aliquem condemnat ad mortem: & propter hoc clericus, etiam ſi defendendo interficiat aliquem, irregularis eſt.* Ergo multo magis irregularis erit, qui occidit defendendo res alias.

Tertio. Quamuis modo poſt Clementinã *Si furioſus*. De homicidio excipiatur ab irregularitate, & qui caſualiter occidit; & qui etiam occidit in defenſionem ſuæ vitæ; nullus tamen alius homicida excipi-

tur in iure: ſed qui pro defenſione honoris & bonorum temporalium occidit(& idem eſt de occidente pro defenſione vitæ proximi) non occidit pure caſualiter, cum præuideat talem effectum; ergo irregularitatem incurrit.

Dicendum tamen eſt 1. Qui, pro defenſione vitæ ſuæ inuaſorem occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, nullam incurrere irregularitatem. Communis eſt hæc concluſio inter Doctores. Probatur ex Clementina *Si furioſus*. De homicidio, vbi ſic dicitur: *Si furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilat, vel occidit, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit, vel mutilat inuaſorem.*

An vero hoc ſit ius nouum, aut iuris antiqui declaratio, ſub lite eſt. Caietanus hic §. *In reſponſione ad tertium*, ius nouum appellat, nouumque ius eſſe aſſerunt M. Bañes hic ar.8. dub. 1. & alij, colliguntque ex D.Thom.hic ad 3. vbi clericum, etiam ſi ſeſe defendendo interficiat aliquem, irregularem eſſe docet propter caput *De his clericis*, diſtinction. 50. citatum in argumento.

Alij non eſſe ius nouum affirmant, ſed iuris antiqui declarationem. Ita Nauarrus cap.27.num 211. vbi, & addit, parum referre, an noui, an verus ius ſit. P.Suar. to.5. in 3.p.diſp.46.ſect.1.nu 2. P. Leſſius lib. 2. cap.9.dubit. 8. n. 52. & alij. Mihi vtrumque probabile videtur, quod & inſinuat M.

Soto li. 5 de Iuſtitia, q. 1. ar. 8. ad 3. Nec cõtra primum obſtat, iura antiqua, & præſertim cap. *De his clericis*, dum aſſerunt irregularem eſſe, qui ſe defendendo alterum occidit, ſolũ loqui de eo, qui in defenſione ſui modum excedit, & occidit, quin occiſio ſit neceſſaria ad defenſionem. Quod enim interuenerit culpa in caſu prædicti capitis ſignificant illa verba. *Per pœnitentiam emendati*. Coniecturę etiam ſunt, quod multi vnum occiderunt. Item quod ille erat paganus, quem maiori licentia, vel etiam odio interficere potuerunt. Reſpondetur namque negando iura antiqua; & præſertim cap. *De his clericis*, ſolum loqui de eo, qui in defenſione ſui modum excedit: nam in prædicto capite Nicolaus Papa Osbaldo Epiſcopo dicit: *Scito nos nullam occaſionem dare, nec vllam tribuere eis licentiam, quemlibet hominem, quolibet modo occidendi*. His autem verbis non obſcurè indicat, loqui de eo, etiam, qui aliter mortem euitare non valens, & abſque vlla culpa cum moderamine inculpatæ tutelę, quẽlibet hominem etiam paganum occidit, cui ad hãc etiam inculpatam occiſionem, dicit, nullam occaſionem, aut licentiam tribuere, quia irregularitatem propter eam incurrere Eccleſia ſtatuit. Emendatio autem per pœnitentiam, non denotat in clericis illis, qui paganum occiderunt fuiſſe culpam: nam pœnitentia illa potuit eſſe exterior ad emendationem lenitatis, non

culpæ. Et quamuis plures vnum occidiſſe referantur, non ſequitur vnum ſolum fuiſſe inuaſorem. nam potuit eſſe neceſſarium, vt clerici euaderent plures inuaſores, vnum ex illis occidere, quo occiſo, alij receſſerunt. Et quamuis vnus ſolus eſſet inuaſor plurium clericorum: quia tamen inermes erant, ille armatus, potuit contingere, vt plures non aliter vitare mortem poſſent, quam vnum occidendo.

Dicendum eſt 2. Quamuis valde probabile ſit, ſolum illum, qui pro defenſione vitę ſuæ aliter mortem vitare non valens ſuum occidit inuaſorem, eſſe ab irregularitate immunem: probabile tamen etiam eſt, idem dicendum eſſe de illo, qui pro defenſione pudicitię, honoris, aut bonorum temporalium ſuorum, aut proximi, vel pro defenſione vitæ proximi occidit inuaſoré cum moderamine inculpatæ tutelæ abſq. vlla culpa, & peccato ſuo.

Primam partem docent M. Bañes hic ar.8. dub.2. & 3. & alij. Probatur etiam, nã D.Thom. hic ad 3. & ſupra q. 40. ar.2. valde inſinuat iure antiquo qualibet occiſione hominis non purè caſuali, ſed voluntaria, etiamſi ſit abſque peccato, incurri irregularitatem; ergo cum iure nouo ſola illa excipiatur, quę fit ob defenſionem propriæ vitæ, ſolus ille, qui pro defenſione proprię vitæ, aliter mortem vitare non valens, ſuũ occidit inuaſorem, erit immunis ab irregularitate. Vnde S. Anton. 3. p. tit. 4. c. 3. §. 1. ait:

ait: *Defendendo ſolum ſe ipſum, ſi ex hoc occidat, vel mutilet, euitat pœnam irregularitatis, non autem ſi alterum defenderet, etiam patrem, vel filium, vt notat Gloſſa ſuper caput ſi furioſus de homicidio*. Et ℣.2. inquit: *Notandum, quod vim vi repellendo pro rebus, ſi quis occidat, vel mutilet, irregularitatem incurrit*. Idem dicit Sylueſter verbo *Bellum*, 2. q.6. & 7.

Secundam partem tenet Couarruuias Relect. in Clement, *Si furioſus*, parte 3, ℣. vnico num.3. & 6. ad finem, quem ſequuntur recentiores innumeri. Probatur etiam 1. Ex priuato homicidio non contrahitur irregularitas, niſi aliquam habeat culpam: ſed in homicidio: propter defenſionem prędictorum nulla eſt culpa, vt ſuppono ex dictis ar. præced. ergo, &c. Maior probatur, vt ex homicidio nullam habente culpam irregularitas contrahatur, requiritur, vt ſit intentum, nam hoc ſolum habet ſignificationem, cum contra lenitatem nõ ſit velle ſe defendere, ſed ſolum velle alterum occidere: ſed homicidium priuatum nullam habens culpam non eſt intentum: nam vt ait D.Thom. hic: *Illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, niſi ei, qui habet publicam auctoritatem*. Ergo ex illo nõ contrahitur irregularitas, ſed ſolum ex homicidio facto, publica auctoritate à iuſtitiæ miniſtris.

Secundò probatur ex cap. *Quia te* d.50. vbi Sichiberto Epiſcopo Corſicæ dubitanti, an eſſet irregularis, quod à Saracenis

ca-

captus quoſdam ex illis interfecerat, vt ſuã libertatem tueretur; reſpondit Papa: *Quoniam non tua ſponte id feciſſe cognoſceris, inde canonicè nullo modo iudicaris.* Sed eadem eſt ratio de illo, qui ob defenſionem prædictorum occidit, quia non ſua ſponte occidit, ſed coactus ab iniquo inuaſore; ergo, &c.

Tertio probatur, talis irregularitas non colligitur ex iure antiquo: nam licet ex cap. *Interfeciſti*, & cap. *Si perfodiens*, & cap. *Suſcepimus*, & cap. *Significaſti* 2. De homicidio conſtet irregularem eſſe, qui occidit alium ob defenſionem rerum; non tamen eam, quæ fit cùm moderamine inculpatæ tutelæ, & ob quam occiſio iure licita eſt. Nec ex iure nouo Clementinæ *Si furioſus*, quia ibi de hoc nihil ſtatuitur. Et ſi (vt probabile eſſe diximus) illud non eſt ius nouũ; ſed declaratio antiqui, colligere poſſumus datam eſſe Doctoribus facultatem extendendi declarationem illam ad ſimiles caſus, quantum ad rationem formalem, quales ſunt, de quibus agimus hic; ergo, &c.

Hinc colligitur, ſi quis non poſſit fugere, ſine graui nota, & amiſſione honoris, non teneri ad fugiendum, nec irregularem fieri, ſi alium occidat ſe defendendo. Ita P. Suarez vbi ſupra num. 6. vbi hoc limitat cum aliquibus, niſi præceſſerit culpa, & iniuria ex parte eius, qui fugere cogitur, vt ſi ille dederit alteri alapam, vel iniurio-

ſum

ſum verbum dixit, vel cum vxore inuentus eſt, aut pallium tollere eſt aggreſſus, & alter in eum inſurgit, non ſolum, vt vim repellat, ſed etiam, vt vindicet, & occidat; Nam tunc licet hic excedat, non poteſt aliter iuſtè ſe defendere, ſi poteſt fugere: cum ipſe dederit occaſionem rixę: & ideò ſi fugiendo amittit honorem, ſibi & non alteri imputare debet. Quæ tamen limitatio non placet Dianæ p.2.tract.1. miſcellaneo.reſol.16.tuncque ſolum veram eſſe cenſet, cum id omne præuiſum eſt, vel preuideri potuit ab inferente iniuriã. Si enim omnino per accidens ea conſequuta eſsèt, poſset vti iure ſuo permanendi, & ſi aliter non poſset ſe tueri, quam occidendo, non eſt cur deterioris conditionis fieri debeat. quam alij.

Ad primum vero factum in principio reſpondetur. Concilium ibi loqui, quando ille, qui ſe defendit, dubitat, an eius defenſio fuerit moderata, & iuſta, an vero exceſſerit.

Ad ſecundum reſpondet P. Leſſius vbi ſupra, Diuum Thomam loqui de illo, qui in defenſione ſui modum exceſſit. Sed hęc expoſitio verbis ipſis S. Doctoris aduerſatur, cum dicat expreſſè, *Irregularitas conſequitur actum homicidij, etiam ſi ſit abſque peccato.* M.Soto lib.5.de iuſtitia q.1.a.8.ad 3. ait: *Loquitur ſecundum ius, quod ſuo ſæculo erat in vſu.* Poſſumus etiam reſpondere, D. Thom. illud dixiſſe non aſſerendo, ſed

ad-

admittendo, quod multi ſuo tempore aſſerebant, clericum, etiam ſi defendendo interficiat aliquem, eſse irregularẽ, id colligentes ex verbis Nicolai Papæ diſt. 50. cap. *De his clericis.* Hæc enim erat opinio Hug. vt dicit Gloſsa in Clement. *Si furioſus.* Quo admiſso negat D.Thom. non eſse licitum alicui occidere aliquẽ ſe defendendo, quod aſserit eius concluſio: nam irregularitas conſequitur actum homicidii, etiam ſi ſit abſque peccato, vt patet in iudice.

Ad 3. reſpondetur probare primam partem noſtræ 2. con. Quatenus vero eſt contra 2. partem, dico, illam non eſse exceptionem à generali regula, qua in iure ſtatuatur, irregularẽ eſse, qui occidit alium etiã ob iuſtam defenſionem ſui, vel rerum ſuarum, ſed eſse declarationem, quandam iuris antiqui, quam ad ſimiles caſus, quantum ad formalem rationem poſsumus extendere.

AR-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aliquis caſualiter occidens hominem incurrat homicidij reatum.

Concluſio eſt negans.

QVæ intelligenda eſt de occiſione hominis, quæ ſimpliciter, & omnino caſualis eſt, ac proinde nullo modo intenta, aut voluntaria: ſi enim caſualis fuerit ſolum, quia non eſt actu, & per ſe volita, & intenta; eſt tamen volita, vel intenta per accidens, & virtualiter in cauſa, homicidij reatum habet. *Hoc autem* (inquit D. Th.) *contingit dupliciter. Vno modo, quando das operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit. Alio modo, quando non adhibet debitam ſolicitudinem. Et ideo ſecundum iura, ſi aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium ſequatur, non incurrit homicidij reatum. Si verò det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non euadit homicidij reatum, ſi ex eius opere mors hominis ſequatur.*

culi expreſsè habetur. Ex hoc capite excuſatur ab homicidio, qui vulnus non lethale infligit, ſed mors ſequitur, aut ex mala cura medici, vel ex malo ægri regimine. Item, qui furtum mille aureorum committit, quamuis dominus pecuniæ dolore moriatur; vel alius, cui impoſitum furtum tale fuit; ſuſpendatur; nullius enim mors ſequitur ex furto, ſed prioris ex animi voluntario dolore, quem noluit mitigare; poſterioris vero ex malitia accuſatoris, vel teſtium. Imo etiam ſi fur prædictus aduertat, mortem ſequuturam vtrique, aſserunt multi, non eſse homicidam, nec irregularem. Addunt, etiam ſi talem mortem intendat, non peccare contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem, ſicut, & qui deſiderat, vt alius ſe interficiat, aut mortis ſupplicio afficiatur, ipſe tamen non cooperatur: nam intentio non facit, vt opus ſit iniuſtum, niſi alias ex natura ſua, & circumſtantijs tale ſit, cum intentio nõ faciat, vt opus externum magis ſit damnoſum, & noxium, aut magis violet æqualitatem. Vide P. Leſſium lib 2. ca 9. dubitatione 16. Si dicas, homicidium factum per ſeruum, aut brutum animal imputari domino, etiã ſi nulla eius culpa fiat, vt patet ex L. *Si ſeruus*, ff. de noxialibus actionibus, & cap. *Si culpa* de iniurijs, & damno dato, vbi dicitur, dominum teneri ad ſatisfactionem, aut damnum compenſando, vel dando ſeruum, aut animal; ergo etiam ſi non ſequatur ex eius opere, poteſt imputari.

Re-

Reſpondetur, opera ſeruorum, & animalium ad dominos pertinere: & nihilominus, vt docet Syluester verbo *Reſtitutio* 2. circa finem, *In foro conſcientiæ non tenetur quis in huiuſmodi, niſi de dolo, & lata culpa.* Nec obſtant citatę leges: nam vel ſunt pęnales, quæ non obligant ante ſententiam. Vel ſolum pertinent ad forum externum, ſolumque conſtituunt, quod in tribunalibus debent iudices iudicare ob pacem publicam, ſicque non obligant ante ſententiam iudicis, de quo vide P. Leſſium vbi ſupra dubit. 17.

Tertia eſt, quod debuerit remouere id ad quod ſequitur homicidium, vt in medio corporis articuli dicitur. Alias enim homicidium non eſſet voluntarium indirectè: nam ad voluntarium indirectè non ſufficit quod voluntas poſſit prohibere, ſed requiritur etiam quod debeat prohibere, alioquin non imputatur, vt patet ex dictis 1. 2. q. artic. 3. Ex hoc capite inquit Caiet. *Excuſor ab homicidio, ſi petenti à me di-uite centum aureos, alioquin cogetur ire ad occidendum aliquem vel aliquos, vt tantum lucretur, nego & non do: quia licet poſſim dare, & ſic prohibere homicidia, non tamen teneor dare.* Vide etiam M. Soto lib. 5. de iuſt. q. 1. a. 9. vbi has tres conditiones explicat.

Secundo aduertendum eſt cum eodem Caietano. *Quando datur opera rei licitæ vnica opus eſt conditione, vt ſcilicet diligentem adhibeat diligentiam, ne mors ſequatur ex hoc, ne homicidium ſibi imputetur, ex negligentia ſi quidem imputatur.* Quæ autem negligentia ſuffi-

ficiat, vt homicidiũ imputetur dandi operam rei licitæ. Caietanus videtur inſinuare, ſolam illam negligentiam, quę peccatum mortale eſt, ad hoc ſufficere: nam ſolius huius negligentię meminit. Sed intelligendus eſt, vt homicidium caſuale imputetur ad culpam mortalem: nam ſi negligentia ſolum fuerit venialis, homicidiũ non erit niſi veniale; ait namque M. Soto loco proximè citato: *Non habere huiuſmodi homicidia plus culpæ, quam fuit in cauſa: ſiue cauſa fuerit datio operæ rei illicitæ, ſiue negligentia in re licita. Exempli gratia: prohibitus eſt clericus equum equitare, illum tamen aſcendit caſu, quo non erat niſi venialis culpa, & hominem infortunio peſſumdedit, vt habetur in cap. Dilectus, de homicidio, non eſſet niſi veniale peccatum. Pariter ſi dans operam rei licitæ, vt miles venator ex negligentia, quæ non ſatis circumſpexit, occidit hominem, ſi negligentia non fuit niſi venialis, homicidium non erit niſi veniale.*

An vero homicidium, quod ſolum eſt veniale peccatum in dante operam rei licitæ inducat irregularitatem, explicat ibidem ad finem corp. ar. M. Soto, aitque (& eſt communis ſententia) non inducere, *Difficile enim eſt creditu, quod irregularitas: quæ ceu pœna propter culpam imponitur, incurratur ex ſola veniali culpa.* Ex quo patet quod idbiem prędixerat: *Infirmorum cuſtodes, atque infirmaorios (dum infirmum in lecto mouent, vt vel aptius ei cibum miniſtrent, vel quietius iaceat, etiam ſi mors tantillum accele-*

leraret, nullam irregularitatem incurrere: quia dant rei licitæ operam. Niſi tam immodica eſſet negligentia, & iactatio illius, vt prudentum iudicio cenſeretur occiſio, atque adeo mortalis temeritas. Audiui de confeſſario, qui cum reum quendam ad patibulum comitaretur, & caſu iumentum, quo ille vehebatur pepuliſſet, inde ſcrupulum irregularitatis conceperit, quod ſua cauſa properantius eum morti obtuliſſet. At vero hæc ridicula ſunt. Simile eſt, quod hic ait Caietanus: *Tutè poſſunt ſacerdotes religioſi, ſeruiendo infirmis, eos etiam in finem vitæ voluere in lecto, vt quietius iaceant, &c. Nec oportet ſcrupulum inde capere, ſi mors forte ex hoc acceleratur. Quicquid enim licitum eſt conuerſis in hoc opere, licitum eſt ſacerdotibus Nec vllus eſt irregularitatis timor in propoſito, vbi nulla eſt culpa negligentiæ, quæ ita reum faceret conuerſum, ſicut clericum.*

Alij recentiores affirmant, etiam ſi ſacerdos cum plena aduertentia, & deliberatione, dum reus ad ſupplicium ducitur, conſilium daret capiendi viam breuiorem, aut diceret horam eſſe tardam, & populum nimis detineri, & ei, qui plectendus eſt ſuaderet, vt ſupponat caput ad excipiendum ictum, & carnifici, vt aptet aliquid, ſicque executionem iuſtitiæ accelleraret etiam notabiliter, non incurrere irregularitatem. Nam irregularitas, quæ oritur ex delicto, non incurritur, niſi propter peccatum mortale, quale nullus ex prædictis actibus eſt. Irregularitas autem, quæ ex defectu lenitatis naſcitur, ſolum incurritur

ab

ab his, qui aliquid faciunt, vt miniſtri publici iuſtitiæ: quia iura, in quibus ſupponitur hæc irregularitas, ſolum loquũtur de miniſtris Iuſtitiæ. Vide Dianam 3. p. tract. 5. miſcell. reſol. 79. vbi, & reſol. 80. addit, eãdem eſſe rationem, ſi ſacerdos interrogatus à iudice, an ſit obligatus ad occidendũ reum, reſpondeat eſſe obligatum, ſicq. non incurrere irregularitatem, etiam ſi reſpõdeat in particulari adeſſe obligationem occidendi reum.

Tertiò aduertendum eſt cum eodem Caietano: *Quando datur opera rei illicitæ, in littera dicitur, & communiter videtur confeſſum, quod imputetur ei homicidium ex illius opere conſequens. Nec oportet hic aliam apponere propriam conditionem.* Quę doctrina ſemper difficilis viſa eſt, eamque diſcipuli D. Th. variis modis explicuere.

Caietanus diſtinguit de imputatione ad pœnam, vel ad culpam. *Et quo ad pœnam irregularitatis* (inquit) *indiſtinctè intelligo, quod quando dat operam rei illicitæ imputatur ei homicidium conſequens ex ſuo opere ad pœnam irregularitatis.* Quoad culpam verò (ait) ſi eſt diligens ad cauendum ſequelam peccati, & omnem diligentiam adhibet, ne mors ſequatur, nõ imputatur illi homicidium, nec illius eſt reus, niſi in ſua cauſa, quod nihil aliud eſt, quã eſſe reũ illius rei illicitæ mortaliter, aut venialiter, cui dat operam; homicidij autem non niſi actus peccati mortalis, cui dat operam, de genere

ſuo fit via ad mortem. *Percutientem enim aliquem* (dicit) *quamuis nolit occidere, non excuſo ab homicidio: quia percuſſio via eſt ad mortem. Sed clericum mortaliter venationi vacantem ab homicidij culpa excuſo, quando nobilis laicus venationi vacans ab homicidij culpa excuſaretur, quia ſcilicet adhibita eſt omnis diligentia, ne cuiquam noceret venatio.*

M. Soto vbi ſupra dicit, nec etiam, quo ad pœnam irregularitatis imputari homicidium cuique danti operam rei illicitæ: nam hoc non habetur in iure, ſed eius interpretes illud inferunt ex contrario ſenſu, potiſſimum ex cap. *Ex literis* 2. & ex capite *Dilectus filius* De homicidio, vbi habetur, qui non dat operam rei illicitę, ſi non eſt negligens, non eſſe irregularem. Deinde, *Si clericus in adulterio deprehẽſus inuaditur, & cũ moderamine inculpatæ tutelæ inuaſorem occidit, quamuis operam daret rei illicitæ, non debet irregularis cenſeri: quia homicidium illud non eſt tunc voluntarium. Nam quamuis adulterium fuerit voluntarium, non tamen fuit per ſe cauſa homicidij, ſed vulneratio, quæ non fuit voluntaria. Rurſus in dicto c. Ex literis excuſatur ille monachus ab irregularitate, qui cum campanam de campanili deponeret, cadens lignum puerum oppreſſit. Fac opus illud fuiſſe ſeruile, & forſan in die feſto, aut contra præceptum prælati, deliquiſſe illo opere monachum, vtrum propterea eſſet irregularis? Profectò minimè credendum eſt. Item in dicto cap. Dilectus, excuſatur clericus, qui ſanitatis gratia*

aſcen-

aſcendens equum inopinato alterum interemit, vtrum ſi equitatio illa eidem clerico fuiſſet no cua, & contra iuſſum medici deliquiſſet, propterea eſſet irregularis? Profecto nulla eſt ratio, vt credas. Nam peccatum, quod fecit in cauſa, ex natura ſua nihil ad homicidium referebat. Vnde ipſe M. Soto docet, doctrinam eſſe intelligendam de re illicita, quæ ſolet eſſe cauſa homicidij, & periculoſa, & propter periculum prohibita. Vt ſi clericus torneamenta, atque alia pugnæ ſimulacra exerceat, quæ clericis vetita ſunt, quia periculoſa, ſi occidit, irregularis erit, quantumuis adhibeat ſufficientem diligentiam, ne ſequatur.

Denique Magiſtri Cano, & Peña relati à M. Bañes hic dubio 3. 2. p. tractatus dixerunt, nec incurri irregularitatem à dante operam rei illicitæ etiam periculoſæ, & propter periculum homicidij prohibitæ, ſi omnis adhibeatur diligentia, ne ſequatur occiſio. Quæ etiam videtur eſſe ſententia D. Th. 1. 2. q. 73. art. 8. nam de homine ait: *Propter negligentiam conſiderandi nocumenta, quæ ſequi poſſent, imputantur ad pœnam mala, quæ eueniunt præter eius intentionem, ſi dabat operam rei illicitæ.* Ergo ſi omnem adhibuit diligentiam, non imputantur ad pœnam irregularitatis, etiam ſi daret operam rei illicitæ cuicunque, cum non propter hanc, ſed propter negligentiam aſſerat S. D. imputari ad pœnam. Neque D. Thom. eſt ſibi contrarius, dum hic docere videtur, hominem, ſi dat operam rei illici-

tæ, quantumuis adhibeat diligentiam debitam, non euadere homicidij reatum, ſicque nec pœnam, ſi ex eius opere mors hominis ſequatur, vt indicant verba relata ante hoc dubium. Intelligendus enim eſt, quantum ad forum exterius: in quo, qui vacat rei illicitæ periculoſæ, & propter periculum prohibitæ, quantumcumque debitam diligentiam adhibeat, ſi mors ſequatur, ſemper præſumitur negligens, & iudicatur homicida, & irregularis, quamuis talis non ſit coram Deo.

De his tribus ſententijs hoc iudicium fert M. Bañes hic dubio 3. citato. Primam ait non eſſe ei veriſimilem, etiam in foro exteriori. Secundam eſſe probabiliorem tertia. Tertiam nihilominus probabilem eſſe.

Ego vero exiſtimo hanc tertiam probabiliorem eſſe alijs; ſi tamen per diligentiam adhibitam culpa homicidij ſufficienter caueatur. Quamuis enim irregularitas, quę non eſt pœna, poſſit incurri abſq; vllo peccato, vt patet in iudice: quę tamen pœna eſt homicidij, qualis eſt, de qua agimus, nequit abſque homicidij culpa incurri: immo M. Soto, vt hic paulo ante vidimus, difficile creditu eſſe dicit, irregularitatem incurri ex ſola veniali culpa homicidij. Idem aſſerit M. Bañes, hic dubio 2. quoniam alias (inquit) eſſet exceſſiua, & iniqua pœna; ergo ſi per diligentiam adhibitam culpa homicidij caueatur, non incurritur irregularitas à dante operam re

illicitæ, quæcumque illa ſit. Caueri autem poſſe culpam homicidij a dante operam rei illicitę, docet expreſse Caietanus, vt vidimus eius ſententiam referentes. Quamuis enim, qui dat operam rei illicitæ, quæ de genere ſuo eſt via ad mortem, qualis eſt percuſſio grauis, culpam homicidij committat, ac per conſequens pœnam irregularitatis incurrat, ſi inde mors ſequatur, vt colligitur ex cap. vltimo De homicidio in 6. vbi ſic dicitur: *Is, qui mandat aliquem verberari, licet expreſsè inhibeat, ne occidatur vllatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat. Cum mandando in culpa fuerit, & hoc euenire poſſe debuerit cogitare.* Ac per conſequens non adhibuit omnem diligentiam, quam tenebatur adhibere, abſtinendo ſe à tali opere mandando, quod via eſt ad mortem. Tamen, qui dat operam rei illicitæ, quæ de genere ſuo non eſt via ad mortem, etiã ſi periculoſa ſit, & prohibita propter periculum, quale eſt torneamenta exercere reſpectu clerici, non commitit homicidij culpam, ſi adhibita diligentia debita, ne mors ſequatur, hæc ſequitur caſu, & per accidens: cur enim clericus non excuſabitur ab homicidij culpa, ſicut nobilis laicus torneamenta exercens, ſi eandem, aut maiorem illo diligẽtiam adhibet, ne mors ſequatur?

Ad argumentũ autem factum in principio reſpondetur negando conſequentiam:

nam ſecundum iura, & forum externum dans operam rei illicitæ ſemper præſumitur negligens, & in eo ius nullam admittit ſufficientem diligentiam, ſicut illam admittit in dante operam rei licitæ: ſicque hic ſecundum iura, & forum exterius immunis ab homicidij irregularitate iudicatur, ſi diligentiam debitam adhibuiſſe probat; ille vero, ſi conſtat operam dediſſe rei illicitæ periculoſæ, & propter periculum prohibitæ, ſemper iudicatur irregularis, & homicida ob præſumptionem negligentiæ, ratione cuius culpa homicidij ei imputatur, nec contra hanc præſumptionem admittitur diligentiæ adhibitæ probatio.

QVÆSTIO LXV.

De Mutilatione membrorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum mutilare aliquem membro ſuo, in aliquo caſu poſſit eſſe licitum.

Concluſio eſt affirmans.

Dubium 1. An extra caſus numeratos à D. Tho mutilatio membrorum ſit licita.

PArs affirmans probatur primo exemplo S.Marci, de quo dicitur in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & refert Gloſſa in caput. *Si quis abſcidit,* diſt.55. *Marcus præſcidit ſibi pollicem, vt ſic fieret indignus ſacerdotio.* Sed hic caſus eſt extra numeratos à D.Th. ergo &c.

Secundo licet parentibus filios, quos voce plurimum Eccleſijs profuturos ſperant, amputare virilia, & efficere eunuchos: at hic caſus ſub nullo ex numeratis à D. Th. continetur; ergo, &c.

Dicendum tamen eſt 1. in duobus caſibus licitum eſſe mutilare aliquem membro ſuo. Primus, cum culpa eius id exigunt. Secundus, quando id neceſſarium eſt ad ſalutem totius corporis. Docet hoc

S ✠ 4 D.Th.

D.Tho. hic, vbi, & conſtituit differentiam inter primum, & ſecundum caſum. Nam in primo caſu: *Hoc non eſt licitum alicui priuatæ perſonæ, etiam volente illo cuius eſt membrum*. Sicque ſolum licitè fit per publicam poteſtatem. In ſecundo verò caſu, *Licitum eſt de voluntate eius cuius eſt membrum. Et eadem ratio eſt ſi fiat voluntate eius, ad quem pertinet curare de ſalute eius, qui habet membrum corruptiuum*. Vnde etiã ſi infirmus nollet ſibi membrum abſcindi, nec eſſent magni dolores ab eo perferendi, cogi poſſet, vt id permitteret, à Patre, ſi eſſet filius familias, à Domino, ſi eſſet ſeruus, & à Prælato, ſi eſſet Religioſus. A Republica ait M.Soto lib. 5. De Iuſtitia q. 2. art. 1. cogi non poſſet, quia Reſpulica in hoc nullum habet ius.

Si magnos infirmus dolores ſuſtinere deberet, ſubdit ibidem M.Soto à nemine cogi poſſe, nec ipſum teneri pati membri abſciſſionem; *Quia nemo tenetur tanto cruciatu vitam ſeruare. Neque ille cenſendus eſt ſui homicida. Immo vera eſt illa Romani (Marij) vox, dum crux illi aperiretur, non eſt tanto dolore digna ſalus*. Quamuis enim (inquit M.Bañes hic) homo teneatur conſeruare vitam propriam; non tamen per media extraordinaria. Vnde ſicut, ſi ad ſalutem communis ciuis eſſet neceſſaria medicina extraordinaria, ad quam emendam opus eſset ſoluere tria millia ducatorum, non teneretur eam emere; ita non tenetur infirmus pati membri abſciſſionem

cum

cum tam ingenti dolore. Niſi forte ſalus eius, ac vita eſſet bono communi neceſſaria: tunc enim ob publicum bonum teneretur pati, & ad id cogi poſſet, & à Republica.

Non ſolum alijs (aſſerunt prędicti Magiſtri) licitum eſt mutilare aliquem membro, aliquo ob ſalutem totius corporis, ſed etiam ipſi, quando periculum mortis imminet, tam ob morbum in corpore exiſtentem, quam etiam ob incendium, aut feram; vt enim effugiat, ſi manum alligatam habet, poteſt eam ſibi abſcindere. Addunt verò, hoc non eſſe licitum, ſi abſciſſio membri ſolum eſt neceſſaria ab extrinſeco ob malitiam tyranni minantis mortem, niſi ipſe homo ſe mutilet. Sed intelligendi ſunt, ſi tyrannus intenderet, vt ipſe homo in ſe ipſum manus inijciens peccaret, naturæ, & Deo membrorum noſtrorum domino iniuriã inferens. Alioqui probabilius, ac verius videtur, tunc licere: æquum enim eſt, vt vniuerſim liceat pro ſalute totius, quo perdito, & pars periret, membrum abſcindere. Sic Clitus iubente Ioſepho ſibi manum leuam abſcidit, vt ſaltem vnam retinere poſſet, vt refert Ioſephus libro 3. de bello Iudaico cap. 27.

Dicendum eſt 2. *Aliter aliquem membro mutilare eſt omnino illicitum*, Hanc concluſionem his eiſdem verbis docet D. Th. hic in fine corp. articuli. Vnde nec pro ſalute ſpirituali, aut propter quodcunque

peccatum vitandum, licitum eſſe membrũ præſcindere, docet in ſolutione ad 3 & probat auctoritate S. Chriſoſt. Hom. 63. in Matth. vbi exponens illud: *Sunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt, &c.* Inquit: *Non de abſciſſione membrorum dicit, ſed praua cogitationis interemptionem intelligit. Nam qui membrum incidit, maledictioni ſubiectus eſt. Nam cum homicidæ opus eſſe videatur, & Dei creaturæ apertè detrahit. Diabolica namque membrorum inciſio inuentionis opus à principio fuit, vt operi diuino detraheretur.* Et inferius ſubdit: *Ad ea, quæ dicta ſunt accedit, quod nec cupiditatis incendia mitigantur, ſed grauiora inflammatioraque redduntur.* Quod & aſſerunt Apollonius in Dialogo cum Dam. die apud Philoſtratum libro 1. capit. 21. & 23. Arnobius libro 5. aduerſus gentes pag. 204. & S. Baſil. libro de vera virginitate verſus finem, S. Auguſt. libro 5. contra Iulianum capit. 4. Sanctus Iſidorus libro 10. Originum, Sanctus Cyrillus Diſſertatione aduerſus libidinem apud Suidam in *Spado*, & alij. Indicat etiam quod dicitur Sapient. 3. verſic. 14. *Beatus eſt eunuchus, qui manu flagitium non exercuit.* Ita legit S. Cyrillus vbi ſup. & ſignificari ait, eunuchos manibus, & digitis corrumpere mulieres, & iſtam impij facinoris fœditatem furioſè perpetrare, & Eccleſiaſtici 20. v. 2. *Concupiſcentia ſpadonis deuirginauit iuuenculam*, & c. 30. v. 21. *Sicut ſpado complectens virginem, & ſuſpirans.*

Nec

Nec contra cõcluſionem eſt, quod refert S. Hieronym. in vita S.Pauli Hæremitę de quodam Chriſti milite, qui ſibi linguam abſcidit, ne libidini conſentiret, meretrice manibus virilia eius attrectãte iuſſu tyranni. Nam vt ibidem ait S. Hieronym. illud fecit *Cœlitus inſpiratus*. Ex diuina autem inſpiratione id licitum eſſe, non negat noſtra concluſio, ſicut, & de ſui ipſius occiſione diximus ſupra quæſtione 64. articulo quinto.

Ad 1. autem factum in principio reſpõdetur cum eadem Gloſſa ibidem dicente: *Hæc non ſunt trahenda ad conſequentiam*. Illud enim fecit Marcus ex diuina inſpiratione. Vel ſi ille non fuit S. Marcus Euangeliſta, ſed alius Marcus Anachoreta, vt oſtendit Baronius circa annum 45. laborare potuit ignorantia inuincibili, eaque excuſari, ſicut, & de S. Apollonia, quæ carnifices prę ueniens exiliuit in flammas, M. Soto lib. 5. de iuſtitia, q. 1. art. 5. circa finem ait: *Quod per inuincibilem ignorantiam ſit excuſanda*. Alioquin Marcus ille laudandus non eſſet, ſicut nec Origenes: *Qui* (vt ibidem refert Gloſſa) *ſe eunuchum fecit, vt liberius in occulto poſſet prædicare tempore perſecutionis Eccleſiæ mulieribus*.

Ad 2. M.Salon hic controuerſia 2. concedit maiorem, nempè licere parentibus, filijs, quos voce plurimum Eccleſijs profuturos ſperant, ãmputare virilia, & efficere eunochos, dum tamen id fiat ſine periculo vitæ, & de eorum conſenſu. Negat tamen

S ✠ 6 hoc

hoc eſſe contra doctrinam D. Thom. nam cùm ait, illicitum eſſe aliter, ſeu extra duos prædictos caſus aliquem membro mutilare, intelligendus eſt, niſi hoc neceſſarium, aut vtile ſit bono communi: quamuis autem eunuchi non ſint neceſſarij, vtiles tamen ſunt bono communi Eccleſiarum.

Alij maioré negant, illud enim nõ licere putant, non ſolum ob varia animæ pericula, & incommoda, quæ hinc conſequi ſolent, ſed etiam, quia bonum illud tanti momenti non eſt, vt ob id res tam per ſe à natura aliena ſuſcipiatur, cum nec pro ſalute ſpirituali, aut periculo animæ vitando id licitum eſſe aſſerat D Thom. de quo vide Dianam par. 3. tractat. 5. miſcell. reſolutione 38.

Dubium 2. An mutilatio membrorum inducat irregularitatem.

DVpliciter mutilatio accipi poteſt, actiuè ſcilicet pro actione mutilantis, & paſſiuè pro carentia membri in mutilato. De illa vtroque modo accepta hic eſt ſermo.

Dicendum eſt primò. Mutilationem actiuè irregularitatem inducere in mutilante. Certa hæc concluſio eſt: vnde M. Soto lib. 5. de iuſtitia, q. 2. ar. 1. ait. *Certum eſt mutilantem irregularitatem contrahere. Nam cũ tot capitulis citatis in titulo de homicidio conſtitutum ſit, homicidium irregularitatẽ in-*

inducere: & membrum quodcunque pars ſit vitæ: conſequens ſit, vt mutilator quadantenus homicida cenſeatur, hoc eſt membri occiſor, atque adeo irregularis, vt optimè Doctores notant poſt Gloſſam ſupra citatam in Clementinam de homicidio, vbi ambo componuntur verba, occidere, & mutilare. Verba Gloſſæ hæc ſunt; *Nota quo ad irregularitatem mutilationem homicidio comparari.* Aduertit autem M. Bañes hic quæſt. 64. art. 8. in 3. par. tractatus, hoc intelligendum eſſe, niſi forte mutilatio fiat cauſa ſanitatis; tunc enim ipſe chirurgus non manet irregularis: & ita receptũ eſt ſecundum communem ſententiam Doctorum. Quam tenet Nauarrus capit. 27. num. 219.

Duo tamen hic difficultate non carent. Primũ, an ſufficiat ad irregularitatem, membrum debilitare, aut mortificare? M. Soto vbi ſupra reſpondet: *Non ſufficit ad irregularitatem, quod quis membrum debilitet: immo forte neque, quod ipſum citra decruncationem mortificet. Nam pœnæ ſunt reſtringendæ, & non loquuntur niſi de mutilatione.* Idem aſſerit M. Bañes vbi ſupra. Et quidem, quod attinet ad debilitationem conceditur ab omnibus. Quod vero attinet ad mortificationem exponẽdi ſunt ſapientiſſimi magiſtri de ea mortificatione, qua licet membrum interius viuat, ac anima informetur; exterius tamen quaſi aridum, ac mortuum apparet, quia inutilè factum eſt, ad ſuum munus exercendum, quale eſt, de quo dicitur cap. *Sicut vrgeri* 1. q. 1. *Si cuius manus*

eſſet

eſſet arida, verum quidem eſſet membrum,&c. Nam ſi ſermo ſit de ea mortificatione, qua membrum verè ſit aridum, & mortuum, falſum videtur non ſufficere ad irregularitatem. Tum propter rationem Mag.Soto, quia,qui totaliter mortificat membrum, cenſetur membri occiſor, atque adeo irregularis. Tum etiam, quia alias ſi vnus mẽbrum ita mortificaret, vt verè eſſet mortuum, & alius hoc membrum, ita mortificatum abſcinderet, nullus illorum maneret irregularis: ſecundum enim non manere irregularem patet, nam eadem eſt ratio de hoc, ac de illo, qui cadauer detruncat, vel mutilat, de quo manifeſtum eſt nõ incurrere irregularitatem, docetque Nauarrus cap.27. num. 219. ergo ſi primus irregularitatem non incurreret, nullus maneret irregularis, quod eſt inconueniens. Tum deniq; quia talis mortificatio membri verè, & ſubſtantialiter eſt mutilatio, cum relinquat corpus vno membro priuatum, hocque ab illo diſcontinuet; ergo irregularitatem inducit. Et ita ſentit P.Suarez tomo 5. in 3. part. diſput. 44. ſect. 2. num.11.

Secundum, quid nomine membri ſit hic intelligendum? Multi ex Iuriſperitis, quos ſequuntur Nauarrus cap. 27. nu. 206. & M.Bañes hic q.64.art.8.in 3.p. tractatus, dicunt,per membrum hic intelligendum eſſe, partem principalem, quæ habet officium per ſe diſtinctum, eſtque quaſi integrum inſtrumentum proximum alicuius

actio-

actionis, vt pes, manus, oculus. Ex quo inferunt auriculam, aut digitum non eſſe membrum; ſicque abſciſſionem vnius auriculæ, aut vnius digiti non ſufficere ad irregularitatem, quia non eſt mutilatio alicuius membri. Idem dicunt aliqui de abſciſſione mamillæ mulieris. Hoc tamen non placet M. Bañes, quia mamilla mulieris habet ſpecialem operationem, ſcilicet ſanguinem decoquere, quouſque conuertatur in lac, ſicque verè corporis humani eſt membrum. Caietanus verò hic, & M. Soto vbi ſupra, quos ſequuntur P. Suarez vbi ſupra num. 8. & alij recentiores, docent, de ratione membri in ordine ad mutilationem, & irregularitatem non eſſe, vt per ſe habeat aliquem actum, vel officium, ſed ſatis eſſe, vt ſpecialem cooperationem habeat ad officium membri principalis; quam, quia habet digitus, inter membra cōputandus eſt: & idem eſt de auricula. Vnde quamuis, qui vulnerat etiam cum maxima ſanguinis effuſione, & abſciſſione alicuius partis carnis non ſit irregularis, vt docet Nauarrus cap. 27. nu. 222. quia nullum membrum mutilat: qui tamen ſibi, aut alteri digitum, aut auriculam abſcindit, irregularis efficitur, quia auris multum præſtat ad organum auditus, & digitus ad manum, ſicque horum abſciſſio verè mutilatio eſt membri. Vtraque ſententia eſt probabilis. Mihi tamen hæc ſecunda tutior, ac probabilior videtur. Qui vnum enim ſibi, aut alteri oculum eruit, irregularis eſt, ergo

&

& qui vnum digitum abſcindit, nam ſicut digitus non eſt integrum inſtrumentum actionis, ita nec vnus oculus, cum ex duobus oculis vnum integrum fiat organum: & ſubiectum viſus, vnicaque ſit operatio amborum, vt diximus 1.p.q.78.art.3.dub.1 concl.1. Item qui ſibi, aut alteri naſum abſcindit irregularis fit; ergo, & qui auriculã præſcindit: vtraque enim abſciſſio eſt grauis mutilatio corporis, quæ magnã inducit deformitatem in parte ſuperiori, & publica. Et quamuis non ſit verum, quod cum Guillelmo quodam videtur aſſere Syluester verbo *Homicidium* 3. q. 3. nu. 3. ſolam deformationem ſine mutilatione ſufficere ad irregularitatem in deformante, ſicut ſufficit in deformato: quando tamen deformatio eſt cum mutilatione, irregularem efficit etiam deformantem.

Si quæras, an qui procurat abortum opere ſubſequuto, maneat irregularis? Reſpondetur: ſi fœtus erat animatus, irregularem manere procurantem abortum, quia eſt manifeſtum homicidium. Si vero nõ erat fœtus animatus, non fieri irregularem, nam nec eſt ibi homicidium, nec membri alicuius mutilatio, cum conſtet fœtum nõ eſſe membrum corporis fœminæ. Verum eſt Sixtum V. irregularitatem extendiſſe ad eum caſum, in quo fit abortus ante animationem fœtus. Sed poſtea Greg. XIV. Conſtitutionem Sixti reuocauit, & ad terminos iuris communis reduxit. Vide P. Suarez vbi ſupra num. 13.

Si

Si quæras 2. an qui dubius eſt, mutilauerit ne alium, debeat ſe gerere, vt irregularis? Reſpondet Diana p. 3. tract. 5. miſc. reſol. 72. nequaquam. Nam licet communiter Doctores aſſerant cenſendum eſſe irregularem illum, de quo eſt dubium an homicidium commiſerit, vt colligitur ex cap. *Ad audientiam*, De homicidio: hęc tamen doctrina extendenda nõ eſt ad dubium mutilationis, quia mutilatio non eſt homicidium: immo nec ad dubium homicidii iuſti, v.g. in bello commiſſi, quia iura loquuntur de caſu homicidii prohibiti, & odia ſunt reſtringenda. Et multo minus extendenda eſt ad alia dubia facti; & ita qui dubitat an legitime natus ſit, aut vtrum vxor vnica acceſſerit virgo, poteſt ita præſumere, & ſacros ordines ſuſcipere. Ratio eſt, quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus iure expreſſis cap. *Is qui*, De ſent. excom. in Sexto: ſed in iure tantum pro dubio homicidii incurritur irregularitas; ergo in aliis dubiis præter homicidiũ ſtandum eſt illis regulis iuris communis aſſerentibus in dubiis neminem condemnandum, in pœnis benigniorem interpretationem faciendam, & ita docent Henriquez lib. 14. capit. 3. numer. 4. & alii. Oppoſitum tamen mihi probabilius videtur ſicut, & tutius. Tum quia, vt ait Gloſſa in Clement. De homicidio, quo ad irregularitatem mutilatio homicidio comparatur, vt patet ex verbis eius in principio concluſionis relatis. Tum etiam, quia in cap. *Ad*

au-

audientiam, De homicidio, ideo decernitur, illum, qui eſt dubius de homicidio, debere ſe gerere, vt irregularem, *Cum in dubijs ſemitam debeamus eligere tutiorem*. Et idem decernitur in cap. *Significaſt*: 2. eodem titulo. *Cum in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam temere celebrare*. Sed hæc ratio etiam procedit de illo, qui eſt dubius de mutilatione; ergo, &c. Tum denique, quia in iure non eſt ſtatuta irregularitas pro dubio homicidii, ſed quia ſtatuta eſt pro homicidio, decernitur in prædictis capitibus, illum qui eſt dubius de homicidio, debere ſe gerere, vt irregularem, quia hoc eſt tutius: ſed etiam pro mutilatione ſtatuta eſt irregularitas, vt patet ex Clementina citata, & ex cap *In Archiepiſcopatu*, De raptoribus, vbi ſupponitur irregularitatem incurri, tam pro homicidio, quam pro mutilatione; ergo, qui dubitat, an mutilauerit alium, debet ſe gerere, vt irregularis, ſicut qui dubitat, an alium occiderit. Ex quo patet ad rationem factam pro contraria ſententia, quod ſit reſpondendum: in iure enim expreſſum eſt, irregularitatem incurri propter mutilationem, ſicut & propter homicidiũ. Si dubiũ eſſet inter DD. an eſſet lata pœna irregularitatis à iure contra mutilantem, qui mutilauit, non eſſet cenſendus irregularis, ſed cenſendum eſſet potius, non eſſe conſtitutam irregularitatis pœnam, cum in iure nõ exprimatur, & in dubio an lex ſit lata, melior ſit conditio poſſidentis libertatem à tali lege. Cum tamen certũ

ſit

ſit irregularitatem à iure eſſe conſtitutam contra mutilantem, qui dubitat an mutilauerit, vt irregularis ſe debet gerere, ſicut & qui dubitat an fuerit homicida: alias nec ſe deberet gerere, vt excommunicatus, qui dubitat an fuerit manifeſtus clerici per cuſſor. Vide quæ diximus 1. 2. q.19 art.6. dub.5. Vide ibidem etiam, P. Vaſquez diſp. 66.cap.1.M.Lorca diſp. 38. membr.4.circa finem, D.Monteſinos q.21.art.4.diſp.29.]. 4. § 2.qui omnes, & alii quamplures noſtram tenent ſententiam.

Dicendum eſt 2. mutilationem paſſiuè acceptam irregularitatem inducere in mutilato, ſi carentia membri impotentiam vtendi ordine, aut notabilem defectum, vel deformitatem, ita vt ſine ſcandalo, & indecentia nequeat celebrare, inducat. Docet hoc Caietan. hic vbi ſic habet: *Videtur mihi diſtinguendum de mutilante, vel mutilato, quo ad irregularitatem; quia ad mutilantem ſufficit abſcindere digitum ſibi, vel alteri, ad hoc vt ſit irregularis: ad mutilatum vero non, quia oportet, quod membrum abſciſſum inducat, vel impotentiam, vel enormem defectum, vel deformitatem, ſeu ſcandalũ, &c. vt patet in iure*. De impotentia quidem ex cap. *Thomas*, de corpore vitiatis, vbi de carente vngula pollicis dicitur: *Si ad frangendam Euchariſtiam ſit in pollice ipſo potens, non dimittas quin eum ad ordinem promoueas ſacerdotis*. De enormi defectu, ex cap. *Expoſuiſti*, eodem titulo, vbi de mutilato manu dicitur: *Cum pro tam enormi defectu ad*

ſacros non poſſit ordines promoueri. De deformitate, ex capit. *Si euangelica*, diſt. 55. vbi dicitur: *Illi, cui erutus eſt oculus, non poſſunt ſecundum Canones ſacerdotij iura concedi*. de ſcandalo, ex cap. *de presbytero*, de corpore vitiatis, vbi de quodam presbytero, qui in duello partem digiti amiſit, dicitur; *Quod cum ipſe non perdiderit tantum de digito, quin ſine ſcandalo poſſit ſolemniter celebrare, potes permittere in ſuo ordine miniſtrare*. Niſi autem hæc afferat mutilatio, non inducere irregularitatem in mutilato, conſtat ex cap. *Eunuchus*, diſt. 55. vbi ſic dicitur: *Eunuchus ſi per inſidias hominum factus eſt, vel ſi in perſecutione eius ſunt amputata virilia, vel ſi ita natus eſt, & eſt dignus, fiat Epiſcopus*. Et ex capite, *Ex parte* 1. De corpore vitiatis, vbi ſic ſcribitur: *Non credimus ei impedimentum afferre, quominus poſſit promoueri, qui in cunabulis factus fuit*.

Subdit verò Caietanus, hoc intelligendum eſſe, quantum eſt ex parte membri: nam ex parte cauſæ, quamuis conſentientes propriæ mutilationi ex cauſa rationabili, & neceſſaria, nempè propter neceſſitatem medicinæ, non ſint irregulares, vt cõſtat ex cap *Si quis*, diſt. 55. vbi ſic habetur: *Si quis pro ægritudine naturalia à medicis ſecta habuerit, ſimiliter, & qui à barbaris, aut dominis ſuis fuerint caſtrati, & moribus digni fuerint viſi, hos canon admittit ad clericatus officium*. Et ex cap. *Ex parte* 2. De corpore vitiatis, vbi de quodam presbytero, qui de conſilio medici virilia ſibi fecit abſcindi, vt

à gra-

à graui lepræ infirmitate poſſet liberari, dicitur: *Canones Sanctorum Patrum hunc à ſacri altaris miniſtratione nõ prohibent*. Tamen culpabiliter ſe mutilantes, irregulares ſunt, vt patet ex cap. *Ex parte* 1. De corpore vitiatis, vbi dicitur: *Secundum ſtatuta Nicæni Concilij illi ad clericatus ordinem prohibentur accedere, qui ſe ipſos ſani abſciderunt, vel affectauerunt, vt ab alijs abſcinderentur*, & ex c. *Si quis*, diſt. 55. vbi hæc habentur: *Si quis abſcidit ſemetipſum, id eſt ſi quis amputauit ſibi virilia, non fiat clericus*, & ex ca. *Qui partem*, eadem. diſt. vbi ſic ſcribitur: *Qui partem cuiuslibet digiti ſibi ipſi volens abſcindit, hunc ad clerum canones non admittunt*. Quod explicans Nauarrus cap. 27. num. 198. inquit: *Non eſt irregularis ob defectum membri, ſed ob notorietatem peccati, quod abſcidendo committit*.

Aduertendum etiam eſt mutilationem, quæ irregularitatem inducit in mutilato, aliter eam inducere ante ordinationem, ac poſt illam, nam antecedens omnino impedit ſacerdotium, ac ſacrorum ordinum ſuſceptionem, ſubſequens vero ordinationem ſine culpa ad illum tantum vſum ordinis irregularitatem inducit, qui ſine ſcandalo, vel periculo exerceri non poteſt. Vnde ſacerdos, cui manus v.g. ſine culpa abſciſſa eſt, licet celebrare non poſſit, poteſt tamen confeſſiones audire. Si vero abſciſſio manus anteceſſiſſet, nullo modo poſſet ordinari. Vide P. Suarez tom. 5. in 3. p. diſp. 51. ſectione tertia, num. 13.

AR-

Vtrum liceat patribus verberare filios, aut dominis ſeruos.

Concluſio eſt affirmans.

ADuertit hic Caiet. vulnerationem reduci, non ad mutilationem, eo quod vulnerans nulli eſt cenſuræ obnoxius, vt patet ex dictis art. præced. dubio ſecundo, conc. 1. ſed ad verberationem. Ex quo non ſequitur, licere patribus vulnerare filios, aut dominis ſeruos: nam vulneratio ad atrocem verberationem pertinet, quæ neque parentibus, neq; dominis licet.

Si quæras, an liceat patribus verberare filios clericos? Reſpondet Syluester verbo *Excommunicatio* 6 §. *Sciendum quarto*, num, 8. id magiſtris, & parentibus licere cauſa diſciplinæ, etiam ſi diſcipuli, & filij clerici ſint in ſacris conſtituti. Idem eſt de prælatis: certum enim eſt poſſe ſubditos etam ſacerdotes flagellis cædere more conſueto. Ait tamen M. Soto lib. 5. De Iuſtitia, q. 2. articulo 2. *An vero ex bili arrepto fuſte poſſit eos ferire, neſcio an liceret: quia cum modus non ſit conſuetus, minimè apparet tam caſtigatio, quã iniurioſa læſio.* Sicque in ſententiam excommunicationis incurreret, ſicut etiam ſi ira quadam ſubditum pedibus conculcaret, aut

aut alapis cæderet Poſtquam tamen cœpit iam iuſto, & modo conſueto punire prælatus ſubditum, inquit M. Soto: *Quamuis aliquo modo excedat etiam vſque ad ſanguinis effuſionem, dum tamen id præter ſuam intentionem accidat, non eſt cenſendus incurrere, poſtquam dat operam rei licitæ. Quando vero vſq; adeo eſſet exceſſus enormis, vt odij indicium exiſteret, tunc ſanguinem fundens canonem incurreret.*

Si clericus ſe ipſum verberando enormiter excederet, ſeſeque irato animo percuteret, multi affirmant excommunicationem Canonis, *Si quis ſuadente*, incurrere. Ita P. Suarez tom. 5. in 3. p. diſp. 22. ſect. 1. num. 59. vbi citat Panormitanum, & Nauarrum. Alij id negant: quia prædictus Canon loquitur de perſona diſtincta percutiente clericum, & deiniiciente manus violentas, qualis non eſt ipſemet clericus. Vide Dianam 3. p. tract. 5. miſcel. reſol. 81.

ARTICVLVS III.

Vtrum liceat aliquem hominem incarcerare.

Concluſio eſt affirmans.

CIrca ſolutionem tertii, vbi D. Thom. ait: *Detinere hominem ad horam ab aliquo opere illicito ſtatim perpetrando, cuilibet licet.* Aduertunt aliqui, hoc eſſe intelligendum, ſi opus illicitum ſit contra iuſtitiam, vel ſcandaloſum: nam ſi ſolum fuerit contra temperantiam, aut caſtitatem, vel alias virtutes, non liceret cuilibet, hominem detinere vi, cum ſit dominus ſuarum actionum, ſed ſolum ei, qui habet iuriſdictionem ſupra illum, vt à pedagogo ipſius, a magiſtro, à præfecto ipſius domus. Ita M. Bañes hic dubio 1.

M. Soto lib. 5. De Iuſtitia, q. 2. art. 3. ad. 2. ait: *Licet vnicuique dilectorem, qui ſibi iniuriam irrogauit, ad horam detinere, dum eum tradat iuſtitiæ miniſtris.* M. Bañes hic dub 2. id ſolum verum eſſe dicit in caſu quo talis detentio haberet rationem defenſionis: vt ſi ille adhuc pergeret in facienda iniuria, & nocumento, & in auferendo à me bona mea: quia tunc eſt in fragranti delicto. Sed mihi doctrina M. Soto placet: cur enim non licebit cuique furem, qui ipſi centum

au-

aureos diebus aliquot præteritis abſtulerat, cum illum inuenit, detinere ad horam, vt comprehendatur à iuſtitiæ miniſtris, ſicq; ſuam pecuniam recuperet? Idem eſt de homicida patris, contra quem filius petit vindictam, & de virginis ſtupratore, contra quem pater ſatisfactionem petit apud iudicem.

Circa art. 4. nihil ſe offert dicendum. Vide Caiet.

QVAESTIO LXVI.

De peccatis iuſtitiæ oppoſitis.

ARTICVLVS I.

Vtrum naturalis ſit homini poſſeſſio exteriorum rerum.

Concluſio eſt affirmans.

Vtrum liceat alicui, rem aliquam, quaſi propriam, poſſidere.

Concluſio eſt affirmans.

HIc de dominio agendum eſt; quamuis enim multi de eo agant ſupra ante quęſt. 62. nullus tamen, hoc, eſt locus proprior huius tractatus.

Dubium 1. *Quid ſit dominium, quid vſus, & quid poſſeſſio.*

HOrum trium mentionem facit D. T. art. 1. vnde quid ſit vnumquodque explicare oportet. Omiſſa autem nominis deſcriptione.

Dominium ſic definit M. Soto lib. 4. de iuſtitia, q. 1. art. 1. *Eſt propria cuiuſque facultas, & ius in rem quamlibet, quam in ſuum ipſius commodum vſurpare poteſt quocunque vſu lege permiſſo.* Quæ definitio ideo nobis magis placet, quod non obſcurè colligitur ex D. Thom. hic art. 1. dicente: *Habet homo dominium naturale exteriorum rerum: quia per rationem, & voluntatem poteſt vti rebus exterioribus ad ſuam vtilitatem.*

Facultas, loco generis ponitur. Dicitur autem facultas, non quidem remota, ſed pro-

propinqua poteſtas. Additur vero, *& ius*, vt explicetur, quæ facultas, aut propinqua poteſtas ſit dominium. hic namque ius nō pro lege accipitur, ſed pro legitima poteſtate.

Propria, dicitur, vt diſtinguatur dominiū à poſſeſſione mera, quæ abſque proprietate eſt, cum res non ſit poſſidentis, neque hic propriam facultatem habeat, ſed meram detentionem, aut ius detinendi.

In rem, ponitur ad denotandum diuerſā facultatem, & ius eſſe dominium à titulo dominij. Enim vero titulus baſis dominij eſt, ſeu radix, ex qua pullulat, iuſque non in rem, ſed ad rem. Eſt autem dominiorum titulus, vel natura, vel lex, vel contractus, vel electio, vel aliud ſimile, per quod non dum habetur ius in re, ſed ad rem.

Quamlibet, additur non enim ſolum in res alias, ſed etiam in proprij corporis mēbra (in quæ teſte Ariſt. 1. Polit. cap. 3. anima habet dominium, ſeu ſpoticum imperium) quoad eorum actiones eſt in homine per propriam voluntatem dominium: vnde operas ſuas locare, ac vendere poteſt. Similiter etiam non ſolum eſt dominium reſtringendum ad res corporales, vt reſtringunt Iuriſperiti, ſed extendendum eſt ad eas, quas ijdem Iuriſperiti vocant ſpirituales, quales ſunt officia, & iura: nam horum etiam eſt dominium, cum emantur, & vendantur.

Quam in ſuum ipſius commodum vſurpare

poteſt, dicitur: quo dominium differt ab alijs iuris ſpeciebus, quibus ſuperior inferiores ob ipſorum commodum, ac bonum gubernat: neque enim iudex, aut prælatus, etſi ius habeat in ſubditos, dicitur propriè ipſorum dominus. Princeps etiam licet dominus ſit vrbium, & poſſeſſionum: ciuium tamen non eſt dicendus niſi Rex, aut Dux &c. Immò vero cum dominatu agit in ſubditos, vtendo ſcilicet illis ad ſuam propriam vtilitatem, tyrannus fit.

Quocumque vſu, dictum eſt, vt diſtinguatur dominium ab vſu, & vſufructu. Eſt enim dominium facultas, non ſolum vtendi, fruendique re, verum & ipſam diſtrahendi, donandi, vendendi, negligendi, &c. ſicque eam quocunque vſu vſurpandi.

Lege permiſſo, eſt additum explicationis gratia, vt intelligeremus, illum vſum debere eſſe lege permiſſum. Ex quo fit, pupillum ante legitimam ætatem, licet non valeat bona ſua donare, aut vendere, illorum dominum eſſe, cum iure liber, & non ſeruus ſit: quia vſus dominij ei ob bonum ſuum interdicitur; ſicque quamuis facultatem vtendi, quæ eſt dominium, quaſi ligatam, & impeditam habeat: reuera tamen ipſam habet, non minus quam, qui ligatos pedes habet, deambulandi potentia non caret. Idem eſt de primogenito, cuius bona vinculo primogenituræ obligata ſunt: eſt enim verè eorum dominus, alias illa bona carerent domino; quãuis illa non poſſit ratione aliqua alienare,

eo

eo quod ciuili ſit lege prohibitus, ſicut & pupillus.

Dominium directum, quod retinet, qui rem dedit in emphyteuſim, & dominium vtile, quod habet emphyteuta, à dominio hic definitio excludi nonnulli putant. Sed inconueniens ſequeretur idem, quod de bonis primogeniti, carere ſcilicet domino. Vnde dici poteſt. vtrumque eſſe verum dominum, impeditum tamen: directum quidem, ne rem vendere poſſit, eiuſque pretium, & fructus percipere; vtile vero, ne eam vendere poſſit, aut immutare ſine directi domini facultate, pro qua aliquid ſoluere tenetur. Vel dic, huiuſmodi duo dominia eſſe partes quaſi integrantes pleni dominij, quod habebat, qui rem dedit in emphyteuſim, antequam illam daret; qua data, dominium ſuum quaſi in partes diuiſit, & partem emphyteutæ dedit, & partem ſibi & ſuis retinuit.

Vſus eſt, quidam nudus, & alius, qui dicitur, vſus fructus; quos ſic definit M. Soto vbi ſupra: *Vſus fructus eſt ius alienis vtendi ac fruendi rebus, ſalua eorum ſubſtantia. nudus autem vſus eſt, ius alienis rebus vtendi ſalua earum ſubſtantia, non tamen fruendi.* Quas definitiones ſumpſit ex Inſt. De vſu fructu & vſu. ſubditque cum eiſdem Inſtit. *Quo circa minus iuris eſt in vſu, quam in vſufructu. Fruitur enim ille re, qui in fructus habet plenam poteſtatem: quos ſcilicet non ſolum edere, verũ quomodocunque alienare poteſt: vtitur autem, cui tantum illis veſci licet, vel*

 ſua

ſua alere armenta: haud tamen illos aliter diſtrahere: vt qui habet nudum vſum agri poteſt illuc intrare, comedere poma, & feno iumenta ſua & pecudes paſcere; vendere tamen fructus, aut locare non item. Qua propter in vtraque diffinitione dictum eſt, alienis rebus, quoniam verus dominus non dicitur vſuarius, aut vſufructuarius, ſed ille, qui præciſum habet vſum, vel vſumfructum.

Salua earum ſubſtantia, dicitur ad differentiam dominij: dominium enim eſt facultas in ſubſtantiam rei, vſus vero, aut vſufructus non niſi in eius qualitates, & accidentia. Vnde vſuarius, aut vſufructuarius debet rem integram proprietario, ſeu domino reſeruare.

An vero in rebus, quæ vſu conſumuntur, diſtinguatur vſus à dominio, fuit olim maximè controuerſum, de eoq; cōtrariç extiterunt opiniones etiam inter Summos Pōtifices, quod in quæſtionibus ad fidem non pertinentibus non eſt inconueniens. Nicolaus enim IIII. vt patet ex cap. *Exijt qui ſeminat*. De verb. ſignif. in ſexto dixit, dominium ab vſu harum rerum diſtingui. Ioannes autem 22. vt conſtat in extrauag. *Ad conditorem*, de verborum ſignif. aſſeruit, non diſtingui. Conciliari tamen poſſunt dicta horum Pontificum, ſi notauerimus cum M. Soto vbi ſupra, & alijs; vſum rerum, quæ vſu conſumuntur, duplicem eſſe poſſe: alterum independentem à voluntate alterius: alterum à volunrate alterius dependentem. Exemplum primi habe-

mus

mus in comeſtione panis mutuo accepti; ſecundi vero in comeſtione panis in conuiuiō oblati. Prima namque comeſtio, & vſus panis independēs à voluntate alterius, cum etiam nolente eo, qui mutuum dedit, poſſit comedi panis. Secunda vero cometio eſt vſus panis dependens à voluntate eius, qui conuiuio excepit, nam hic poſſet panem de medio tollere. Si de primo vſu ſit ſermo, non diſtinguitur à dominio, vt colligitur ex D. Thom. infra quæſt. 78. art. 1. Et de hoc intelligendus eſt Ioan. 22. Si vero loquamur de ſecundo vſu, à dominio diſtinguitur: nam quilibet particularis monachus habet ſimilem vſum rerum, quas comedendo abſumit, dependentem à voluntate ſui prælati, aut conuentus; cum tamen eius dominium, & proprietatem non habeat, ſed monaſterium. Et de hoc loquitur Nicolaus IIII. occaſione fratrum Minorum. Quod enim de quolibet particulari monacho aliarum Religionum dicitur, aſſerunt fratres Minores de conuentibus ſuæ religionis, & de toto ordine, ſolum ſcilicet vſum rerum etiam comeſtibilium habere; dominium vero illarum eſſe penes Summum Pontificem, & Eccleſiam Romanam Et quamuis apud Sedem Apoſtolicam non eſſet, maneret apud eos, qui eleemoſynas conferunt fratribus illius Ordinis: nam quamuis fideles eas abſolutè dent, Religio tamen illas iuxta ſua ſtatuta non admittit, niſi ad vſum dependentem à voluntate ipſorum,

vel Sedis Apoſtolicæ. Hinc fit, hunc ſecundum vſum non contineri ſub vſu à nobis, & à iure definito, cum nequeat eſſe ſalua rerum ſubſtantia: vnde merito à Nicolao IIII. vbi ſupra appellatur. *Vſus non iuris, ſed facti.*

Poſſeſſio definitur à Syluestro verbo *Dominium*. quæſt. 2. cum Hoſtienſe ſic: *Eſt corporalis rei detentio, corporis & animi & iuris adminiculo interueniente*. Corporalis rei detentionem dixit: quia ex Iuriſperitis eam accipit definitionem, qui incorporea dicunt non poſsideri, ſed quaſi poſſideri. Sed quia à Theologis res incorporeæ, vt cenſus, beneficia, ſeruitutes, & ſimilia poſsideri dicuntur, ideo excludendam eſſe cenſemus vocem, corporalis, à definitione poſſeſsionis.

Detentio autem rei apprehenſionem includit, quæ eſt quædam poſſeſsionis inceptio. Indiget vero poſſeſsio adminiculo corporis: quia vt res aliqua incipiat poſſideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi manibus, vel pedibus, aut ſimili modo. Animi etiã adminiculo: quia debet res apprehendi animo poſsidendi; ob cuius defectum depoſitarius non dicitur poſſidere depoſitum. Iuris denique adminiculo: quia ſi ius impedit, ne talis cenſeatur poſſeſſio, vt impedit, ne talis cenſeatur detentio rei ſacræ, vt loci religioſi à laico facta, non erit poſſeſſio.

Hæc diſinitio eſt poſſeſsionis ſumptæ pro actu poſsidendi, quæ & poſſeſsio facti di-

dicitur. Si autem illam, vt ſumitur pro iure poſſidendi, quæ & poſſeſsio iuris dicitur, velimus definire, hæc erit eius definitio. quam tradũt Couarruuias ad reg. poſſeſſor. p. 2. num. 3, & alii. Eſt ius inſiſtendi alicui rei tamquam ſuæ, non prohibitæ poſſideri. Dicitur ius, ad differentiam poſſeſſionis facti, quæ eſt ipſa detentio, & occupatio, vnde hoc ius oritur. Inſiſtendi rei, ad differentiam dominij, quod per ſe, & formaliter tantum eſt ius diſponendi de re. Tanquam ſuæ: nam ſi quis inſiſtat rei nomine alterius, non erit vera poſſeſſio: propter quod Tutor non eſt poſſeſſor bonorum pupilli, ſed hic per tutorem. Non prohibitæ poſſideri: quia nemo poteſt habere ius poſſidendi contra iuris diſpoſitionem, aut iure reſiſtente.

Dubium 2. *Quis habeat, aut habere poſſit rerum dominium, aut poſſeſſionem.*

DE Deo nulla eſt difficultas: quod enim D. Thom. hic art. 1. ad 1. ait: *Deus habet principale dominiũ omnium rerum.* Conſtat ex innumeris locis S. Scripturæ, præſertim ex illo Eſther 13. v. 10. *Dominus omnium es.*

De Angelis inquit M. Soto lib. 4. De iuſtitia, quæſt. 1. art. 2. *Angeli dominium habent ſuarum tantum naturalium actionum: mundi vero huius non perinde atque homines.*

Quandoquidem propter ipſos, qui nullo egent corpore, nequaquam creatus eſt: ſed propter ſolos homines, quibus Angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Vnde licet Danielis 10. vocentur domini, & principes, hoc non eſt, quia dominium habeant regnorum huius mundi; ſed quia illorum præfecti ſunt, tãquam Dei miniſtri: ſicut & de Ioſeph dicitur Pſ. 104. v. 21. *Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.* Pharao ſcilicet rex Ægypti. Quomodo etiam diabolus dicatur princeps huius mundi, explicat S. Auguſtin. tractat. 79. in Ioannem.

De creaturis rationis expertibus probat M. Soto vbi ſupra dominii capaces non eſſe: dominium enim nemini congruit niſi per intellectum, & voluntatem, & dominium, quod quiſque habet in ſuos actus cauſa eſt, & radix eius, quod habet in alias res. Vti etiam, & imperare poſſe, dominium requirit: quæ tamen rationis expertibus non poſſe competere, oſtendit Diu. Thom. 1. 2. q. 16. art. 2. & q. 17. art. 2. Non ſunt denique rationis expertia iuris, aut iniuriæ capacia; ergo nec dominii. Niſi forte metaphoricè, & impropriè ſumpti: qua ratione dicitur, aſtra dominium habere in hæc inferiora, & leonem in reliqua animalia, quorum rex appellatur. De hominibus ergo hic à nobis agendum eſt.

Dicendum eſt 1. Hominem naturale dominium habere rerum exteriorum, ha-

harũque proinde poſſeſſioné naturalẽ eſſe ipſi. Docet hoc D. Th. hîc ar. 1 his verbis *Res exterior poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo quantum ad eius naturam, quæ non ſubiacet humanæ poteſtati, ſed ſolum diuinæ, cui omnia ad nutum obediunt. Alio modo quãtum ad vſum ipſius rei, & ſic habet homo naturale dominium exteriorum rerum: quia per rationem, & voluntatem poteſt vti rebus exterioribus ad ſuam voluntatem, quaſi propter ſe factis. Semper enim imperfectiora ſunt propter perfectiora, vt ſupra habitum eſt. Et ex hac ratione Philoſophus probat in 1. Polit. quod poſſeſſio rerum exteriorum eſt hominis naturalis.*

Vbi in homine ſubiectetur dominium hoc, explicat M. Bañes in præambulo de dominio, q. 1. dubio 1. & ait: Subiectum quo ſeu rationem ſubiecti eſſe intellectum ſimul, & voluntatem liberam, nam facultas vtendi re in quoſcunque vſus lege permiſſos radicatur ſimul in intellectu, & voluntate libera. Subiectum autem inhæſionis totale eſſe animam rationalem (huic enim inhæret facultas vtendi re ſecundum rationem, & voluntatem) non quomodocumque ſumptam; ſed vt corpori coniunctam; nam anima ſeparata non habet facultatem vtendi rebus corporalibus in propriam vtilitatem. Subiectum denique totale denominationis eſſe ipſum compoſitum: ſicut enim totus homo dicitur criſpus ob criſpitudinem in ſolis capillis inhærentem: ita & totus homo

dicitur dominus rerum exteriorum, ob dominium in ſola eius anima inhærens.

Dicendum eſt 2. Pueros, & amentes capaces eſſe dominij. De pueris eſt expreſſus locus Pauli ad Galatas 4. v. 1. *Quanto tempore paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit dominus omnium.*

Secundò probatur, Ad dominium non requiritur actualis vſus liberi arbitrii, nec facultas vtendi rebus omnino expedita, & non impedita per ligamentum ſenſus; alias enim non eſſet in dormientibus; ſed ſufficit natura rationalis cũ ſuis potentijs intellectu ſcilicet, & voluntate, quæ ſunt dominij ſubiectum: at hanc cum ſuis potentijs habent pueri; ergo ſunt capaces dominij.

Tertiò probat M. Victoria relect. de Indis num. 21. *Quia poſſunt pati iniuriam; ergo habent ius rerum: ergo & dominium quod nihil aliud eſt quam ius. Item bona pupillorum non ſunt in bonis tutorum: & habent dominos, & non alios; ergo pupillos. Item pueri ſunt heredes: ſed heres eſt, qui ſuccedit in ius defuncti, & qui eſt dominus hæreditatis L. Cum heres, ff. De diuer. & temp. præſcrip. & inſt. De hæred. qualita. & differentia, §. fin. Item diximus, quod fundamentum dominij eſt imago Dei, quæ adhuc eſt in pueris.*

De amentibus ad tempus eadem eſt ratio ac de pueris. De perpetuo amentibus, de quibus non eſt ſpes habituros vſum rationis, M. Victoria vbi ſupra num. 22. ait; *Videtur adhuc, quod poſſunt eſſe domini:*

quia poſſunt pati iniuriam; ergò habent ius. Sed hoc remitto ad Iuriſconſultos, vtrum poſſint habere dominium ciuile.

Mag. Bañes vbi ſupra con. 4. inquit; amentiam ſuperuenientem iuri in re, & dominio acquiſito non priuare ipſo facto tali dominio, etiam ſi perpetua ſit; eſſe tamen ſufficientem rationem, vt tali dominio priuetur amens, ſi ad bonum Reipublicæ, cui amens conſulere non poteſt, inſtitutum ſit: Vnde Rex, vel Epiſcopus, ſi in amentiam incidat, deponi poteſt: non tamen eſt ipſo facto Regno, aut Epiſcopatu priuatus.

Caietanus Opuſ. de auctoritate Papæ cap. 28. ſic habet: *In ſecundo euentu de amentia perpetua dicitur, quod Papa non poteſt deponi, ſed ſi conſtat de dementia perpetua, cum ſit mortuus vita rationali, ſecundum quã homo eſt ſubiectum Papatus, ſine Concilio generali poſſunt Cardinales procedere ad alterius electionem: vtpote ſede vacante in veritate, non minus quam cum ſedes vacat per renutiationem.*

Sed quicquid ſit de officijs, quæ ad bonum Reipublicæ ordinantur: de rebus tamen, quę ad vtilitatem perſonæ ſolius ordinantur, mihi certum videtur, harum dominium non amittere amentes propter inſaniam etiam perpetuam: immo poſſe illud etiam in inſania acquirere iure hæreditario.

Dicendum eſt 3. Peccatores, & infideles rerum ſuarum habere dominium. Prima

pars

pars eſt certa ſecundum fidem in Concilio enim Conſtan. Seſſ. 8. artic. 8. & 15. hic error Vvicleffi damnatus eſt: *Nullus eſt dominus ciuilis, &c. dum eſt in peccato mortali.*

Probatur etiam ex Scriptura S. quę multos Reges peccatores celebrat, & 1 Petri 2. v. 18. ait: *Serui ſubditi eſtote dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*

Secunda pars certiſſima eſt. Eius oppoſitum quidam pluſquam temerarium, & fere erroneum eſſe affirmant M. Bañes. ſupra quæſt. 10. art. 10. dubio 3. con. 5. illud erroris damnat: nam Concil. Conſtan. non excipit aliquam ſpeciem peccati mortalis, & cum odium Dei ſit maius peccatum, quam infidelitas, ſi per illud non amittitur dominium, neque per hanc.

Probatur etiam ex S. Scriptura, in qua infideles appellantur reges, & domini; Chriſtus etiam Matth. 22. v. 21. dixit: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Quem infidelem fuiſſe conſtat: Ioſeph etiam Gen. 47. verſ. 24. terram Ægypti fecit tributariam Pharaoni, qui infidelis erat, peccaſſet autem Ioſeph, ſi Pharao non poſſet eſſe verus dominus.

Hinc colligitur, quod docent S. Raymundus libro 2. ſuæ ſummæ, tit. de furtis, §. 11. & Sylueſt. verbo *Furtum*, q. 6. non licere Chriſtianis furari aliquid à Sarracenis, aut aliis infidelibus, tenerique eis reſtituare, quæ abſtulerunt, niſi forte indictum

eſſet

eſſet bellum contra eos.

Dicendum eſt 4. Seruos nullius rei habere dominium abſolutum, ac indepédens à poteſtate dominorum. Probatur ex Inſtit. Per quas perſonas nobis acquiritur, §. *Item vobis*, vbi ſic dicitur: *Seruus, qui in poteſtate alterius eſt, nihil ſuum habere poteſt.* Vnde quicquid acquirit, domino acquirit.

Dixi abſolutum, &c. nam dominium imperfectum, & dependens à domino poſſe habere, patet, ſi dominus expreſſe, vel tacite conſentiat, vt poſſit aliquod peculium habere: aut ſi aliquid ſeruus detraxit de victu ſibi debito ſine domini vllo incommodo: aut ſi adimpletis operibus à domino præſcriptis, quædam alia faciat, ex quibus aliquid lucretur: aut ſi aliquid detur ſeruo in compenſationem iniuriæ illatæ, vel propter induſtriam, vel officium exhibitum, non intuitu domini; horum enim dominium aliquod habet ſeruus, illiſque ſe poteſt redimere; non tamen abſolutum, quia ſi dominus ei illa auferat, licet inhumanus, & infidelis ſit, non tamen iniuſtus.

Sunt tamen nonnulli, vt P. Molina diſp. 38. qui in pleriſque caſibu ſupradictis dominium abſolutum ſeruis concedunt; ſicque dominum, ſi ſeruis res ipſis conceſſas auferat, eis iniuriam facere obligantem ad reſtitutionem: ac proinde ſeruos poſſe occulta compenſatione vti: alias non daretur actio contra dominos ſeruis: *Si qui*

ſuis

ſuis nummis redemptos ſe aſſeuerant, vt dicitur in L. *Vix certis*, ff. De iudicijs. Ad inſtit. & alias ſimiles leges reſpondent, intelligendas eſſe regulariter, & quando aliunde contrarium non conſtat. Vel conſuetudine eſſe mitigatas.

Mag. Soto etiam libro quarto De Iuſtitia, quæſtione ſecunda, articulo ſecundo, poſt tertiam con. ait: *Neque mancipia, quæ ab infidelibus Chriſtiani iure belli arripiunt, ſic arbitror quicquid ſunt dominorum eſſe, vt quicquid vel dono ſuſceperint, vel hæreditario iure, vel licito ludo fuerint lucrati, teneantur in conſcientia dominis exhibere: quoniam cum non ſua ſponte in illam conditionem inciderint, nõ eſt eorum miſeria tanta afflictione coercenda: quandoquidem, vt eſt in regulis iuris, fauores ampliandi ſunt, pœnæ vero reſtringendæ.* Sicque quod dicitur in inſtit. citatis, reſtringendum eſt ad eos, qui ſe ipſos vendiderunt.

Alijs tamen exceptiones iſtæ non placent: quia iura de omnibus ſeruis indifferenter loquuntur, & potius dominis, quam ſeruis fauent.

Dicendum eſt 5. Filios familias, & vxores quorundam bonorum habere plenum, & perfectum dominium. Primam partem docet, & explicat Syluester verbo *Peculiũ* 1. vbi quadruplex peculium diſtinguit. *Caſtrenſe, quaſi caſtrenſe, profectitium, & aduentitium*. Et q. 1. dicit: *Peculium caſtrenſe eſt id, quod filio degenti in militia occaſione militiæ donatur à parentibus, cognatis, aut aliis*

vel

vel quod ipſe in militia acquiſiuit, aliàs niſi militaſſet non acquiſiturus. Quaſi caſtrenſe vero eſt, quod acquiritur ab aduocatis, tabellionibus, magiſtris ſtudiorum liberalium artium, & medicis, ac omnibus, qui ex publica cauſa, vel publico officio ſalaria, vel ſtipendia recipiũt publica. Profectitium eſt, quod proficiſcitur ex ſubſtantia, vel rebus patris ſui. Aduentitium vero eſt, quod acquiritur ex induſtria, vel labore, quod intelligo ſeorſum ab exercitio rei domeſticæ, vel donatione, aliunde quam intuitu patris facta, vel ex ſucceſſione, vel aliter aliunde prouenit ex euentu, vel fortuna. Et quæſt. 3. aſſerit, *In caſtrenſi, & quaſi caſtrenſi pater nihil iuris habet, quin potius ipſe filius in eis cenſetur pater familias, & conſequenter de eo poteſt ad libitum diſponere, & teſtari ſecundũ omnes Doctores, nec poſt mortem patris illud communicabit cum fratribus. In profectitio vero pater habet proprietatem, & vſumfructum, filius autem nihil iuris habet. In aduentitio vero filius habet proprietatem, ſed pater in vita habet vſumfructum.*

Hinc ſequitur furtum committi à filio, qui ex bonis profectitijs aliquid occulte accipit, cum in his nihil iuris habeat. Si tamen filius putaret, Patrem rogatum facile conceſſurum, non commiteret furtũ: quia tunc pater non eſt inuitus circa ſubſtantiam, ſed circa modum acceptionis. Idem eſt de bonis aduentitijs: nam priuat patrem vſufructu. Si tamen filius patre vidente, & tacente perciperet vſumfructũ horum bonorum, cenſeretur Pater illum

ei condonare, aut remittere tacite. Pater etiam ſi ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus aliquid vſurpat, inuito filio, furtum committit, poteſtque tunc filius vti compenſatione, tantundem de bonis profectitijs, aut de vſufructu bonorum aduentitiorum occultè accipiendo.

Secunda pars concluſionis patet, bona enim paraphernalia, quę præter dotem à ſuis acceperunt, vxorum ſunt, illorumque liberam diſpoſitionem, & plenum dominium habent. Si maritus etiam donauerit vxori certam ſummam, vt certo tempore totam familiam, aut partem ſuſtentet, eius quod ſupererit honeſtæ ſuſtentationi, plenum dominium habet vxor, niſi forte ea conditione donaſſet, vt ipſi redderet, quod ſupererit. Dotis vero licet vxor habeat dominium, maritus tamen habet vſumfructum. Quæ autem durante matrimonio acquiſita ſunt, apud nos Valentinos, niſi aliter fuerit ſtipulatum, omnia cedunt marito, ita, vt vxori mortuo marito, ſolum ſit dos reſtituenda cum eius augumento; cuius augumenti ſolum habet vxor vſumfructum, dum viuit.

Ex quibus infertur, vxorem non poſſe de bonis familiæ, quorum non habet plenum dominium, aliquid accipere etiam ad faciendas eleemoſynas, inuito marito. Non eſt autem rationabiliter inuitus, ſi vxor accipiat pro rebus ſibi, aut familiæ neceſſarijs, aut ad eleemoſynas, moderatas largitiones, & recreationes, ſecundum

con-

conſuetudinem aliarum mulierũ ſuæ conditionis. Mag. Bañez ſupra quæſt. 32. articulo octauo ait: Mihi ſane nullus eſſet ſcrupulus affirmare, quod mulier diuitis diſpẽſet neſciente viro vigeſimam partem lucri annualis: nam talis diſpenſatio debet eſſe interpretatiue volita bono viro. Idem dicit Mag. Ledeſma ſecunda parte ſum̃ trac. quarto, capite tertio, con. 38. difficultate ſecunda. Alij id iudicio prudentis relinquunt.

Dicendum eſt 6. Religioſos profeſſos, qui votum ſolemne paupertatis emiſerunt, nullius rei dominium habere. Patet hoc ex capit. *Non dicatis* 12. quæſtione prima; & ex capite; *Cum ad Monaſterium*, De ſtatu monachorum, & ex ca. *Monachi*, eodem titulo, & ex Concilio Trident. ſeſſ. 25. capite ſecundo. De regularibus, vbi dicitur: *Nemini Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia; vel mobilia, cuiuſcunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſſidere, vel tenere, &c.* Vnde omnia ad vſum conceſſa religioſis ſunt Monaſterij quantum ad dominium: ſi tamen Monaſterium in communi bona poſſidere, eorumque dominiũ habere poſſit iuxta ſui Ordinis Cõſtitutiones, aut conceſſionem Concilij Trident. vbi ſupra. cap. 3. Si vero id monaſterijs alicuius Religionis non licet, dominium rerũ ad vſum religioſis conceſſarum penes Sedem Apoſtolicam eſt, vt patet ex dictis dub. 1.

Di-

Dicendum eſt 7. Clericos ſeculares dominium habere, non ſolum bonorum patrimonialium, aut quaſi patrimonialium, ſed etiam fructuum, & prouentuum quos ex ſuis beneficijs percipiunt, quoad illam quoque partem, quæ non eſt congruæ ſuſtentationi neceſſaria, ſed ſuperflua. Bonorum patrimonialium (quæ ſcilicet ipſi hæreditate, vel induſtria, vel donatione, vel alio modo, quo laici ſolent, ſibi acquirũt) dominium habere, manifeſtum eſt: quia per clericatum non fiunt incapaces dominij, neque ſe abdicant dominio.

De bonis quaſi patrimonialibus (quæ ſcilicet ipſi, vt clerici acquirunt celebrando, canendo, &c.) idem omnes affirmãt: quia hæc dantur, vt ſtipendium, & veluti merces ratione operis præſtiti, vt de his diſponant pro ſuo arbitrio clerici.

De fructibus, & prouentibus beneficiorum, ea parte, qua neceſſarij ſunt ad congruam ſuſtentationem clericorum, eadem eſt ratio: nam ſunt ſtipendia, & merces eorum, qui Eccleſiæ ſeruiunt.

De ea vero parte, quæ nõ eſt neceſſaria congruæ ſuſtentationi, ſed ſuperflua, Nauarrus lib. De redditibus Eccleſiaſticis, & alij exiſtimant non eſſe illius dominos, ſed ſolum diſpenſatores; ita vt ex iuſtitia teneãtur expendere in pias cauſas; & ſi ſecus fecerint, obligari ad reſtitutionem in opera pia ex alijs bonis, quæ pleno iure retinent. Noſtram tamen concluſionem docet Diu. Thom. Quodlib. 6. art. 12. vbi licet in cor.

arti-

articuli dicat; *Bonorum patrimonialum, vel licitè acquiſitorum homo vere eſt dominus. Bonorum vero Eccleſiaſticorum clerici non ſunt vere domini, ſed diſpenſatores.* In ſolutione tamen tertij diſtinguit de bonis Eccleſiaſticis, & ait: *Aliter dicendum eſt de illis Eccleſiaſticis bonis, quæ principaliter ſunt attribuenda neceſſitatibus pauperum, & ex conſequenti neceſſitatibus miniſtrorum, ſicut ſunt bona hoſpitalium, & aliorum huiuſmodi. Et aliter de illis bonis, quæ ſunt principaliter attributa vſibus miniſtrorum, ſicut ſunt præbendæ clericorum, & alia huiuſmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur, non ſolum ex abuſu, ſed etiam ex ipſa rerum conditione, dum aliquis in ſuos vſus aſſumit, quod eſt alterius; & ideo tenetur ad reſtitutionem tanquam defraudator rei alienæ. In ſecundis vero bonis non committitur peccatum, niſi per abuſum, ſicut, & de bonis patrimonialibus dictum eſt: Vnde non tenetur quis ad reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnitentiam peragendam.* Sentit ergo horum bonorum, quæ ſunt fructus, & prouentus præbendarum, & beneficiorum, clericos dominos eſſe, & non ſolum adminiſtratores; ſicque etiam ſi hæc profane expendant, non teneri ad reſtitutionem. Idem docet S. Doctor hic infra, qu. 185. art. 7. dum de Epiſcopo ait: *De his, quæ sũt pauperibus eroganda, vel etiam in vſum miniſtrorum, aut in cultum diuinum expendenda, non eſt dubium, quod contra fidem diſpenſationis agit, & mortaliter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. De his autem, quæ ſunt ſpe-*

cia-

cialiter ſuo vſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de proprijs bonis, vt ſcilicet propter immoderatum affectum, & vſum peccet quidem, ſi immoderata ſibi retineat, & alijs non ſubueniat, ſicut requirit debitum charitatis. Cuius læſio non inducit obligationem reſtituendi. Docet etiam noſtram concluſionem M. Soto libro 10. De Iuſtitia, q. 4. art. 3. & 4. quem ſequuntur P. Leſſius lib. 2. De iuſtitia, cap. 4. dubit. 6. Malderus tr. 1. De iuſtitia cap. 4. dubio 8. & communiter recentiores.

Probatur deinde ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. De reformatione, vbi de Epiſcopis non reſidentibus dicitur: *Pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere*. Et Seſſ. 24. c. 12. vbi præcipitur, vt prouiſi de canonicatibus, &c. profeſſionem fidei faciant: *Alioquin prædicti omnes prouiſi, vt ſupra fructus non faciant ſuos.* His autem aperte inſinuat Concilium ſi prædicti præſtent, quod debent omnes fructus, ac prouentus ſuorum beneficiorũ ſuos facere, illorumque dominium acquirere; ergo &c.

Dicunt tamen P. Leſſius vbi ſup. nu. 47. & Malderus loco citato, aſſertione 3. mortaliter peccare clericos cõtra charitatem, ſi portionem illam redundantem, vel ſuperflua, quæ habent ex bonis eccleſiaſticis, expendant in vſus prophanos, vel ad ditãdos amicos, vel conſangnineos. Probantque ex Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. De reformatione, vbi de Epiſcopis dicitur. *Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Eccle-*

ſiæ

ſia conſanguineos,familiares ve ſuos augere ſtudeant: cum & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, ijs vt pauperibus diſtribuant, eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa. Et inferius: *Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt; eadem non ſolum in quibuſcunque beneficia Eccleſiaſtica tam ſæcularia, quam regularia obtinentibus pro gradus ſui conditione obſeruari, ſed ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit.*

Sed quamuis ſi Epiſcopus aut alius clericus totam portionem redūdantem expenderet in vſus prophanos, vel ad ditandos amicos, vel conſanguineos, mortaliter peccare non dubitem: ſi tamen ex illa in pauperes, & pios vſus erogaret, quod debet, reliquum poſſe conſanguineis licite dare exiſtimo: ait namque M. Soto vbi ſupra a. 4. con. 2. *Haud enim vbi ſcandalum caueri poteſt, vitio eſt prorſus vertendum, ſi Epiſcopus, qui pingui Eccleſiæ præfectus eſt, conſanguineos antea indigos quadam victus mediocritate honeſtet: non pro ſua tantum vita, ſed pro ſuis ſucceſſoribus in perpetuum. Non inquam vt locupletia creet primogenitorum iura, ſed vt quadantenus ſtatum illi mutare poſſint; vt abſque neceſſitate deinceps vitam ducant. Si enim qui viginti, aut eo plura, immo qui decem, vel quindecim habet ducatorum millia, quartam partē in pauperes, & pios vſus erogauerit, profecto ab omnibus cenſebitur ſuo debito feciſſe ſatis, &c.* Demus ergo dimidium fructuum Epiſcopatus, vel beneficij eſſe portionem ſuper-

perfluam, cum medietas huius portionis ſit quarta pars fructuum, hac in pios vſus erogata; aliam medietatem cur non poterit Epiſcopus deſtinare, vt poſſit honeſtam ſuſtentationem, eamq ne perpetuam alicui conſanguineo relinquere? Huic etiam poterit addere, ſi quid ſibi de congrua ſuſtentatione ſubtraxerit, quod vt prædicti auctores aſſerunt cum *Nauarro*, non cenſetur fructus beneficij, ſed propriæ induſtriç.

Neque his obſtant verba Concil. Trid. relata: ad illa enim reſpondet. M. Lorca, ſupra q. 32. art. 9. diſp. 40. membro 2. n. 44. ibi Concilium nihil præcipere de fructibus, & portione, quæ ſingulis clericis, & prçlatis deſignata eſt, ſed loqui de bonis, quç ſunt in dominio ipſius Eccleſiæ, qualia ſunt immobilia, & ius ad annuos redditus. Quod probat: Tum quia remittit ad Canones Apoſtolorum, in quibus eſt ſermo de bonis immobilibus, vt patet ex can. 37. *Sed non eorum* (ſcilicet cognatorũ) *prætextu vendant, quæ ſunt Eccleſiæ*. Tum etiam ex verbo *Diſtrahant*: diſtrahere enim non diceretur clericus proprios fructus, ſed bona Eccleſiæ. Vnde ſolum videtur, Concilium voluiſſe illis verbis extirpare abuſum, quo multi Eccleſiarum bona aut gratis dabant, aut vili vendebant conſanguineis, aut in emphyteuſim, vel feudũ cum detrimento Eccleſiæ conferebant. Hanc explicationem impugnat Malderus vbi ſupra: Tum quia Concilium de illis rebus Eccleſiæ debet intelligi, quæ poſſunt

cle-

clerici conſanguineis ſuis, & familiaribus, ſi pauperes ij ſint, diſtribuere, vt pauperibus: certum autem eſt non poſſe diſtribuere eis res immobiles; ergo &c. Tum etiam, quia nullam veriſimilitudinem habet, etiam ſimplici clerico beneficiato hic inhiberi, ne vendat immobilia Eccleſiæ conſanguineis ſuis, cum certum ſit, non eſſe penes tales vllam facultatem eiuſmodi bona vendendi. Sed hæc nihil prædictæ explicationi officiunt; nam ſenſus Concilij eſt, interdictum eſſe clericis ne res Eccleſiaſticas immobiles conſanguineis donent, ſed ſolum eis ſi pauperes ſunt, vt alijs pauperibus diſtribuāt fructus ex talibus rebus immobilibus procedentes, has autem non diſtrahant,ſeu alienent. Quia etiam contingere poteſt,vt ſimplex beneficium habeat bona immobilia,& ius ad annuos redditus, ideo Concilium etiam obtinentibus hæc beneficia interdicit, ne huiuſmodi bona, & iura donent conſanguineis gratis, aut in emphyteuſim, aut vili vendant: quamuis enim non ſit apud tales,ſicut nec apud Epiſcopos, vlla legitima facultas hæc vendendi, meritò id eis interdicitur, quia ſæpè contingit vendi multa à non habente facultatem: propter quod, & alienatio rerum immobilium Eccleſiæ prohibita eſt quibuſcunque clericis.

Poſſet etiam quis reſpondere,Concilium non loqui de redditibus Eccleſiæ applicatis clericis eius miniſtris, ſed de diſtribuendis pauperibus, quorum bonorum eccleſiaſti-

corum clerici non ſunt vere domini,ſed diſpenſatores, vt diximus cum D.Thoma, quodlib. 6. art. 12. Et quamuis loqueretur de redditibus applicatis cuilibet clericorũ, non obſtaret ſupradictis eius præceptum: nam ſolum prohibet,ne conſanguineos augere ſtudeant, eos ſcilicet ita locupletando, vt de humili ſtatu ad illuſtrem ſubleuent, quod M. Soto non aſſerit eſſe licitum.

Dubium 3. Quotuplex, & quarum rerum ſit dominium.

D. Thomas hic art. 1. dominij naturalis meminit, & materiam illius in homine exiſtentis res exteriores eſſe dixit: non quidem quantum ad earum naturam, ſed quantum ad vſum. Videndum modo eſt, ſit ne aliud genus dominij, & an ad omnes, & ſolas res exteriores extendatur.

Primum explicat diuiſio dominij, quod quadruplex eſſe docet M. Soto lib. 4. de Iuſtitia q. 2. art. 1. con. 1, nempè naturale, diuinum, humanum ortum ex iure gentium, & humanum ortum ex iure ciuili. Cuius diuiſionis ſufficientiam probat contra Gerſonem, Conradum, & alios plura commemorantes dominiorum genera: Conrado enim viginti tria libuit recenſere. *Dominia enim iure aliquo introducta ſunt: ius autem non eſt niſi naturale, & gentium, & ciuile, quibus, & diuinum additur poſi-*

poſitiuum, hoc eſt, quod non conuenit homini ex debito ſuæ naturæ, ſed eſt ei diuinitus ad naturam ſuperadditum, hoc enim dicitur diuinum poſitiuum contra naturale diſtinctum, cuius etiã Deus auctor eſt: igitur quod non ſint plura quã hæc dominiorum genera inde patet, quod nullo præter hæc poteſt quiſpiam vllum obtinere dominium.

M. Bañes in præambulo de dominio q. 2. dicit ex diuiſione hac M. Soto nonnulla ſequi incommoda. Primum, nam diſtinguit ius diuinum à iure naturali, cum tamen omne dominium naturale ſit diuinũ, ſcilicet à Deo, vt auctor eſt naturæ. Secundum, nam Mag. Soto reducit dominiũ quod habuit Adam ad veſcendum pomis ligni vitæ ad dominium diuinum poſitiuũ, cum tamen reuera dominium illud pertineat ad ordinem naturæ Item dominium, quod habuit Dauid in regnum Iſraeliticũ, reducit ad dominium diuinum poſitiuum, cum tamen pertineat ad naturalem ordinem. Sed ad hæc, & alia incommoda facile reſponderi poteſt ex doctrina M. Soto. Licet enim ius naturale poſſit dici diuinũ quia à Deo eſt, non tamen hoc modo ſumitur diuinum in ſecundo membro, ſed quia eſt diuinitus ad naturam ſuperadditũ. Vnde hæc dominia, vt ait M. Soto vbi ſupra con. 2. *Non differunt ratione auctoris, ſed differunt per hoc, quod naturale eſt naturæ debitum: alterum vero ſuper naturam adhibitum.* Sicque ſub dominio naturali continetur omne dominium, quod conuenit homini

ex debito ſuæ naturæ: ſub diuino omne, quod ad naturam eſt ſuperadditum, ſiue illud ſit rei ſupernaturalis,ſiue naturalis: ad res enim etiam naturales extenditur dominium, & ius diuinum, vt patet in eo, quod Sacerdotes habebant olim ad decimas ex diuina lege poſitiua, & populus Iſrael ad terram promiſſam: & tale fuit etiam dominium, & ius quod Dauid habuit ad regnum ex diuina electione. Si libet autem hoc dominium vocare naturale, quia eſt rei naturalis; hoc ſufficientiam diuiſionis adductæ non excludit, cum hoc dominium ſub aliquo illius membro contineatur. Cum ergo nullum ſit dominium, quod non poſſit reduci ad aliquod ex prædictis quatuor membris, ſufficiens erit prædicta diuiſio. Secundum ſequentes explicant concluſiones.

Dicendum eſt 1. Omnes res exteriores homine inferiores,eſſe materiam eius dominij. Docet hoc D. Thom. hic articu. 1. in corp. & ad 1. Et probatur ex illo Gen. 1. verſ. 26. *Faciamus hominem, &c. & præſit piſcibus maris, &c.* & Pſalmo 8. verſ. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*. Quem Pſalm. exponens D. Tho. notat omnia homini ſubiecta, ac ſub dominio eius contenta vocari, verſ. 7. *Opera manuum, non digitorum qui a non ſunt ſubtilia, vt cæli, qui ſunt opera digitorum.* Ex quo colligitur cælos non contineri ſub dominio noſtro, ſicut ſub eo continentur,quæ ibi numerat Dauid; *Oues, &*

boues vniuerſus, &c. Quod abſolutè verum eſt: quia non poſſumus illis vti, vt animalibus, nec eos alterare, aut conſumere, vt terræ naſcentia. Quodammodo tamen dominium habere hominem in cælos, & elementa docet M. Soto vbi ſupra con. 2. quatenus ſcilicet cœli ſunt, veluti tecta ſui domicilij, ſoliſque calore, & luce vtitur homo, eique pluuiæ, & niues inſeruiunt ad vitam ſeruandam, & alimenta terrena ope paranda.

Dicendum eſt 2. poſſe etiam vnum hominem eſſe materiam dominij alterius hominis. Patet hoc, nam ex Scriptura Sacra, & experientia conſtat vnum hominem eſſe dominum alterius, huncque illius ſeruum. Diſtinguit autem M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 2. artic. 2. con. 1. cum Ariſt. 1. Polit. duplicem ſeruitutem: alteram naturalem: alteram legalem. Naturalis eſt qua inſipientes, & rudes ſapientibus, & prudentibus ſubijciuntur, ijque illis dominantur. Sed hæc non eſt proprie, & cum rigore ſeruitus. Vnde, qui natura dominus eſt, nequit natura ſeruis, veluti rebus poſſeſſis in ſuum ipſius commodum vti, ſed tanquam liberis, ſuique iuris hominibus in bonum ipſorum, eos ſcilicet docendo, moribuſque inſtituendo: qua propter neque illi tenentur veluti mancipia eis ſeruire, ſed æquitate quadam, & honeſtate naturali.

Seruitus legalis, eſt quæ per legem eſt introducta. Primo, titulo iuſti belli; iure

enim gentium victores, victos, quos capiunt, ſeruituti ſubijciunt. Quam non ſolũ licitam, ſed etiam de miſericordia profectam conſtat: ſi enim quis gratia ſeruandi vitam libertate ſe priuare poteſt, magis poterunt victores, victos, quos priuare poterant vita, ſeruituti ſubijcere. Oportet tamen bellum eſſe iuſtum ex parte vincentium: ſi enim iniuſtum eſſet, victi non cõtraherent veram ſeruitutem. Si vtrinque iuſtitia belli ſit dubia ob probabile ius alterius partis, capti fiunt vtrinque ſerui. De ſeruis tamen bello captis, ait Syluester verbo *Seruitus*, q. 3. ſi fugiant, peccare, niſi ſint Chriſtiani. Sed de hoc vide M. Bañes ſupra q. 40. art. 1. dub. 13. vbi contra Syluestrum, & alios docet, & optime probat poſſe fugere. Idem docet M. Soto vbi ſupra con. 3. neque quantum ad hoc inquit, diſcrepantia eſt inter Chriſtianos, atque infideles: quoniam ius gentium gentibus cunctis æquale eſt. Subdit vero Chriſtianos à Chriſtianis bello captos non teneri vt mancipia ſeruire, neque eorum bona, niſi quæ tunc in bello in prædam deuenerint, eſſe dominorum. Rationem huius aſſignat M. Bañes in præambulo de dominio quæſt. 2. quia ita videtur receptũ quaſi iure gentium inter ipſos Chriſtianos: Apoſtatas tamen deſertores totius chriſtianæ religionis, aſſerit, iure belli ſeruos fieri capientium. Idem dicit de illis qui in piratarum Sarracenorum nauibus cupiditatis gratia verſantur, etiam ſi Chriſtiani

ſint.

ſint. Addit etiam M. Soto quod retulimus dubio præcedenti con.4. etiam ſi ſerui bello capti infideles ſint, poſſe vt propria poſſidere, nec teneri dominis exhibere, quæ dono ſuſcipiunt, vel iure hęreditario, vel ludo licito lucrantur. Oppoſitum dicunt alij diſcipuli D. Thom. nempè dominorum eſſe quicquid huiuſmodi ſerui acquirunt. M. Ledeſma 2. p. Sum. tract. 8. cap. 3. con. 6. diffic. 2 vtrumque probabile eſſe aſſerit.

Secundò, titulo emptionis, & venditionis, quamuis enim homines facti ſint à Deo liberi; poſſunt tamen miſeri licitè ſeipſos vendere gratia ſeruandi vitam, ob quam bene libertas venditur. Si ſe vendāt pro ſoluendo debito pecuniario prodigierunt, peccabunt etiam ſi libertatem ſuam exponant ludo ſpe lucri, aut vt quo ludāt habeant, ſe ipſos vendant ad remigandum in triremibus, nam non bene pro toto libertas venditur auro: valida tamen erit venditio, quia ſuæ libertatis ſunt domini. Similiter qui ſe ipſos vendunt in extrema neceſſitate; quamuis emptores peccent contra charitatem, non ſuccurrendo eis liberaliter, verè ſerui manent, quia talis neceſſitas non aufert quo minus venditio ſit omnino voluntaria, ſicque valida. de quo vide M. Ledeſma vbi ſupra difficultate 3. Conditiones autem, quæ requiruntur, vt venditio eius, qui ſe vendi patitur voluntariè, ſit valida, vide apud Syluestrum verbo *Seruitus*, quæſt. 3. §. *Tertio*. De his

ſeruis qui ſe inopia preſſi ſeruituti manciparunt, inquit M. Soto vbi ſupra: quia ſe libere vendiderunt pretio, fugere iure nequeunt, ſicut neque furari equum, quem vendidiſſent. Addit etiam quicquid ſunt, domini eſſe, iuxta præſcriptum legum, Poſſe etiam parentes iure naturæ vendere filios non emancipatos, colligitur Exodi 21. verſ. 7. ius tamen ciuile requirit certas conditiones, vt patet ex L. 2. C. De patribus qui filios diſtraxerunt. Has tamen leges non eſſe in vſu inter Chriſtianos aſſerit M. Soto vbi ſupra. Apud Aethiopes vero adhuc hunc morem vigere.

Tertiò, titulo natiuitatis: nam vt ait D. Thom. in 4. diſtinct. 36. quæſt. 1. artic. 4. *Secundum leges ciuiles partus ſequitur ventrē, &c. In quibuſdam tamen terris, quæ iure ciuili non reguntur, partus ſequitur deteriorem conditionem, vt ſi pater ſit ſeruus, quamuis mater ſit libera, erunt filii ſerui.* S. Antoninus 3. p. tit. 3. cap. 6. § 6. inquit: *Videntur loqui Doctores, cum dicunt, quod partus ſequitur ventrem, de his qui naſcuntur per matrimoniū quod poteſt eſſe inter ſeruos, & liberos. Nam de filiis qui naſcuntur per fornicationē vel aliàs illicitam copulam, vndecunque naſcantur, ignobiles ſunt: nec tamen ſeruus eorum, qui ſunt domini ſeruorum, vel ancillarum ex quibus nati ſunt, vt oſtendit continuus vſus.* Idem dicit Syluester verbo *Seruitus*, quæſt. 4. Sed in hoc ſtandum eſſe exiſtimo conſuetudini, aut legibus Regnorum particularium: abſolutè enim inconueniens videtur, *Ne plus*

habeat luxuria quam caſtitas, vt ait Gloſſa in cap *Statum* 2 De hæreticis in ſexto, & quia aliàs melior eſſet conditio illegitimorum, quam legitimorum; quibus argumẽtis probant Couarruuias lib. 2. Var. reſol. cap. 8. num. 3. & Peña in 3. p. Direct. inquiſit. Coment. 163. & alij, filios, & nepotes hęreticorum eadem infamiæ pœna affici, etiam ſi illegitimi ſint. Aduertendũ eſt etiam, quod dicitur in Inſtit. De ingenuis, §. *Sed, & ſi quis*, liberum eſſe filium ex patre ſeruo, dum tamen ex matre libera naſcatur. *Sufficit autem liberam fuiſſe matrem eo tempore quo naſcitur, licet ancilla conceperit. Et è contrario ſi libera conceperit, deinde ancilla pariat placuit eum qui naſcitur, liberum eſſe: quia non debet calamitas matris ei nocere qui in ventre eſt. Et ex his illud quaſitum eſt, ſi ancilla pregnans manumiſſa ſit, deinde ancilla facta, poſtea peperit, liberum an ſeruum pariat? Et Marcianus probat liberum naſci, ſufficit enim ei qui in ventre eſt liberam matrem vel medio tempore habuiſſe, vt liber naſcatur, quod, & verum eſt.* Neſcio tamẽ an vbi ius Cæſareum vim non habet, hoc obſeruetur: ſufficit enim vt in partu mater ſit ancilla ad prolis ſeruitutem. Hoc certũ eſt, ſeruitutem prolis non eſſe maiorem ſeruitute matris, ſicque ſi mater, quia ancilla facta eſt capta in bello, poterat fugere, aut aliquid proprium habere, idem poterit filius.

Quartô, titulo iuſtæ condemnationis, ſi enim reus ad mortem exigentibus eius

culpis condemnari poteſt, cur non & ad ſeruitutem? Ad hanc iure canonico condemnari poſſe raptorem mulieris, ferentem auxilium Sarracenis, mulierem ſcienter contrahentem cum exiſtente in ſacris, patet ex diuerſis capitibus; & docet Syluester verbo *Seruitus*, quæſti. 3.

Ex hac concluſione colligitur poſſe vnũ hominem alium emere, ſi tamen vere aliquo ex prædictis titulis ſeruus fuerit factus. Vnde ſi Aethiopes ſe, aut ſuos filios libere vendunt Luſitanis, aut ij iuſto bello illos capiunt, nullum eſt crimen in Aethiopum mercatura. Si tamen verũ eſt quod quidã affirmant, fraude, & dolo illos capi, inquit M. Soto vbi ſupra: *Neq; qui illos capiunt, neque qui a captoribus coemunt, neque illi, qui poſſident, tutas habere conſcientias vnquam poſſunt, quouſque manumittant, etiam ſi pretium recuperare non poſſint.* Qua propter emens tenetur diligẽter inquirere an iuſte capti ſint, nam vt ait Nauarrus c. 23. n. 96. *Is mala fide credit eos eſſe ſeruos, qui ſcit aut credit eſſe famam publicam ex fide dignorum relatione ortam, quod dolo, vel vi extra bellum iuſtum fuerint capti, vel in naues introducti, & poſtea volentes nolentes abducti.* Facta ſufficienti diligentia, ſi certum ſit iuſte fuiſſe captos, licite eos poterit emere. Si dubiũ, nequaquam, ſicut nec licet emere rem, de qua eſt dubium, ſit ne furtiua. Famulo tamen miſſo à domino ad emendos, vel vendendos ſeruos; etiam ſi dubitet de eorum libertate, licitum eſſe eos emere, aut

ven-

vendere, dummodo tale dubium domino inſinuet, docet Mag. Ledeſma 2. part. ſum. tract. 8. cap. 3. con. 3. diffic. 4. quia famulus miniſter eſt, ad quem non pertinet dubium excutere, ſicut nec militibus quando dubitant de iuſtitia belli. Si tamen certum ſit liberos eſſe, nec domino, nec ſeruo licitum eſt eos emere, aut vendere.

Dicendum eſt 3. Hominem non eſſe ſuæ vitæ dominum, ſed cuſtodem: & idem eſt de corporis membris. Colligitur hoc ex D. Thom. ſupra quæſt. 64. art. 5. in corp. & ad 3. Probat M. Soto lib. 4. de iuſtit. q. 2. art. 3. Primo ex illo Deuter. 31. verſic. 39. *Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius* Deus *præter me: ego occidam, & ego viuere faciam*, & Sap. 16. verſ. 12. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem*. His enim verbis aperte innuitur Deum ſibi dominium vitę noſtræ reſeruaſſe.

Secundò, quia lege iuſtitiæ prohibetur homo ſe occidere, ſicut & alios: ſed hoc non eſſet, ſi eſſet vitæ ſuæ dominus, ideo enim non prohibetur tali lege alia bona, quorum eſt dominus conſumere, ergo &c.

Non ſolum homo vitę ſuę, ſed nec Princeps, nec Reſpublica dominium habet vitæ ſubditorum: non poteſt enim pro ſuo arbitratu eos interficere. Poteſt quidem malefactores occidere, & vitam ſubditorum in bello exponere: hoc tamen facit, vt cuſtos tranquillitatis, & boni publici, ſicut homo, vt cuſtos vitæ ſuæ reſecat mébrũ putridũ, & exponit partẽ pro ſalute corporis.

Dicendum eſt 4. Hominem dominium habere honoris, & famæ propriæ. Colligitur hoc ex D. Thom. ſupra quæſt. 64. ar. 5. ad 3. & infra quæſt 73. ar. 4. ad 1. Probat M. Soto vbi ſupra con. 4. quia aliàs nullo fine poſſet homo famam, ſicut nec vitam, ſibi auferre: ſed hoc eſt falſum, vt conuincunt exempla ſanctorum Ambroſij, qui fœminas in cubiculum incluſit, ſicque ſe ipſum infamare procurauit, ne Epiſcopus fieret: Aug. qui multa ſuorum peccatorum detexit in ſuis confeſſionibus; & Anſelmi; qui amiſſam virginitatem ſæpius deplorauit; ergo &c. Confirmatur, nam licet prohibeamur prodigos eſſe honoris, & famæ, illiuſque curam habere debeamus, vt patet ex illo Eccleſiaſtici 41. verſ. 15. *Curam habe de bono nomine*; nulla tamen lege iuſtitiæ prohibemur illa diſpendere, quin potius ad hoc tenemur, ſi opus eſt ad reſtitutionem honoris, & famę alterius, quem iniuſte infamauimus, hocque facere poſſumus ad noſtri humiliationem, aut vitandum peccatum ſuperbiæ, aut ad petendum conſilium; ergo ſicut aliorum bonorum, ita honoris, & famæ dominiũ habet homo.

Dicendum eſt 5. Etiam bonorum ſpiritualium, quodammodo eſſe hominem dominum. Oppoſitum huius docere videtur M. Soto lib. 4. de iuſtitia, q. 2. artic. 1. con. 1. nam ait: *Operum gratiæ non habemus dominium: quia non per nos, ſed Dei fauore ſupernaturali ea exequimur*: Sed noſtram

concluſ-

concluſionem docent M.Bañes in præambulo de dominio; q. 2. con. 6. & alij diſcipuli D. Thom. Et quidem nos habere dominium actuum ſpiritualium ſupernaturalium liberorum, quales ſunt actus fidei, & ſpei, & charitatis, patet; nam vt ait D. Thom. 1. 2, q. 1. artic. 1. *Eſt homo dominus ſuorum actuum per rationem, & voluntatem*. Habere etiam dominium gratię, & ſupernaturalium virtutum, quas in nobis habemus, inde conſtat, quod illis vti poſſumus cũ volumus, actus liberos ſicque in noſtra poteſtate exiſtentes eliciendo, ergo quamuis illarũ dominium non habeamus quantum ad diſtractionem, qua in alios dominium transferre poſſimus, illaſque vendere; illarum tamen dominium habemus quantum ad vſum, quod eſt quodammodo dominium habere. Quod ni fallor, nec Mag. Soto negaret, nam de illo dominio loquitur, quo fieret nos dominos eſſe rei, quod eſt dominium quantum ad diſtractionem, vnde de ſimoniacis ait Tharaſius c. *Eos qui*, efficere Spiritum Sanctum ſeruum, & ſe ipſos dominos illius, quia illum vendunt dona eius vendentes.

Idem videtur dicendum de bonis ſpiritualibus extrinſecis, vt ſunt beneficia eccleſiaſtica, Epiſcopatus, Canonicatus, Parrochia, &c Licet enim, qui ea habent nõ poſſint vendere, aut diſtrahere, nam vt dicemus infra quæſtion. 100. inuendibilia ſunt; eis tamen vti poſſunt ad fructus exigendos, vel alijs donandos.

Du-

Dubium 4. An ſit licita rerum diuiſio, & appropriatio, & quo iure fieri poſſit.

PArs negãs probatur 1. Iure naturę omnia ſunt communia; ergo cum rerum diuiſio, & appropriatio contrarietur communitatĩ, ac per conſequens iuri naturali, non eſt licita. Si dicas cum D. Th. hic a. 2. ad 1. *Quod communitas rerum atiribuitur iuri naturali: non quia ius naturale dictet omnia eſſe poſſidenda communiter, & nihil eſſe quaſi proprium poſſidendum, ſed quia ſecundum ius naturale non eſt diſtinctio poſſeſſionum.*

Secundo arguitur contra hoc ex cap. *Dilectiſſimis*, 12. quęſtion. 1. vbi ſic dicitur: *Communis vſus omnium quæ ſunt in hoc mundo omnibus eſſe debuit, ſed per iniquitatem alius dixit hoc eſſe ſuum, & alius iſtud; & ſic inter mortales facta eſt diuiſio.* Sed hoc non eſſet verum, ſi ius naturale non dictaret omnia eſſe poſſidenda communiter, & diuiſio rerum non eſſet illicita. & iuri naturali contraria; ergo, &c.

Tertio, rerum diuiſio, & appropriatio contrariatur paci, vnanimitati, & charitati: vnde S. Aug. in Regula: *Sit vobis anima vna, & cor vnum in Domino, & non dicatis aliquid proprium.* Et Poeta: *Si duo noſtris tollas pronomina rebus* (ſcilicet meum, & tuum) *Prælia ceſſarent, pax ſine lite foret;* ergo non eſt licita.

Di-

Dicendum tamen eſt 1. Licitam eſſe rerum diuiſionem, & appropriationem. Oppoſitum huius tenuerunt quidam hæretici vocati Apoſtolici; de quibus ait Diu. Auguſt. hæreſi 40. *Apoſtolici qui ſe iſto nomine arrogantiſſimè vocauerunt, eo quod in ſuam communionem non reciperent vtentes coniugibus, & res proprias poſſiderent, &c. Sed ideo iſti hæretici ſunt, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes nullam ſpem putant habere eos qui vtuntur his rebus, quibus ipſi carent.* Ex quo D. Thom. hic art. 2. in arg. *Sed contra*, infert: *eſt ergo erroneum dicere, quod non licet homini propria poſſidere.*

Secundò probatur, nam ab initio orbis conditi etiam viri Sancti propria poſſederunt, vt Abel qui Deo munera obtulit Geneſ. 4. verſ. 4. *De primogenitis gregis ſui.* Et Iob de quo dicitur Iob 1. v. 3. *Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium, &c.* Et filij Iſrael, qui in terra promiſsionis hæreditates poſſederunt iuxta Domini præceptum Num. 33. v. 54. *Per tribus, & familias, poſſeſſio diuiditur*; ergo, &c.

Dicendum eſt 2. Non ſolum licitam, ſed etiam neceſſariam eſſe rerum diuiſionem, & appropriationem. Docet hoc D. Thom. hic art. 2. dicens: *Et eſt etiam neceſſarium ad humanam vitam propter tria*: Quę apud ipſum vide. Conſule etiam M. Soto lib. 4. de iuſtitia, quęſt. 3. art. 1. con. 1.

Dicendum eſt 3. Rerum exteriorum diuiſionem, & appropriationem fieri, non

iure

iure naturali, ſed iure humano poſitiuo; partim iure gentium, partim iure ciuili. Docet hoc D. Thom. hic art. 2. ad 1. nam ait: *Secundũ ius naturæ non eſt diſtinctio poſſeſſionum, ſed magis ſecundum humanum condictum, quod pertinet ad ius poſitiuum, vt ſupra dictum eſt.* Scilicet q. 57. art. 2. & 3. Circa quod quærit Caiet. quomodo hoc dicatur, cum ſupra q. 57. artic. 3. dictum ſit huiuſmodi diſtinctionem, & proprietatem poſſeſſionum ſpectare ad ius gentium. quód diſtingui conſtat contra ius poſitiuum? Et reſpondet: *Quod in proprietate poſſeſſionum inueniuntur duo. Primo quod aliquid ſit vnius, & aliquid alterius. Secundum, quod hic ager ſit iſtius, & ille illius. Quoad primum proprietas rerum eſt à iure gentium, Quoad ſecundum eſt à iure poſitiuo.* Cui fauet quod dicitur in ea, *Quo iure*; diſt. 8. *Vnde quis poſſidet quod poſſidet? Nonne iure humano? &c. Iure humano dicitur hæc villa mea eſt, hæc domus mea eſt, Iura autem humana iura imperatorũ ſunt, &c. Tolle iura Imperatorũ, & quis audet dicere mea eſt illa villa, aut meus eſt ille ſeruus, aut domus hæc mea eſt?* Hęc tamen doctrina Caiet. non placet M. Soto vbi ſup. extimat enim proprietatem poſſeſſionum, etiam quoad ſecundum, poſſe fieri tam iure gentium quam iure ciuili: D. Thomamque ſub humano condicto, quod pertinet ad ius poſitiuum comprehendiſſe etiam ius gentium. Non enim ſolum ius ciuile eſt humanum poſitiuum, ſed etiam ius gentium; vnde ſup.

ſup. q. 57. cum S. Doctor diuiſiſſet ius in naturale, & poſitiuum. artic. 3. docet ius gentium non eſſe idem cum naturali, indicans pertinere ad ius humanum poſitiuum.

Secundo probatur concluſio, nam licet iure naturali diſtincta fuerint dominia honoris, famæ, & actionum liberarum, vt ait M. Soto vbi ſup. con. 3. non tamen rerum exteriorum, cum ſecundum hoc ius ſit. *Communis omnium poſſeſſio*, vt dicitur cap. *Ius naturale* diſt. 1. Quamuis etiam iure diuino poſitiuo diuiſæ fuerint poſſeſſiones filiorum Iſrael in terra promiſſionis, vt patet, Num 33. v. 57. & Ioſue 14. v. 2. illud tamen fuit ſpeciale priuilegium, & non fecit taliter Deus omni nationi; ergo iure humano poſitiuo facta eſt rerum exteriorum diuiſio, & appropriatio.

Partim vero fuiſſe factam iure gentium, partim iure ciuili, colligitur ex L. *Ex hoc*, ff. De iure & iuſtitia, vbi dicitur: *Ex hoc iure gentium introducta ſunt bella, diſcretæ gentes, regna condita, dominia diſtincta* Vbi Gloſſa *Nonne etiam iure ciuili dominia diſtinguuntur? Reſpondetur quod ſic, vt inſt. de vſu & habi. § fin.* Colligitur etiam ex § *Singulorum*, inſt. De rerum diuiſione, vbi ſic habetur: *Singulorum autem hominum multis modis res fiunt. Quorundam enim rerum dominium nanciſcimur iure naturali, quod (ſicut diximus) appellatur ius gentium: quorundam verò iure ciuili.*

Quænam autem res fiant ſingulorum ho-

hominum, & quænam dominia diſtinguantur iure gentium; quænam vero iure ciuili, ita explico: Res enim & dominia quæ nullius erant iure gentium, fiunt primo occupantis: vnde loco proximè citato dicitur *Feræ igitur beſtiæ, & volucres, & piſces, & omnia animalia, quæ in mari, cœlo, & terra naſcuntur, ſimul atque ab alio cepta fuerint iure gentium ſtatim illius eſſe incipiunt. Quod enim ante nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur.* Res vero quę iam ad Rempublicam pertinebant, ſed communia erant ciuibus, fiunt illorum, quibus iuxta leges Reipublicæ, aut Principum applicantur: nam vt loco citato dicitur: *Ciuilia iura tunc eſſe cœperunt, cum ciuitates condi, & magiſtratus creari, & leges ſcribi cœperunt.* Per Imperatores autem, & Reges iura humana diſtribui patet ex verbis cap. *Quo iure* citatis.

Ad 1. vero reſpondetur optimam eſſe ſolutionem D. Thom. Contra quam ſi arguas: Qui furatur aliquid, contra ius naturæ peccat; ergo iure naturæ competit alteri dominium rei. Reſpondetur negando conſequentiam: quia contra ius naturale eſt auferre alteri quod ſuum eſt, quocunque iure illi competat dominium.

Ad 2. Reſpondetur cum M. Soto: *Per iniquitatem idem eſſe quod per originale peccatum.* Statui enim innocentiæ concors erat rerum poſſeſſio in communi præterquam vxorum: per peccatum autem Adę factum eſt vt congrueret dominiorum diuiſio:

quia

quia per tale peccatum conditioni naturæ corruptę tam neceſſaria fuit, vt citra miraculum non poſſet aliter genus humanum longo tempore durare, tum ob negligentiam humanam, tum ob cupiditatem. vt oſtendit Mag. Soto vbi ſupra con. 1.

Ad 3. reſpondet M. Soto: *Negatur quod corrupta natura firmior fuiſſet amoris nexus inter mortales rebus in communi poſſeſſis, vt cõcluſionũ ſerie ſatis liquet. Exiguus enim monachorũ numerus, monaſteriorũ clauſtris circũſeptus poteſt quidẽ pacifice in cõmuni viuere: vaſtæ tamen mortalium Reipublicæ, quarum ciues ad res ſæculares tam anhelant auide, non item Dictum autem Poëtæ quod duo pronomina meum ac tuum litium, præliorumque ſemina existunt, & fomenta, ingenue fatemur: multo tamen oborirentur plura, ſi omnia in communi poſſiderentur.* Ait namque D. Thom. hic art. 2. *Vnde videmus, quod inter eos, qui communiter, & ex indiuiſo aliquid poſſident, frequentius iurgia oriuntur.* Quod & colligitur ex illo Geneſ. 13. v. 6. *Nequibant habitare communiter, vnde facta eſt rixa inter paſtores gregum Abraham, & Loth* Fateor quod ibidem Hom. 33. ait S. Chriſ. *Vbi meum, & tuum, illic omne litium genus, & contentionis occaſio: vbi autem hæc non ſunt, ibi ſecura verſatur pax, & concordia.* Hoc tamen intelligo quoad cupiditatem, quæ radix omnium malorum eſt, qua ratione hęc in ſola vita beata non ſunt, *vbi non eſt meum ac tuum*, vt idem S. Chriſ. ait Oratione de

B. Philogonio tom. 3. Suppoſita autem cupiditate habendi proprium, ſequuta ex peccato originali; maxime neceſſaria fuit rerum apropriatio, & diuiſio ad conſeruandam pacem, & plures, lites ac rixas vitandas.

Dubium 5. De tranſlatione dominiorum, an, & quot modis fieri poſſit.

TRanslatio dominii nihil aliud eſt, quã tranſmiſſio rei ab eo, qui prius legitime poſſidebat in alterum, qui perinde incipit eſſe dominus. Ita M. Soto lib. 4. de iuſtitia, q. 5. artic. 1. vbi, & addit: *Hac ergo non fit niſi aut voluntate legitimi domini, aut lege in ipſum poteſtatem habentis*. Quomodo autem voluntate domini, aut quibus legibus fiat, ſequentes explicant concluſiones.

Dicendum eſt 1. Legibus præſcriptionis, & vſucapionis dominiũ in poſſeſſorem bonæ fidei tranferri. Pro huius explicatione aduertendum eſt quod ait M. Soto li. 4. de iuſtitia q. 5. art. 4. *Quamuis non ſolum inter Doctores, verum, & quandoque in iuris contextu, explicationis gratia, diſtingui conſueſcat inter præſcriptionem, & vſucapionem, quod præſcriptio ſit rerum immobilium, vſucapio vero mobilium: tamen crebro etiam iura ambabus promiſcue vtuntur vocibus*. Sicq; nos in concluſione vſi ſumus, & poſtea tanquam nomi-

mi-

minibus ſynonimis vnum, atq; idem ſignificantibus.

Cum autem vſucapio L. *Vſucapio*, ff. De vſucapionibus diffiniatur: *Vſucapio eſt acquiſitio, vel adiectio dominij per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti*. Hæc eadem erit etiam definitio præſcriptionis. Vnde M. Soto vbi ſupra ait. *Præſcriptio nomen iuris eſt; idem nimirum ſignificans, quod per poſſeſſionem praſcripto a lege tempore protractam dominium rei acquiritur*.

Aduertit autem Gloſſa in L. prędictam, definitionem vſucapionis cauſaliter eſſe intelligendam. *Eſt enim vſucapio cauſa acquſitionis dominij, non ipſa acquiſitio*. Sicque formaliter poſſeſſio eſſe diceretur.

Tempus autem à legibus definitnm ad pręſcribendas res mobiles contra priuatos, eſt triennium, ad res immobiles inter preſentes eſt decennium, inter abſentes vicennium. Inſtit. de vſucapionibus §. 1. *Conſtitutionem ſupra hoc promulgamus, qua cautum eſt, vt res quędam mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis (ideſt inter praſentes decennio, inter abſentes viginti annis) vſucapiantur*. Ad res vero contra Eccleſias, ſi immobiles ſint (nam de mobilibus idem eſt ac de rebus contra priuatos, eſt quadraginta annorum; contra Eccleſiam vero Ronianam centennium. Auten. *Quas actiones*, C. De ſacroſanctis Eccleſ. *Quas actiones, alia decennalis, alia vicennalis, alia tricennalis praſcriptio excludit, ea ſi loco religioſo competant quadraginta annis excludun-*

tur

tur vſucapione triennij, vel quadriennij præſcriptione in ſuo robore durantibus : ſola Romana Eccleſia gaudente centum annorum ſpatio , vel priuilegio . Quæ priuilegia ab Eccleſia recepta eſſe conſtat ex cap. *Placuit*. 16. q. 3. Hoc Romanæ Eccleſiæ priuilegium poſtea conceſſum eſt Religioni S. Benedicti; nam Eugenius 4. Bulla 7. ei conceſſit, ne poſſit contra eius monaſteria, loca, perſonas, vel bona eorum præſcribi, niſi annis ſexaginta, & Bulla 17. niſi annis 100. ſicut cõtra Romanam Eccleſiam. Quo priuilegio gaudent etiam aliæ Religiones, quibus conceſſa eſt communicatio , ac participatio priuilegiorum prædictæ Religionis. Vide Syluestrum verbo *Præſcriptio* 1. q. 7. & Couarruuiam ad regulam Poſſeſſor , §. 2. Hoc ſuppoſito.

Probatur concluſio 1. ex D. Thom. Quodlib. 12. art. 25. vbi ſic habet: *Si quis præſcribat bona fide poſſidendo , non tenetur ad reſtitutionem , etiam ſi ſciat alienum fuiſſe poſt præſcriptionem .*

Secundo probatur : leges præſcriptionis, & vſucapionis ſtatuunt rẽ aliquam vſucapi, aut præſcribi: ſed non poteſt vſucapi aut præſcribi niſi dominium transferatur in illum, qui præſcribit ; ergo, &c. Minor probatur , nam vt patet ex definitione adducta , vſucapio, & præſcriptio eſt acquiſitio dominij : ſed dominium non poteſt acquiri à præſcribente , niſi in illum transferatur , erat enim in antiquo dominio ; ergo, &c.

Hoc potuiſſe fieri à legibus, concedunt omnes. De cauſa ob quam fuerit factum, eſt difficultas. D. Thom. Quodlibeto 12. art. 5. hanc reddit: *Quia lex poteſt aliquem pro peccato, & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare, & concedere*. Hanc ſolam vnicamque cauſam eſſe putat Adrianus, vnde ait: ſi negligentia veri domini ad culpam pertingit mortalem, tunc qui præſcribit, tutus eſt in conſcientia, etiam ſi poſtea intellexerit rem eſſe alienam. Attamen ſi ille non fuit mortaliter negligens, tunc licet in foro exteriori res præſcribenti adiudicetur, tenetur tamen in conſcientia reſtituere. Adrianum impugnat M Soto lib 4. de iuſtitia q. 5. art. 4. con. 2. multis argumentis, hoc præſertim: *Quod & ſi vulgo non alia præſcriptionis cauſa circumferatur quam culpabilis dominij negligentia: ſi iura tamen, & rationes conſulas, non eſt potiſſima hæc, ſed certè bonum publicum: vt ſcilicet certa ſint dominia, & error longi temporis tollatur, & tranquilla ſit rerum poſſeſſio. Audi legem primam, ff. De vſucap. Bono publico introducta eſt vſucapio, ne ſcilicet quarundam rerum diu, & fere ſemper incerta dominia eſſent, cum ſufficeret dominis ad inquirendas res ſuas ſtatuti temporis ſpatium*. Vnde licet Diu. Thom. vulgarem, communem rationem reddiderit ſumptam ex cap. *Vigilanti*, De præſcrip. quia illa ſuo intento ſufficiebat, non excludit tamen alias, nempe vt certa ſint rerum dominia, & vt lites & contentiones in Republica vitentur, & ali-

aliquando finiantur, quę ad bonum publicum ſpectant. Cum autem legibus Principum priuari poſſint ſubditi rebus ſuis etiam abſque eorum culpa, ſi ratio boni communis id exigat: poſſit etiam impediri tranſlatio dominii in alios inuitis propriis dominis: ita etiam poterunt traſferri dominia in alios inuitis propriis dominis, ſi expedierit ad bonum commune. Vide Sylueſtrum verbo *Præſcriptio*, quæſt. 13. & Caiet. in Sum. verbo *Præſcriptio*.

Dixi in concluſione, in poſſeſſorem bonæ fidei: nam licet olim multæ Imperatorum leges concederent pręſcriptionem, & acquiſitionem dominij poſſeſſori male fidei: illæ tamen à Summo Pont tanquam iniquæ abrogatæ ſunt. Vnde in capite, *Vigilanti*, De præſcrip. dicit Alexander 3. *Vigilanti ſtudio cauendum eſt, ne malæ fidei poſſeſſores ſimus in prædijs alienis: quoniam nulla antiqua dierum poſſeſſio iuuat aliquem malæ fidei poſſeſſorem*. Et Innocentius 3. in Concilio Lateranenſi, & refertur cap. *Quoniam* De præſcrip. ita definit: *Synodali iudicio diffinimus, vt nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam canonica quam ciuilis. Cum generaliter ſit omni cõſtitutioni, atque conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſeruari. Vnde oportet, vt qui præſcribit, in nullo temporis ſpatio rei habeat conſcientiam alienæ*. Vbi gloſſa hæc vltima verba exponit, de nulla parte temporis, ipſius ſcilicet præſcriptionis: nam poſt

com-

completam prẹſcriptionem;& ſi ſciat,rem fuiſſe alienam, non dicitur mala fide poſſidere, nec tenetur reſtituere: non ſecus atque is, qui emit rem aliquam, quamuis certo ſciat, eam fuiſſe alienam ante emptionem, ipſius ſcilicet vendentis; poſt emptionem tamen certo ſcit, eſſe propriam, & non mala fide, ſed bona eam poſſidet, nec eam tenetur reſtituere.

Si quæras autem, an bona fides, quæ eſt neceſſaria ad præſcribendum, poſſit eſſe dubia conſcientia? Reſpondetur, dubiam conſcientiam non eſſe ſufficientem ad inchoandam poſſeſſionem; bene tamen ad eam continuandam, & perficiendam prẹſcriptionem. Ratio eſt: nam ante inchoatam poſſeſſionem, qui dubitat, an res ſit ſua, vel alterius, non eſt melioris conditionis, quam alter, ſicque non poteſt eam ſibi vendicare, & vſurpare, ſed diuidenda eſt inter ipſum, & alterum, quia æquale eſt ius amborum. Quando autem poſt inceptam legitimè poſſeſſionem dubitare incipit, an res ſit ſua, vel alterius, melioris conditionis eſt quam alter, iuxta regulam communem, melior eſt conditio poſſidentis; ſicq; rem poteſt licitè retinere, & continuare poſſeſſionem, hæcq; continuatio præſcriptionem perficiet: nam vt colligitur ex cap. *Quoniam*, De præſcriptionibus, ſola illa poſſeſſio eſt inutilis ad præſcrbendum, quę non eſt ſine peccato. Oppoſitum huius tenet M. Soto vbi ſupra. Sed noſtram ſententiam docent M. Bañes in

præambulo de dominio, diſput. 5. dubio vltimo con.4. & communiter alij diſcipuli D. Thom.

Non ſolum bona fides requiritur ad legitimam præſcriptionem, ſed etiam alia ad eam exiguntur: ait namque S. Raymundus lib. 2. ſuæ ſummę tit. De præſrip. & vſucap. §. 29. *Exiguntur ad præſcriptionem compellendam quatuor, ſcilicet continuatio poſſeſſionis, bona fides, iuſtus titulus, & quod res non ſit vitioſa.* Primum conſtat ex diffinitione præſcriptionis adducta in principio concluſionis. Patet etiam ex 3. Regula iuris in ſexto: *Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.* Vbi Gloſſa aduertit, non ſufficere poſſeſſionem facti (quę, & naturalis dicitur) ſed requiri poſſeſſionem iuris (quæ & ciuilis appellatur) *Ideſt quod pręſcribens ſit capax poſſeſſionis.* Ex quo colligit, non poſſe pręſcribi à laico eius ius decimandi: quia eſt ius ſpirituale, cuius non eſt capax laicus. Debet etiam res poſſideri nomine proprio. Vnde tutor non poteſt præſcrbere bona pupilli, quia non poſſidet ea nomine proprio. Idem eſt de colono, aut conductore, & aliis ſimilibus. Emphyteuta tamen, licet non poſſit præſcribere agrum, vel domum; bene tamen ius emphyteuticum: quia hoc ius nomine ſuo poſſidet, agrum. vel domum nomine alieno. At Religioſus profeſsus nihil poteſt præſcribere, quia non eſt capax dominii, nihilque ſuo nomine poſſidere poteſt. Requiritur deinde, vt poſseſſio cõtinuetur:

nam

nam ſi interrumpatur, non ſufficit ad præſcriptionem. Aduertit autem Gloſsa loco proximè citato: *Interruptio quandoque fit naturaliter per inundationes aquarum, quando locus fuit aquis inũdatus, & iſta interruptio prodeſt omnibus, quorum intereſt, & pluribus alijs modis fieri poteſt iſta interruptio. Alia eſt interruptio ciuilis, quæ quidem fit per litem conteſtatam, quandoq; fit per ſolã citationẽ L. Cum notiſſimi, C. de præſcrip. 30. vel 40. ann. Et iſta interruptio ciuilis non prodeſt omnibus, quorum intereſt, ſed prodeſt interrumpenti, & ſuis hæredibus.* Continuari autem debet poſseſſio abſque interruptione toto tempore lege definito, vt ex preſcriptionis definitione patet.

Secundum de bona fide patet ex dictis. Debet autem eſse, vt S. Raymundus ait: *Bona fides continua ſimiliter per totum tempus præſcriptionis.*

Tertium probat S. Raymundus ex cap. *Licet*, De probationibus, & cap. *Si diligenti*, De preſcrip. vbi dicitur: *Cum in præſcriptione rerum eccleſiaſticarum bona fides, & iuſtus titulus exigatur.* Titulus autem non neceſſario debet eſse verus naturalis, vel legitimus inquit S. Raymundus: *Sufficit enim habere titulum verum, vel præſumptum.* Hinc infert M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, quæſt. 5. artic. 4 con. 2. *Fur, & vſurarius nullo tempore præſcribit: quia poſſidet ſine titulo per vim. Si autem latronis filius bona fide hæreditatem paternam adiuit; nimirum credens bona illa legitimè fuiſſe acquiſita, & toto tempore præ-*

ſcriptionis illa ibi poſſideat: tranſacto illo, quamuis innoteſcat fuiſſe aliena, tutus manet in conſcientia. Et pari modo, qui à latrone bona fide rem alienam emit: vt habetur, ff. De vſucapit. L. Si aliena. Nam licet ille titulus non ſit verè naturalis, eſt tamen præſumptus.

Hoc poſtremum non placet M. Bañes in præambulo de dominio diſput. 5. dubio penult. & aliis. Tum quia titulus pręſumptus eſt, qui lege pręſumitur: nulla autem lege pręſumitur hęredem furis, & qui à latrone rem alienam emit, etiam bona fide, habere titulum poſſidendi rem alienã; ergo, &c. Tum etiam, quia ſi titulum haberet ſaltem pręſumptum, hęres furis pręſcriberet tempore ordinario, quo res mobiles, aut immobiles præſcribi ſolent, nempe trium, aut decem, aut viginti annorum; ſed hoc eſt falſum, vt conſtat ex L. *Cum hæres*, ff. De diuer. temporal. pręſcrip. vt dicitur: *Cum hæres in ius omne defuncti ſuccedat, ignorantia ſua defuncti vitia non excludit, &c. tamen vſucapere non poterit, quod defunctus non potuit*. Et idem eſt de emente rem furtiuam à latrone, vt probat Sylueſter verbo *Præſcriptio*, 2. q. 12. ex alijs legibus; ergo &c. Vnde aſſerunt, titulum ſolum neceſſario, & ſemper requiri ad præſcriptionem vſitati temporis trium, decem, & viginti annorum: non vero ad pręſcriptionem longiſſimi temporis triginta, aut quadraginta annorũ: ad hanc enim ſufficit bona fides; quam ſi habeat hæres

latronis, & qui à latrone rem furtiuam emit, ſine titulo præſcribit ſpatio triginta, & quadraginta annorum, rem alienam bona fide poſſidens, non antea. Vnde vbi ſupra ait Syluester: *Quod breuiarium emptum à fure, & poſſeſſum 29. annis, tenetur emptor, reſtituere, ſi ſuperueniat mala fides: quia res furtiua non niſi 30. annis præſcribi poteſt.*

Quartum denique explicat S. Raymundus: *Res dicitur vitioſa, ſi eſt furtiua, vel vi poſſeſſa, quam non ſolum fur, vel raptor, ſed nec vllus alius, quamuis ab eis emerit, vel alias bona fide acceperit, præſcribere, vel vſucapere poteſt.* Quod vltimum intelligendum eſt de præſcriptione vſitati temporis, non longiſſimi, vt patet ex dictis. Et hæc de præſcriptione dicta Theologo ſufficiant; reliqua enim, quæ deſiderantur, ad Iuriſperitos ſpectant.

Dicendum eſt ſecundo. Per cõtractum, qui nullus eſt iure ciuili ob defectum ſolemnitatis eſſentialis, transferri dominium: infirmum tamen, & reuocabile: niſi forte lex inhabiles, & incapaces talis dominij efficiat perſonas, in quas debet transferri. Exemplũ eſt in teſtamento minus ſolemni, quod nullum eſſe ius decernit: quale eſt, de quo loquitur. L. *Hac conſultiſſima*, C. de teſtamentis: *Non ſubſcriptum à teſtibus, ac non ſignatum teſtamentum pro infecto haberi conuenit. Ex imperfecto teſtamento voluntatem tenere defuncti non volumus.* Et §. *Ex eo*, Inſtit. Quibus modis teſtament.

infir. *Imperfectum teſtamentum nullum eſt.*

Prima pars concluſionis probatur ratione M. Soto lib. 4. de Iuſtitia, q. 5. art. 3. *Iura humana nihil aliud volunt, quam quod in iudicio tales contractus habeantur nulli: non autem quod ipſo ſtatim facto tranſlatio ſit nulla*. Ergo per illos dominium transfertur. Conſequentia patet; nam ex ſola humani iuris diſpoſitione poteſt prouenire, ne per illos dominium transferatur, cum iure naturæ non ſint irriti. Antecedens vero probatur, iura humana ſolum requirunt ſolemnitates in contractibus, vt in foro externo fidem faciant, & certius conſtet de voluntate domini volentis rem ſuam in alium transferti; ſicque fraudibus, & dolis eatur obuiam, quibus poſſit voluntas domini interuerti; ergo vbi ad forum exterius non venitur, nec in iudicio contenditur, nihil de contractibus diſponunt, ſed eos ſuæ naturæ relinquunt; conceſſa tamen ijs, quorum intereſt, facultate, vt legis beneficio vtantur, ac petant in iudicio declarationem nullitatis, quam ex iure humano habent tales contractus: Sicut, & quando lex concedit in integrum reſtitutionem, concedit facultatem impugnandi contractum alias validum, eiuſque reſciſſionem petendi: vt patet in contractu ludi, qui licet validus ſit, poteſt peti in foro exteriori coram iudice eius reſciſſio, & reuocatio infra tempus lege preſcriptū. Confirmatur, quia vt dicitur in §. *Per traditionem*, Inſt. De rerum diuiſione: *Nihil*

tam

tam conueniens eſt naturali æquitati, quam voluntatem domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi. At voluntas teſtantis minus ſolemniter, quia deerat tabellio, aut requiſitus numerus teſtium, erat rem ſuam transferre in hæredem nuncupatum, & non in ſuccedentem ab inteſtato; ergo in hæredem nuncupatum per tale teſtamentum transfertur rei dominium in foro conſcientiæ.

Secundo probat M. Bañes in præambulo de dominio, diſp. 5. dub. 4. Qui poſſidet per huiuſmodi contractum minus ſolemnem, iuſtè poſſidet, quouſque a iudice ſpolietur; ergo illius dominium habet per talem contractum acquiſitum. Antecedens probatur, leges poſitiuæ obligant in toto, aut in parte, quatenus in toto, aut in parte recipiuntur per vſum: ſed leges ciuiles poſitiuę, ſiue Pontificiæ, quæ irritos faciunt contractus minus ſolemnes, non ſunt receptę per communem vſum ſapientium, quantum ad hoc, vt ſpolietur ante iudicis ſententiam, qui per talem contractum poſſidet; ergo reuera iuſtè ille poſſidet. Minor conſtat, nam inter viros ſapiētes innumeri ſunt, qui aſſerunt, eum, qui ſic poſſidet, iuſtè poſſidere, quod non eſſet, ſi prædictę leges eſſent receptę quantum ad illud.

Secunda pars cōcluſionis probatur: quia alias talis contractus non eſſet habendus nullus in iudicio, ſi dominium, quod transfert, eſſet firmum, & irreuocabile: at nullus

lus habetur; ergo, &c. Reſpondent quidam, talem contractum ſolum dici nullum in iudicio, quia in foro externo non datur actio ex tali contractu, perinde, ac ſi nullum extaret. Contra hoc tamen eſt, nam iura non ſolum dicunt, ſe non aſſiſtere teſtamento minus ſolemni, aut ex illo non dari actionem in foro externo, ſed dicunt, tale teſtamentum eſſe nullum, vt patet ex legibus citatis in principio concluſionis. Præterea in L. *Si vnus*, C. De teſtamentis, dicitur de teſtamento minus ſolemni, *Iure deficit*: ſubditurque ſtatim. *De his autem, quæ interlata, ſiue ſupraſcripta dicis, non ad iuris ſolemnitatem, ſed ad fidei pertinet quæſtionem.* Vbi cum conſtituatur differentia inter teſtamentum iure deficere, ſeu eſſe nullum, & non facere fidem; & ideo in foro externo non detur actio ex teſtamento, quia non facit fidem: cum leges dicunt teſtamentum minus ſolemne nullum eſſe, aut iure deficere, non poteſt exponi, id dici, quia in foro exteriori non datur actio ex tali teſtamento.

Secundò probatur: Hæres ab inteſtato poteſt ſeſe opponere hæredi minus ſolemniter inſtituto, & iudex poteſt, immo tenetur, inſtante hærede ab inteſtato declarare, teſtamentum minus ſolemne eſſe nullũ, & hæredem inſtitutum ſine ſolemnitate priuare hereditate, hancque adiudicare hæredi ab inteſtato; ergo dominium, quod per teſtamentum minus ſolemne transfertur, infirmum, & reuocabile eſt: reuocabi-

tur

tur namque, ſi hæreditas adiudicetur hæredi ab inteſtato. Reſpondent quidam, hæredem ab inteſtato peccare, ſeſe opponendo hæredi verè, ſed minus ſolemniter inſtituto. Iudicem vero, adiudicando hęreditatem hæredi ab inteſtato, non decernere rem abſolutè ad ipſum pertinere, illiuſque eſſe, ſed illius eſſe, ſeu ad illum pertinere, quantum apparet ex probationibus, quæ iure admittuntur, interim relinquendo illum ſuæ conſcientiæ; in cuius foro tenetur reſtituere hæreditatẽ hæredi minus ſolemniter inſtituto. Contra hoc tamen eſt, nam etiam ſi hæres ab inteſtato ſciat, & fateatur, voluntatem defuncti fuiſſe aliũ hæredem inſtituere, poteſt huic minus ſolemniter inſtituto ſe opponere, & iudex poteſt illum hęreditate priuare, vt docet M. Soto vbi ſupra ratione 4. *Crediderim perinde pronunciandum eſſe, ac ſi nihil defunctus diſpoſuiſſet*. Et non eſt eadem ratio de fidei commiſſo: nam vt hoc teneatur reſtituere ille, cuius fidei eſt commiſſum, & Iudex illum ad reſtitutionem obliget, ſufficit, vt ipſe fateatur defuncti voluntatem, cum hoc expreſsè diſponant iura L. *Et ſi inutiliter*, & L. *Quæſtionem*. C. De fidei commiſſarijs hæreditatibus §. *Quia* De teſtamentis autem nihil tale iura diſponũt, ſed potius dicunt, nulla eſſe, ſi deficiat illis ſolemnitas requiſita. Si autem verum eſſet, quod prædicta ſolutio dicit, inquit M. Soto vbi ſupra: *Tunc leges illæ*, (ſecundum quas ſcilicet Iudex pronuntiaret ſententiã,

qua hæreditatem adiudicaret hæredi ab inteſtato) *Conſcientiarum eſſent illaqueatrices, non deberent ab Eccleſia tollerari: ſecundum verbum illud in cap. Quoniam. De preſcrip. Quod abſque peccato mortali non poteſt obſeruari, derogandum eſt.* Et quis eſt, qui ſe peccati reum agnoſcat, quod impugnat contractum, quem leges iuſtæ nullum eſſe volnnt? Et poſtquam Iudex non falſa præſumptione procedens pronunciat ſententiam in eius fauorem, non ſe exiſtimet manere in conſcientiam tutum, & à reſtitutione liberũ? Quis vero ambigat potuiſſe ius ciuile ob bonum commune, ad obuiandum ſcilicet fraudibus, & varijs hominum artibus, & machinationibus, & ad inconuenientia vitanda ſancire, vt teſtamentum minus ſolemne, ita ſit nullum, vt iudices hæreditatem adiudicent hæredi ab inteſtato: ſicut & decreuit, bona præſcripta etiam ante ſententiam eſse ipſius præſcribentis? *Quod ſi id poteſt, neſcio quam efficacius verborum ſignificatione efficere potuit, quam iſtorum: ſit teſtamentum nullum: habeatur pro infecto: Et ſi fuerit imperfectum, voluntatem defuncti non tenta ſi irritum, &c.* ait Mag. Soto vbi ſupra, ratione 2. Leges certe ciuiles obligant in conſcientia; ergo, & leges de nullitate teſtamentorum minus ſolemnium, ſi non ante ſententiam, quia reſpiciunt forum externum, ſaltem poſt ſententiam & condemnationem. Vnde licet, qui poſſidet rem aliquam per teſtamentum, aut contractum minus ſolem-

nem,

nem, iuſtè poſſideat, quouſque à iudice ſpolietur, nec teneatur iudicare vitium talis contractus alteri parti, vt oſtendit Mag. Bañes vbi ſupra con. 2. poſt condemnationem tamen,& ſententiam. neſcio quis poſſit illum,a reſtitutionis vinculo abſoluere. Confimatur argumentis ſecundo loco, ſeu in oppoſitum adductis à M. Bañes, vbi ſupra: hanc enim ſecundam partem noſtræ concluſionis conuincunt. Vnde duæ extremæ ſententiæ, quas ibi refert M. Bañes, ex dictis à nobis in hac concluſione iuxta ſententiam prædictis auctoris, & M. Soto, quæ media eſt, conciliari potuerunt; aut certè non erit difficile ad earum argumenta reſpondere, vt facit M. Bañes, quem vide.

Quod dixi de teſtamento minus ſolemni, aſſerendum eſt etiam de teſtamento nullam habente iuris ſolemnitatem, ita vt non habeat ſolemnitates iuris ciuilis,nec quæ ſunt iuris gentium, nempe,vt duo teſtes adſint (quod ſufficit, vt teſtamentum ſit validum ad pias cauſas etiã in foro externo) ſed ſolum habeat, quod iure naturali eſt ſufficens; nempe, vt ſit poteſtas in diſponente, capacitas in eo in cuius fauorem diſponitur, & libertas in diſpoſitione. Vnde ſi quis morti proximus (vt non ſemel in bello contigit) amico diceret etiam nullo teſte aſtante; ergo te conſtituo hæredem omnium bonorum meorum, poſſet amicus tuta conſcientia omnia defuncti bona poſſidere. Si tamen vocatus

in iudicium condemnaretur, vt ea hæredibus ab inteſtato defuncti reſtitueret, haud poſſet ea ſibi retinere, ſed teneretur etiam in foro conſcientię illa reſtituere, & iuſtę ſententiæ obtemperare.

Dixi in concluſione: niſi forte inhabiles, & incapaces talis dominij lex efficiat perſonas, in quas debet transferri: nam ſi inhabiles, & incapaces reddat, per contractũ, cui deficit ſolemnitas iuris, nullum transfertur dominium, neque firmum, neque infirmum, neque irreuocabile, neque reuocabile. Tales ſunt donationes factæ filijs illegitimis: leges enim tales donationes irritas facientes, faciunt inhabiles ipſos filios illegitimos, & incapaces ad habendũ dominium rerum datarum; de quo vide M. Bañes, vbi ſupra in quæſt. poſt dub. 2. con. 2. Talis eſt etiam contractus matrimonij, qui ſine Parocho, & teſtibus factus, ita eſt irritus, vt contrahentes reddat inhabiles ad ſic contrahendum lex Concilij Trid. Seſſ. 24. cap. 1. dicens: *Eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit.*

P. Leſſius lib. 2. cap. 19. dubit. 3. num. 35. exiſtimat ea, quę dicta ſunt de teſtamentis non eſſe extendenda ad alios cõtractus. Sed M. Soto, & Bañes, vbi ſupra ad alios extendunt, electione excepta; de qua etiã idem, ac de alijs contractibus ſentire videtur Sylueſter verbo *Electio*, 1. quæſtione 1.

Di-

Dicendum eſt 3. Per ludum etiam prohibitum transferri dominium, niſi forte lucrum etiam ſit prohibitum. Docet hoc M. Soto lib.4. de iuſtitia, q.5.art.3. concl.4. Probatur: contractus ludi iure naturæ habet vim transferendi dominium: ſed hæc vis per ludi prohibitionem non impeditur; ergo per ludum etiam prohibitum transfertur dominium. Maior probatur cum Mag.Soto: *Nam nulla eſt dominiorum tranſlatio naturæ germanior, quam, quæ libera domini voluntate fit*. Per ludum autem libera voluntate domini transfertur dominiũ: quilibet enim ludentium liberè vult pecuniam ſuam periculo exponere, illamque ſi victus fuerit, vincenti dare. Et ſi prodiga pecuniæ largitio illius dominium transfert, cur non ea, quæ in ludo fit cum quadam pactione, do, vt des, meam pecuniam periculo expono, vt tu viciſſim exponas tuam? Minor etiam probatur: nam prohibitio ſolum facit, vt contractus non ſit licitus, naturam autem, & vim, quam ex ſe habet, non aufert, ſed intactam relinquit, vt patet cum Eccleſiaſticis prohibetur negotiari, & ſæcularibus aliquid vendere tali loco, aut die, ergo, &c. Confirmatur: niſi lucrum ex ludo ſit prohibitum, non tenetur, qui ludit, ea, quæ per ludum acquirit, & lucratur reſtituere, ergo illorum dominium acquirit, hocque per talem ludum in illum transfertur. Conſequentia patet. Antecedens probatur, quę quis acquirit, & lucratur per actionem malam,

lam, præſertim ſi non ſit mala ex genere, ſed ſolum ratione circumſtantiæ, non tenetur ea reſtituere, ſi non ſit lucrum prohibitum, vt patet ex dictis ſupra q.62 artic.5. dub.3. con.1. Ergo cum ludus non ſit opus ex ſuo genere malum, ſed ſolum ſit malum, & prohibitum ratione circumſtantiarum, vt conſtat ex D.Thom. & Caietano infra q. 168 art.2 & 3. quæ ludens per ludum acquirit, non tenetur reſtituere, ſed illius dominium acquirit, niſi forte lucrum ſit etiam prohibitum.

Quando autem ſit prohibitum lucrum ex D.Thom ſupra q.32. art.7. ad 2. vbi ait: *Circa illa vero, quæ per aleas acquiruntur, videtur eſſe aliquid illicitum ex diuino iure, ſcilicet, quod aliquis lucretur ab his, qui rem ſuam alienare non poſſunt, ſicut ſunt minores, & furioſi, & huiuſmodi, & quod aliquis trahat aliũ ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quod fraudulenter ab eo lucretur. Et in his caſibus tenetur ad reſtitutionem.*

Circa primum caſum aduertit M. Soto, ſupra, minores, & pupillos poſse paruam aliquam quantitatem (reſpectu ſui ſtatus ludere, vt vigeſimam partem alimentorũ, quinque videlicet, qui pro alimentis centum ducatos habet. Subditque, hos non poſse in conſcientia plus lucrari, quam perdere: debet enim colludentium vtriuſque par eſse conditio. M. Bañes ſupra qu. 32. artic.7. dubio 3. con.3. in primo aſsentit M. Soto, & rationem eius reddit: nam pater cenſendus eſt illam pecuniam filio conce-

de-

dere, vt conſummat eam in eos vſus, ſine quibus vita mortalis commode tranſigi nequit: ludus autem moderatus ad laxandum animum ordinatus: vt poſſit alacrior ad laborem redire, eſt huiuſmodi. Vnde alij aſſerunt, etiam ſi pater nolit, vt filius quid moderatum ludat, poſſe filium ludere: nam mens patris ſolum eſt moderari, ac filium detinere, ne nimiam quantitatem ludo exponat, in aliquali enim debet conſentire, cum ludus prædictus pertineat ad neceſſitatem vitæ humanæ. In ſecundo diſſentit M. Bañes à M. Soto, & ait minores, & pupillos poſſe maiorem pecuniæ ſummam, ſi ſors fœliciter cedat, lucrifacere, quam amittere poterant. Probat, nam in iure ſæpè contractus, qui fiunt inter pupillos, & alios, qui ſui iuris ſunt, quamuis non valeãt, qua parte sũt in pupilli detrimentũ, valent tamen, qua parte ſunt in illius fauorem, & detrimentũ alterius, qui cũ illo contraxit, vt patet in §. *Pupillus*. Inſt. De inutilib. ſtipulationibus. Ergo idem erit in contractu ludi, ſicque licet, qui cum pupillo ludit, non poſſit lucrari niſi illam paruam quantitatem, quam pupillus poteſt exponere ludo; pupillus tamen poterit maiorem quantitatem lucrifacere. Quod verificatur primo, quando ludendi cum pupillo notum eſt, non poſſe pupillum, niſi illam paruam quantitatem ludo exponere, & nihilominus ludens cum illo vnica ſponſione maiorem ſummam exponit: tunc enim hic, ſciens conditionem ſocij, videtur cedere

ſe iuri ſuo, & pupillus poteſt ſponſionem acceptare, & ſi ei ſors fęliciter cedat, poteſt illam maiorem ſummam lucrari abſque alterius iniuria, cum ſcienti, & volenti nulla fiat iniuria. Idem eſt cum pauperculus cum homine prædiuite, & pecunioſo ludit; de quo vide etiam Dianam 1. parte tra 8. qui eſt de contractibus reſol. 66. Secundo verificatur, quando pupillus ludit cum pluribus; ſi enim ludit cum tribus,& ipſe deponat quinque,quæ poteſt ludo exponere, & alij tres ſinguli totidem deponant,ſcilicet quinque aureos poterit lucrari quindecim, vt docent P. Leſſius lib. 2. cap.26.dub.5. num 38. M. Salon q. 5. De dominio, art. 6. controuerſia penultima, & alij. Tertiò verificatur, quando pupillus, qui ludi fortunæ poteſt exponere quinque, lucratur alia qninque: his enim acquiſitis, iam poteſt ludo exponere decē, & alios decem aureos lucrari, quibus comparatis lucrari poteſt viginti, & ſic deinceps: nam quamuis lucrum numeretur inter bona profectitia, quorum diſpenſatio pertinet ad Patrem: tamen eo ipſo, ac Pater concedit filio copiam exponendi fortunæ ludi quinque aureos, inquit M. Bañes vbi ſupra, tacite etiam concedit copiam exponendi omne lucrum, quod inde importat iuxta leges ludi, de quo etiam vide M.Salon, vbi ſupra. & Dianam loco citato reſol.67.

Circa ſecundum caſum de illo,qui alium trahit ad ludendum, aduertit etiam Mag.

Soto vbi ſupra, non eſſe intelligendum de quocunque trahente; ſed de eo, qui inuitum trahit, vim ei inferendo, aut enim improbis precibus, & verbis eouſque inſtigando, vt niſi luderet, pudore ſuffunderetur, & haberetur, tanquam inurbanus, & ignobilis. Hunc autem ad reſtitutionẽ teneri eius, quod à ſic tracto lucratus fuerit, probat: quia ab inuito lucratur, & ludus debet eſſe prorſus liber, vt qui perdit, trāſferre dominium videatur. Non tamen deſunt, qui, hunc ad reſtitutionem non teneri, affirment: id enim aſſerunt Adrianus relatus à M. Soto, & ex recentioribus P. Sa verbo ludus num. 7. & alii: quamuis enim (inquiunt) teneatur ad ſatisfactionem iniuriæ; non tamen ad reſtitutionem pecuniæ ludo acquiſitæ: nam ſicut attractus ſi lucratus fuerit, non tenetur reſtituere: ita nec attrahens, etiam ſi peccauerit iniurioſè attrahendo, contractus enim ludi validus, & iuſtus eſt reſpectu vtriuſque. Sed opinio M. Soto communior eſt, & D. Tho. conformior.

Circa tertium caſum de eo, qui fraudulenter ab alio lucratur, nulla eſt opinionū varietas: certiſſimum enim eſt illum, qui vtitur fraudibus, ad reſtitutionem teneri eius, quod lucratur, vt ſi ludat pluribus, vel falſis foliis luſoriis, aut taxillis, vel chartas ſuffuretur, aut ſigno aliquo notet, vel taxillos adulteratos ſupponat: nam lucrum acquirit inuito domino rationabiliter. Imo,

mo,

mo, & quod alter lucraturus erat, ſi ipſe fraudibus non fuiſſet vſus, tenetur reſtituere: nam eſt iniuſta cauſa damni illius.

Addit præterea D. Thom. vbi ſupra: *Aliquid autem videtur eſſe vlterius illicitum ex iure poſitiuo ciuili, quod prohibet vniuerſaliter tale lucrum. Sed quia ius ciuile non obligat omnes, ſed eos ſolum, qui ſunt his legibus ſubiecti, & iterum per diſſuetudinem abrogari poteſt; ideo apud illos, qui ſunt his legibus obſtricti, tenentur vniuerſaliter ad reſtitutionem, qui lucrantur.* Quibus verbis videtur Diuus Thomas inſinuare iure ciuili communi prohiberi lucrum ex ludo: ſicq. per ludum non transferri dominium. Illũ tamen explicat M. Soto, vbi ſupra: *Vel intelligit, quando lex ciuilis exprimeret, non transferri dominium. Aut intelligit, quod reſtituatur ſi repetatur. Alias profecto duriſſimum verbum eſſet.* Vnde vel non loquitur D. Thom. de iure communi ciuili, ſed de particulari alicuius regni, quo lucrum ex ludo prohiberetur, & translatio dominij annullaretur: huiuſmodi enim eſt ius ciuile, quod nõ obligat omnes, ſed eos ſolos, qui ſunt his legibus ſubiecti. Vel ſi loquitur de iure ciuili communi, cum ait legibus, illius obſtrictos teneri ad reſtitutionem lucri, exponendum eſt, ſi repetatur, & per ſententiam iudicis condemnentur. Sic enim ius ciuile commune intelligendum eſt, cum *L. Alearum*, C. de aleatoribus dicit: *Nulli liceat in publicis, vel pri-*

priuatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in ſpecie: & ſi contra factum fuerit, nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint. Vbi licet, vt aduertit M. Soto vbi ſupra, illud: *Solutum reddatur*, videatur inſinuare dominium non transferri: hoc tamen ſtatim Imperator exponit ſubdens; *Et competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint.* Debet ergo reddi, ſi repetatur, alias qui perdidit, verum dominiū tranſtulit. Repetitio autem debet fieri in iudicio, vt per ſententiam iudicis recuperetur amiſſum, Vnde non ſufficit, repetitionem priuatim fieri, aut etiam fieri in iudicio, niſi ſequatur condemnatio, qua victor iubeatur reſtituere: ante hanc enim victor non tenetur, poſt illam reſtituere tenetur. Satis etiam inſinuat D. Thom. leges iſtas iuris communis ciuilis eſſe per diſſuetudinem abrogatas; quod & expreſsè docent P. Leſſius lib. 2. c. 16 dub. 1. ad finem, & alij quos refert, & ſequitur Diana p. 2. tract. 1. miſc. reſol. 65.

De illo, qui ludit impignorata fide, quærit M. Soto, an teneatur ſoluere, quod perdit? Et reſpondet: *Quod dum non niſi ſimpliciter pollicitus eſt, non eſt cenſendus renuntiare iuri ſuo, quod habet beneficio ciuilis legis repetendi. Et ideo ſicut ſi ſoluiſſet, nihilominus potuiſſet repetere: ita qui pollicitus eſt, poteſt in conſcientia iudicio ſe defendere, vt non ſoluat.* Quod nonnulli confirmant: nam ſi datur actio ad repetendum; ergo multo magis

ei competit exceptio antequam ſoluat? quid enim opus eſt ſoluere, ſi poſtea quam ſoluerit, repetendi coram iudice ius habet? Alij oppoſitum tenent: quia promiſſio ex iure naturali habet vim obligandi, & nullũ eſt ius, quod talem promiſſionem ſoluendi ludentis credito irritam reddat, de quo vide Dianam. 3. part. tractat. 5. miſcellan. reſol.94.

Denique quærit M.Soto, an qui amplam pecuniam ludo perdidit, veretur tamen publico iudicio id repetere, poſſit latenter id ab alio accipere, aut recompenſationem ſibi facere aliorum debitorum, quæ alias illi forſan debet? Reſpondetque, licet Adrianus id licere cenſeat, oppoſitum eſſe tenendum: *Nam poſtquam vera ſit translatio dominij, non poteſt alia via recuperare, quã vtendo beneficio legis.* Dicunt tamen nonnulli, ſi quando ſoluit pecuniam perditam, non habebat animum ſoluendi, ſed ſolum id ficte fecit præ pudore, aut alio reſpectu, animum habens ſe compenſandi, quando ei ſuppeteret facultas, poſſe ſe compenſare, quia reuera tunc non eſt viſus ſoluere, ſed mutuare.

Dicendum eſt 4. vnum quemque ſua volũtate poſſe naturali iure rei ſuę dominiũ in alterum transferre: eodem tamen iure non obſtante, legem ciuilem poſſe tum voluntatem domini cohibere, tum etiam ipſo inuito ſuorum bonorum dominio priuare. Vtramque concluſionis partem docet M.Soto lib.4. de iuſtitia, q.5.art.1. Vtra-

que

que etiam pars manifeſta eſt: ſicut enim homo per voluntatem conſtituitur dominus, per eandem poteſt dominium quodcumque à ſe abdicare, & in alium transferre. Et cum homo ſit animal ciuile, per legem ciuilem cohiberi poteſt eius voluntas, ne dominium transferat.

An verò per ſolum actum interiorem voluntatis poſſit transferri dominium, dubitat M. Soto, loco citato ad 1. & reſpondet: *Translatio eſt duplex: alia ſcilicet, quæ per tranſactionem fit, & cõtractum. Et de hac nemini dubium eſt, quin abſque extera ſignificatione fieri non poſſit, quandoquidem illic non eſt ſimplex datio, ſed hipothetica: mutua ſcilicet do, vt des, vt patet in emptione, & venditione, & ſimilibus, ac præcipuè in contractu matrimoniali, cuius ideo conſenſus nullus eſt, niſi extrinſecus explicetur. Alia eſt ſimplex translatio, qualis eſt donatio, quæ nullam ab altera parte obligationem expoſtulat, & de hac eſt dubium. Etenim ſi ego firmato conſenſu mente do, aut polliceor rem aliquam, poſtquam illa eſt vera aſſertio, videtur hominem ligare.* Subditque, licet vſquequo alter accipiat, nulla fiat translatio: probabile tamẽ eſſe, teneri mẽtem ſuam alteri patefacere, quam ſi acceptauerit, obligatur implere lege naturæ in conſcientia: de iure namque ciuili palam eſt, neminem cogi poſſe per actum interiorem, quoad vſque foris explicitus ſit.

Hanc ſententiam ſequuntur alij recentiores. Probari poteſt 1. quia actu interno, quo quis non vult amplius rem habere

re in bonis ſuis, poteſt amitti poſſeſſio, & dominium; ergo, & actu interno poteſt dominium tranſerri.

Secundò, promiſſio merè interna, ſi accedat iuramentum merè internum, tranſfertur ius, & dominium, obligatque in conſcientia; ergo, & actus pure interior.

Tertiò, expreſſio exterior ſolum eſt neceſſaria, vt voluntas interna poſſit cognoſci, & acceptari; ergo ſi Petro interius dicente, do Ioanni centum aureos, quos apud ipſum depoſui, Deus Ioanni reuelaret talē factum internum Petri, & acceptaret, poſſet centum aureos retinere, & illorum dominium per actum Petri internum ad ipſum translatum eſſet.

Quartò, promiſſio verbis declarata, ſed abſenti facta transfert dominium; ergo, & quæ eſt pure interior, eadem enim eſt vtriuſque ratio.

Oppoſitam ſententiam (quam etiam M. Soto vbi ſupra, & lib. 8 q. 2. art. 1. probabilem eſſe iudicat) docent M. Bañes in præambulo de dominio diſp. 5. dub. 1. & communiter Theologi. Probatur 1. ex D. Thom. infra q. 88. art. 1. dicente: *Promiſſio, quæ ab homine fit homini, non poteſt fieri niſi per verba, vel quæcumque exteriora ſigna.*

Secundò, in promiſſione, & translatione dominij eſt quædam ordinatio congrua ſocietati hominum inter ſe: ſed hæc in actu interiori non inuenitur; ergo ſicut Propter hoc homini nihil iubetur ſola men-

mente, nec illum ſola mente oramus, ſed ſolum iubere, & orare proponimus, ita neque propriè promittimus, aut dominium transferimus, ſed ſolum proponimus.

Tertiò, præceptum ſola mente factum à Prælato non obligat ſubditum, etiam ſi per reuelationem illud cognoſceret, quia actus interior non eſt ſufficiens, vt ſubdito tale præceptum innoteſcat, de quo vide quę diximus 1.2. q.90. art.4. ergo propter eandem rationem promiſſio, aut donatio purè interior non transfert dominium: nā ad hoc requiritur, vt per actum, quo transfertur, poſſit in notitiam venire alterius, qui debet acceptare.

Quartò, promiſſio, aut datio mutua, niſi explicetur exterius ſignis, non transfert dominium; ergo nec ſimplex: cur enim cum ſolus Petrus dicit intra ſe, promitto, aut do Ioanni centum aureos, horum dominium transfert; & cum Petrus intra ſe dicit, promitto, aut do Ioanni centum aureos pro tali domo, & Ioannes ſimiliter interius dicit, promitto, & do talem domū pro centum aureis, neuter rei ſuæ dominium transfert?

Ad 1. autem primæ ſententiæ reſpōdent quidam negando conſequentiam: quia facilius eſt amitti dominium, quam transferri, ſicut rem deſinere eſſe, quam eſſe incipere, aut in altero produci. Sed reſpondetur negando antecedens: quamuis enim aliquis interius diceret, nolo hanc rem habere in bonis meis, non propterea ſtatim

eius

eius dominium amitteret; poſſet namque pro libito talem voluntatem mutare,& rei dominium, & poſſeſſionem continuare. Vt ergo dominium amittat, requiritur, vt conſtet, rem haberi ab illo pro derelicta aliquo ſigno exteriori.

Ad 2. Reſpondent quidam, nec etiam iuramentum illud obligare, ſi non Deo,ſed homini fieri intelligatur: ſicut enim promiſſio interior ſolum obligat, quando fit Deo, ita & iuramentum. Sed reſpondetur, iuramentum inducere obligationem adimplendi promiſſum propter reuerentiã nominis Dei in teſtem, & fideiuſſorem adducti; ſicque licet promiſſio interior ſola non obliget, bene tamen iuramento confirmata: nam ſicut promiſſio facta Deo obligat, ita & qua Deus in teſtem adducitur, etiam ſi homini fiat.

Ad 3 reſpondetur negando conſequentiam,vt patet ex 3. probatione noſtræ ſententiæ. Negari etiam poteſt antecedens expreſſio enim exterior non ſolum requiritur, vt voluntas donandi, aut promittendi cognoſci poſſit, ſed etiam vt donatio, & promiſſio compleatur, nam interior volitio ſolum eſt quædam inchoatio illius.

Ad 4. reſpondetur negando antecedens: manendo enim in iure naturæ,promiſſio etiam verbis declarata,facta abſenti, immo, præſenti ſurdo,aut infanti,non transfert dominium, nec obligat ex iuſtitia ante acceptationem. Vide M, Bañes vbi ſupra, dub. 2.

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum ſit de ratione furti occultè accipere rem alienam.

Concluſio eſt affirmans.

HAec furti definitio tradita à D. Thom. hic: *Occulta acceptio rei alienæ*, communiter à Theologis admittitur, quam ſic explico cum S. Doct. & Caiet.

Prima particula, quæ loco generis ponitur eſt *Acceptio*. Quæ non ſumitur communiter, ſed vt contrariatur iuſtitiæ, iniuſtaque proinde acceptio eſt. Dicit autem D. Thom. ad 2. *Sub iniuſta acceptione intelligitur etiam iniuſta detentio*. Excluditur vero iniuſta damnificatio, quæ abſque acceptione fit, qualis eſt domus combuſtio; quę propterea furtum non eſt, licet in cõſcientia idem ſit de illa, ac de furto iudicium faciendum.

Secunda particula eſt *Occulta*. Per quam differt furtum à rapina, quæ eſt manifeſta acceptio. Iuriſperiti addunt, furtum eſſe fraudulosam acceptionem, hoc eſt animo celandi. Sed ſuperflue, vt ait Caiet. *Quia animus furandi non magis requiritur ad furtũ, quam animus adulterandi ad adulterium: nec tamen oportet ponere in definitione adulterij hoc.* Deinde eſſe fraudulosum, non pertinet formaliter ad rationem furti, ſed ad quod-

dam vitium imprudentiæ, quo aliquis vtitur ſimulatis vijs in factis ad intentionem ſuam exequendam.

Tertia eſt *Rei alienæ*. Per quam (inquit D. Thom.) diſtinguitur furtum à peccatis, quæ ſunt circa perſonas, ſicut ab homicidio, & adulterio: nam furtum eſt circa rem poſſeſſam. Vnde Caietan. ait: *Si quis accipiat, id quod eſt alterius, non quaſi poſſeſſio, ſed quaſi pars, ſicut ſi amputet membrum: vel ſicut perſona coniuncta, vt ſi auferat filiam, vel vxorem, non habet propriè rationem furti. Sed propriè furtum eſt, accipere ſeruum alienum, quoniam poſſidemus ſeruos ſicut agros, non autem filias, & vxores*. Quod intelligendum eſt, quando ſerua aliena accipitur propter vtilitatem temporalem, quæ eſt domini, cũ ſit eius quaſi pecunia: nam inferius ipſe Caiet. dicit: *Quod accipere ſeruam alienam propter coitum, non eſt furtum, ſicut nec coire cum illa in domo domini ipſo inuito*. Quia ſerua ſecundum illum actum non ſubeſt dominio alterius, nec accipiens quærit in ea, id quod alterius eſt, ſed quod ipſius ſeruæ; quamuis de damno illato, ſi illum priuat ancillę obſequio, teneatur. Auferre autem filiam, aut vxorem, ſi fiat ad fruendum, aut pro concubitu, ipſis inuitis, raptus eſt: ſi verò fiat ad vendendum, vel retinendum in mancipia, plagium. Quidam rem alienam mobilem, & corporalem debere eſſe dicunt. Sed falſo inquit Caietan. *Quia ad furti ſpeciem ſpectat acceptio occulta alieni agri, aut alienorum iurium, non minus,*

quam

quam alienæ veſtis.

Quartam particulam communiter addunt Theologi, *Inuito domino*. Quam licet Caiet. dicat eſſe ſuperfluam: *Quia ſi occultè accipitur, conſtat quod, quantum eſt ex parte peccantis, inuito domino accipit*. Maioris tamen explicationis gratia retineri poteſt. Ad differentiam etiam acceptionis occultæ, qua filij, & vxores aliquid accipiunt à parentibus, aut viris, putantes parentem, aut virum rogatum facilè conceſſurum: quia tunc parens, aut vir non eſt inuitus circa ſubſtantiam, ſed circa modum acceptionis, ſicque nec filius, nec vxor furtum committunt. De quo vide Caiet. in Sum. verbo, *Furtum*.

Quintam Iuriſperiti addunt, *Lucri faciendi gratia*. Sed falſo inquit Caiet. *Quia ſi non animo lucrandi, ſed damnificandi fieret, vt ſi acciperet occultè veſtem alienam, vt projceret eam in flumen, furti reus eſſet*. Addunt etiam Iuriſperiti, vel ipſius rei, vel etiam vſus poſſeſſioniſue: tamen ait Caiet. *Quia nomine rei alienæ camprehenditur omne, quod eſt alterius, vt poſſeſſio eius, quicquid illud ſit, vt in littera dicitur*.

Circa articulum quartum nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS V.

Vtrum furtum ſemper ſit peccatum.

Concluſio eſt affirmans.

PAtet ex illo Exodi 20. v.14. *Non furtum facies*. Quod eſt vnum ex Decalogi præceptis. Contra quod non fecerunt filij Iſrael, quando vt dicitur Exodi 12. ver. 36. *Spoliauerunt Ægyptios*. Nam vt ait S. Auguſt. lib.2.qq. ſuper Exodum q.39. *Nec Iſraelitæ furtum fecerunt, ſed Deo iubenti miniſterium præbuerunt, quemadmodum cum miniſter Iudicis occidit eum, quem Iudex iuſſit occidi*. Et in illud Pſalm. 104. *Et percuſſit omne primogenitum*, docet, tunc Iſraelitas accepiſſe *Laborum ſuorum licet temporalem, tamen debitam iuſtamque mercedem*. Quæ eſt etiam doctrina D. Thom. hic ad 1.

Dubium I. *An acceptio rerum inuentarum ſit peccatum furti*.

CAietanus in ſumma verbo *Furtum*, ait: *Tenetur inuentor non ſibi, ſe domino reddendam accipere rem inuentam, ſi bona conſcientia accipere vult illam, alioquin furtum committit. Et ſi quidem dominus ſcitur, aut diligentia præmiſſa inuenitur, reddatur illi*.

autem dominus non inuenitur (*quia forte viatori cecidit*) *debet illi reddi in bonis ſpiritualibus*. Idem dicunt Syluester verbo, *Inuentum*, q.1. Nanarrus cap.17. num.170. & ſeq. & alij aſſerentes, inuenta, ſi non appareat quis perdidit, vel cuius ſunt, eſſe pauperibus, aut alijs pijs operibus impendenda. Et ſi inuentor eſt pauper, poſſe ſibi rem inuentam totam, aut partem retinere ſaltem ex conſilio confeſſarij, tanquam vnus ex pauperibus.

Probatur hæc ſententia: nam illam docere videtur D. Thom. hic ad 2. dum ait, quando retinentur res inuentæ, quæ pro derelictis à ſuis dominis non habentur: *Committitur peccatum furti. Vnde Aug. dicit in quadam homilia & habetur* 14. q.5. *Si quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti*. Ibidem etiam Can. *Multi* refertur ex S. Hieronym. *Peccatum ſimile rapinæ eſt, ſi quis inuenta non reddat*. Ergo, &c.

Dicendum tamen eſt 1. Acceptionem rerum inuentarum, quæ nullius vnquam fuerunt, non eſſe peccatum furti. Docet hoc D. Thom. hic ad 2. vbi de rebus inuentis agens ait: *Quædam ſunt, quæ nunquã fuerunt in bonis alicuius, ſicut lapilli, & gemmæ, quæ inueniuntur in littore maris, & talia occupanti conceduntur*. Quod M. Bañes hic verum eſſe dicit ſtando in ſolo iure naturali, & etiam in iure communi, vt patet ex Inſt. & ff. de rerum diuiſione, §. & L. *Item lapilli*. Lege enim particulari Reges Hiſpaniæ prohibuerunt, ne quis in mari Indi-

co occidentali quæreret margaritas, niſi eſset talis conditionis. Contra quam non faceret, qui ſorte repertas margaritas ſibi acciperet. Et licet quæreret, & inuentas acciperet, non teneretur margaritas reſtituere ante condemnationem Iudicis: quia lex illa pœnalis eſt, ſicut, & lex, quæ prohibet piſcationem, aut venationem.

Dicendum eſt 2. Eandem eſſe rationem de rebus inuentis, quarum nullus eſt dominus, quamuis illam olim habuerint, quales ſunt theſauri. Docet hoc D. Tho. hic ad 2. ſubdens. *Et eadem eſt ratio de theſauris antiquo tempore ſub terra occultatis, quorum non extat aliquis poſſeſſor, niſi quod ſecundum leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem domino agri, ſi in alieno agro inuenerit. Propter quod in parabola Euangelij, dicitur Matth. 13. de inuentore theſauri abſconditi in agro, quod emit agrum, quaſi vt haberet ius poſſidendi totum theſaurum.* Vnde ſi ſolum ius naturale, & gentium ſpectetur, theſauri ſunt inuentoris illos occupantis. At ſecundum leges ciuiles aliter de illis iudicādum eſt. Inſt. enim de rerum diuiſione, §. Theſauros, ſic habet: *Theſauros, quos quis in loco ſuo inuenerit, D. Adrianus naturalem æquitatem ſequutus ei conceſſit, qui eos inuenerit. Idemque ſtatuit, ſi quis in ſacro, aut religioſo loco fortuito caſu inuenerit. At ſi quis in alieno loco non data ad hoc opera, ſed fortuito inuenerit, dimidium domino ſoli conceſſit, & dimidium inuentori.* Et C. lib. 10. de theſauris, L. vnica, quæ incipit *Nemo*, idem dicit his

verbis: *Nam in ſuis quidem locis vnicuique dummodo ſine ſceleratis, ac puniendis ſacrificijs, aut alia qualibet arte legibus odioſa, theſaurum (id eſt condita ab ignotis dominis tempore vetuſtiore mobilia) quærere, & inuento vti liberã tribuimus facultatem, &c. Quod ſi in alieno loco theſaurum ſcrutatus inuenerit, totum hoc locorum domino reddere compellitur. Quod ſi fortè, vel arando, vel alias terram alienam colendo, vel quocumque caſu, non ſtudio perſcrutandi in alienis locis theſaurum inuenerit, id quod repertum fuerit, dimidia retenta, altera dimidia data, cum locorum domino partietur.*

Circa quas leges à D. Thom. commemoratas aduertit Caiet. hic: *Quod quia iura ciuilia, vt præcedenti libro dictum eſt, obligant etiam in foro conſcientiæ, & lex de inuentis theſauris in alieno agro non eſt pœnalis, vt expectet ſententiam Iudicis, ſed de proprietate rerum ſtatuens: & iam dictum eſt, quod proprietas rerum eſt à iure poſitiuo; ideo vbi lex illa imperialis robur legis obtinet, inuentor theſauri in alieno ſolo tenetur in foro conſcientiæ ſeruare illam.*

Quod intelligendum eſt, quantum ad illã partem, quæ ſtatuit theſaurum caſu inuentum in alieno ſolo diuidendum eſſe. Nam quantum ad id, quod afferit theſaurum ex propoſito quæſitum, & inuentum, in alieno loco totum eſſe domino agri adiudicandum, lex pœnalis eſt, vt docet M. Bañes hic con. 4.

mo, & quod alter lucraturus erat, ſi ipſe fraudibus non fuiſſet vſus, tenetur reſtituere: nam eſt iniuſta cauſa damni illius.

Addit præterea D. Thom. vbi ſupra: *Aliquid autem videtur eſſe vlterius illicitum ex iure poſitiuo ciuili, quod prohibet vniuerſaliter tale lucrum. Sed quia ius ciuile non obligat omnes, ſed eos ſolum, qui ſunt his legibus ſubiecti, & iterum per diſſuetudinem abrogari poteſt; ideo apud illos, qui ſunt his legibus obſtricti, tenentur vniuerſaliter ad reſtitutionem, qui lucrantur.* Quibus verbis videtur Diuus Thomas inſinuare iure ciuili communi prohiberi lucrum ex ludo: ſicq. per ludum non transferri dominium Illũ tamen explicat M. Soto, vbi ſupra: *Vel intelligit, quando lex ciuilis exprimeret, non transferri dominium. Aut intelligit, quod reſtituatur ſi repetatur. Alias profecto duriſſimum verbum eſſet.* Vnde vel non loquitur D. Thom. de iure communi ciuili, ſed de particulari alicuius regni, quo lucrum ex ludo prohiberetur, & translatio dominij annullaretur: huiuſmodi enim eſt ius ciuile, quod nõ obligat omnes, ſed eos ſolos, qui ſunt his legibus ſubiecti. Vel ſi loquitur de iure ciuili communi, cum ait legibus, illius obſtrictos teneri ad reſtitutionem lucri, exponendum eſt, ſi repetatur, & per ſententiam iudicis condemnentur. Sic enim ius ciuile commune intelligendum eſt, cum *L. Alearum*, C. de aleatoribus dicit: *Nulli liceat in publicis, vel pri-*

priuatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in ſpecie: & ſi contra factum fuerit, nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint. Vbi licet, vt aduertit M. Soto vbi ſupra, illud: *Solutum reddatur,* videatur inſinuare dominium non transferri: hoc tamen ſtatim Imperator exponit ſubdens; *Et competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint.* Debet ergo reddi, ſi repetatur, alias qui perdidit, verum dominiũ tranſtulit. Repetitio autem debet fieri in iudicio, vt per ſententiam iudicis recuperetur amiſſum; Vnde non ſufficit, repetitionem priuatim fieri; aut etiam fieri in iudicio, niſi ſequatur condemnatio, qua victor iubeatur reſtituere: ante hanc enim victor non tenetur, poſt illam reſtituere tenetur. Satis etiam inſinuat D. Thom. leges iſtas iuris communis ciuilis eſſe per diſſuetudinem abrogatas, quod & expreſsè docent P. Leſſius lib. 2. c. 16 dub. 1. ad finem, & alij quos refert, & ſequitur Diana p. 2. tract. 1. miſc. reſol. 65.

De illo, qui ludit impignorata fide, quærit M. Soto, an teneatur ſoluere, quod perdit? Et reſpondet: *Quod dum non niſi ſimpliciter pollicitus eſt, non eſt cenſendus renuntiare iuri ſuo, quod habet beneficio ciuilis legis repetendi. Et ideo ſicut ſi ſoluiſſet, nihilominus potuiſſet repetere: ita qui pollicitus eſt, poteſt in conſcientia iudicio ſe defendere, vt non ſoluat.* Quod nonnulli confirmant: nam ſi datur actio ad repetendum; ergo multo magis

ei competit exceptio antequam ſoluat: quid enim opus eſt ſoluere, ſi poſtea quam ſoluerit, repetendi coram iudice ius habet? Alij oppoſitum tenent: quia promiſſio ex iure naturali habet vim obligandi, & nullũ eſt ius, quod talem promiſſionem ſoluendi ludentis credito irritam reddat, de quo vide Dianam, 3. part. tractat. 5. miſcellan. reſol.94.

Denique quærit M.Soto, an qui amplam pecuniam ludo perdidit, veretur tamen publico iudicio id repetere, poſſit latenter id ab alio accipere, aut recompenſationem ſibi facere aliorum debitorum, quæ alias illi forſan debet? Reſpondetque, licet Adrianus id licere cenſeat, oppoſitum eſſe tenendum: *Nam poſtquam vera ſit tranſlatio dominij, non poteſt alia via recuperare, quã vtendo beneficio legis.* Dicunt tamen nonnulli, ſi quando ſoluit pecuniam perditam, non habebat animum ſoluendi, ſed ſolum id ficté fecit præ pudore, aut alio reſpectu, animum habens ſe compenſandi, quando ei ſuppeteret facultas, poſſe ſe compenſare, quia reuera tunc non eſt viſus ſoluere, ſed mutuare.

Dicendum eſt 4. vnum quemque ſua volũtate poſſe naturali iure rei ſuę dominiũ in alterum transferre: eodem tamen iure non obſtante, legem ciuilem poſſe tum voluntatem domini cohibere, tum etiam ipſo inuito ſuorum bonorum dominio priuare. Vtramque concluſionis partem docet M.Soto lib.4. de iuſtitia, q.5.art.1.Vtra-

que etiam pars manifeſta eſt: ſicut enim homo per voluntatem conſtituitur dominus, per eandem poteſt dominium quodcumque à ſe abdicare, & in alium transferre. Et cum homo ſit animal ciuile, per legem ciuilem cohiberi poteſt eius voluntas, ne dominium transferat.

An verò per ſolum actum interiorem voluntatis poſſit transferri dominium, dubitat M. Soto, loco citato ad 1. & reſpondet: *Translatio eſt duplex: alia ſcilicet, quæ per tranſactionem fit, & cõtractum. Et de hac nemini dubium eſt, quin abſque extera ſignificatione fieri non poſſit, quandoquidem illic non eſt ſimplex datio, ſed hipothetica: mutua ſcilicet do, vt des, vt patet in emptione, & venditione, & ſimilibus, ac præcipuè in contractu matrimoniali, cuius ideo conſenſus nullus eſt, niſi extrinſecus explicetur. Alia eſt ſimplex translatio, qualis eſt donatio, quæ nullam ab altera parte obligationem expoſtulat, & de hac eſt dubium. Etenim ſi ego firmato conſenſu mente do, aut polliceor rem aliquam, poſtquam illa eſt vera aſſertio, videtur hominem ligare*. Subditque, licet vſquequo alter accipiat, nulla fiat translatio: probabile tamẽ eſſe, teneri mẽtem ſuam alteri patefacere, quam ſi acceptauerit, obligatur implere lege naturæ in conſcientia: de iure namque ciuili palam eſt, neminem cogi poſſe per actum interiorem, quoad vſque foris explicitus ſit.

Hanc ſententiam ſequuntur alij recentiores. Probari poteſt 1. quia actu interno, quo quis non vult amplius rem habe-

re

re in bonis ſuis, poteſt amitti poſſeſſio, & dominium; ergo,& actu interno poteſt dominium tranferri.

Secundò, promiſſio merè interna, ſi accedat iuramentum merè internum, tranſfertur ius, & dominium, obligatque in conſcientia; ergo, & actus pure interior.

Tertiò, expreſſio exterior ſolum eſt neceſſaria,vt voluntas interna poſſit cognoſci, & acceptari; ergo ſi Petro interius dicente, do Ioanni centum aureos, quos apud ipſum depoſui, Deus Ioanni reuelaret talē factum internum Petri, & acceptaret, poſſet centum aureos retinere, & illorum dominium per actum Petri internum ad ipſum translatum eſſet.

Quartò, promiſſio verbis declarata, ſed abſenti facta transſert dominium; ergo, & quæ eſt pure interior, eadem enim eſt vtriuſque ratio.

Oppoſitam ſententiam (quam etiam M.Soto vbi ſupra, & lib.8 q.2. art.1. probabilem eſſe iudicat) docent M.Bañes in præambulo de dominio diſp. 5. dub. 1. & communiter Theologi. Probatur 1. ex D.Thom. infra q. 88. art.1. dicente: *Promiſſio, quæ ab homine fit homini, non poteſt fieri niſi per verba, vel quæcumque exteriora ſigna.*

Secundò, in promiſſione, & translatione dominij eſt quædam ordinatio congrua ſocietati hominum inter ſe: ſed hæc in actu interiori non inuenitur; ergo ſicut Propter hoc homini nihil iubetur ſola-

men-

mente, nec illum ſola mente oramus, ſed ſolum iubere, & orare proponimus, ita neque propriè promittimus, aut dominium transferimus, ſed ſolum proponimus.

Tertiò, præceptum ſola mente factum à Prælato non obligat ſubditum, etiam ſi per reuelationem illud cognoſceret, quia actus interior non eſt ſufficiens, vt ſubdito tale præceptum innoteſcat, de quo vide quę diximus 1.2. q.90. art.4. ergo propter eandem rationem promiſſio, aut donatio purè interior non transfert dominium: nã ad hoc requiritur, vt per actum, quo tranſfertur, poſſit in notitiam venire alterius, qui debet acceptare.

Quartò, promiſſio, aut datio mutua, niſi explicetur exterius ſignis, non transfert dominium; ergo nec ſimplex: cur enim cum ſolus Petrus dicit intra ſe, promitto, aut do Ioanni centum aureos, horum dominium transfert; & cum Petrus intra ſe dicit, promitto, aut do Ioanni centum aureos pro tali domo, & Ioannes ſimiliter interius dicit, promitto, & do talem domũ pro centum aureis, neuter rei ſuæ dominium transfert?

Ad 1. autem primæ ſententiæ reſpõdent quidam negando conſequentiam: quia facilius eſt amitti dominium, quam transferri, ſicut rem deſinere eſſe, quam eſſe incipere, aut in altero produci. Sed reſpondetur negando antecedens: quamuis enim aliquis interius diceret, nolo hanc rem habere in bonis meis, non propterea ſtatim

eius

eius dominium amitteret; poſſet namque pro libito talem voluntatem mutare, & rei dominium, & poſſeſſionem continuare. Vt ergo dominium amittat, requiritur, vt conſtet, rem haberi ab illo pro derelicta aliquo ſigno exteriori.

Ad 2. Reſpondent quidam, nec etiam iuramentum illud obligare, ſi non Deo, ſed homini fieri intelligatur: ſicut enim promiſſio interior ſolum obligat, quando fit Deo, ita & iuramentum. Sed reſpondetur, iuramentum inducere obligationem adimplendi promiſſum propter reuerentiã nominis Dei in teſtem, & fideiuſſorem adducti; ſicque licet promiſſio interior ſola non obliget, bene tamen iuramento confirmata: nam ſicut promiſſio facta Deo obligat, ita & qua Deus in teſtem adducitur, etiam ſi homini fiat.

Ad 3 reſpondetur negando conſequentiam, vt patet ex 3. probatione noſtræ ſententiæ. Negari etiam poteſt antecedens expreſſio enim exterior non ſolum requiritur, vt voluntas donandi, aut promittendi cognoſci poſſit, ſed etiam vt donatio, & promiſſio compleatur, nam interior volitio ſolum eſt quædam inchoatio illius.

Ad 4. reſpondetur negando antecedens: manendo enim in iure naturæ, promiſſio etiam verbis declarata, facta abſenti, immo, præſenti ſurdo, aut infanti, non transfert dominium, nec obligat ex iuſtitia ante acceptationem. Vide M, Bañes vbi ſupra, dub. 2.

AR.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſit de ratione furti occultè accipere rem alienam.

Concluſio eſt affirmans.

HAec furti definitio tradita à D. Thom. hic: *Occulta acceptio rei alienæ*, communiter à Theologis admittitur; quam ſic explico cum S. Doct. & Caiet.

Prima particula, quæ loco generis ponitur eſt *Acceptio*: Quæ non ſumitur communiter, ſed vt contrariatur iuſtitiæ, iniuſtaque proinde acceptio eſt. Dicit autem D. Thom. ad 2. *Sub iniuſta acceptione intelligitur etiam iniuſta detentio*. Excluditur vero iniuſta damnificatio, quæ abſque acceptione fit, qualis eſt domus combuſtio; quę propterea furtum non eſt, licet in cōſcientia idem ſit de illa; ac de furto iudicium faciendum.

Secunda particula eſt *Occulta* Per quam differt furtum à rapina, quæ eſt manifeſta acceptio. Iuriſperiti addunt, furtum eſſe fraudulosam acceptionem, hoc eſt animo celandi. Sed ſuperflue, vt ait Caiet. *Quia animus furandi non magis requiritur ad furtū, quam animus adulterandi ad adulterium: nec tamen oportet ponere in definitione adulterij hoc.* Deinde eſſe fraudulosum non pertinet formaliter ad rationem furti, ſed ad quod-

dam vitium imprudentiæ, quo aliquis vtitur ſimulatis vijs in factis ad intentionem ſuam exequendam.

Tertia eſt *Rei alienæ*. Per quam (inquit D. Thom.) diſtinguitur furtum à peccatis, quæ ſunt circa perſonas, ſicut ab homicidio, & adulterio: nam furtum eſt circa rem poſſeſſam. Vnde Caietan. ait: *Si quis accipiat, id quod eſt alterius, non quaſi poſſeſſio, ſed quaſi pars, ſicut ſi amputet membrum: vel ſicut perſona coniuncta, vt ſi auferat filiam, vel vxorem, non habet propriè rationem furti. Sed propriè furtum eſt, accipere ſeruum alienum, quoniam poſſidemus ſeruos ſicut agros, non autem filias, & vxores.* Quod intelligendum eſt, quando ſerua aliena accipitur propter vtilitatem temporalem, quæ eſt domini, cũ ſit eius quaſi pecunia: nam inferius ipſe Caiet. dicit: *Quod accipere ſeruam alienam propter coitum, non eſt furtum, ſicut nec coire cum illa in domo domini ipſo inuito.* Quia ſerua ſecundum illum actum non ſubeſt dominio alterius, nec accipiens quærit in ea, id quod alterius eſt, ſed quod ipſius ſeruæ; quamuis de damno illato, ſi illum priuat ancillę obſequio, teneatur. Auferre autem filiam, aut vxorem, ſi fiat ad fruendum, aut pro concubitu, ipſis inuitis, raptus eſt: ſi verò fiat ad vendendum, vel retinendum in mancipia, plagium. Quidam rem alienam mobilem, & corporalem debere eſſe dicunt. Sed falſo inquit Caietan. *Quia ad furti ſpeciem ſpectat acceptio occulta alieni agri, aut alienorum iurium, non minus,*

quam

quam alienā veſtis.

Quartam particulam communiter addunt Theologi, *Inuito domino*. Quam licet Caiet. dicat eſſe ſuperfluam: *Quia ſi occultè accipitur, conſtat quod, quantum eſt ex parte peccantis, inuito domino accipit*. Maioris tamen explicationis gratia retineri poteſt. Ad differentiam etiam acceptionis occultæ, qua filij, & vxores aliquid accipiunt à parentibus, aut viris, putantes parentem, aut virum rogatum facilè conceſſurum: quia tunc parens, aut vir non eſt inuitus circa ſubſtantiam, ſed circa modum acceptionis, ſicque nec filius, nec vxor furtum committunt. De quo vide Caiet. in Sum. verbo, *Furtum*.

Quintam Iuriſperiti addunt, *Lucri faciendi gratia*. Sed falſo inquit Caiet. *Quia ſi non animo lucrandi, ſed damnificandi fieret, vt ſi acciperet occultè veſtem alienam, vt proijceret eam in flumen, furti reus eſſet*. Addunt etiam Iuriſperiti, vel ipſius rei, vel etiam vſus poſſeſſioniſue: tamen ait Caiet. *Quia nomine rei alienæ comprehenditur omne, quod eſt alterius, vt poſſeſſio eius, quicquid illud ſit, vt in littera dicitur*.

Circa articulum quartum nihil ſe offert dicendum.

ARTICVLVS V.

Vtrum furtum ſemper ſit peccatum.

Concluſio eſt affirmans.

PAtet ex illo Exodi 20. v.14. *Non furtum facies*. Quod eſt vnum ex Decalogi præceptis. Contra quod non fecerunt filij Iſrael,quando vt dicitur Exodi 12. ver. 36. *Spoliauerunt Ægyptios*. Nam vt ait S. Auguſt. lib.2.qq. ſuper Exodum q. 39. *Nec Iſrhelitæ furtum fecerunt, ſed Deo iubenti miniſterium præbuerunt, quemadmodum cum miniſter Iudicis occidit eum, quem Iudex iuſſit occidi*. Et in illud Pſalm. 104. *Et percuſſit omne primogenitum*, docet, tunc Iſraelitas accepiſſe *Laborum ſuorum licet temporalem, tamen debitam, iuſtamque mercedem*. Quæ eſt etiam doctrina D.Thom. hic ad 1.

Dubium 1. *An acceptio rerum inuentarum ſit peccatum furti*.

CAietanus in ſumma verbo *Furtum*,ait: *Tenetur inuentor non ſibi, ſe domino reddendam accipere rem inuentam, ſi bona conſcientia accipere vult illam, alioquin furtum committit. Et ſi quidem dominus ſcitur, aut diligentia præmiſſa inuenitur, reddatur illi. S*

autem dominus non inuenitur (*quia forte viatori cecidit*) *debet illi reddi in bonis ſpiritualibus*. Idem dicunt Sylueſter verbo, *Inuentum*, q.1.Nanarrus cap.17. num.170.& ſeq. & alij aſſerentes, inuenta, ſi non appareat quis perdidit, vel cuius ſunt, eſſe pauperibus, aut alijs pijs operibus impendenda. Et ſi inuentor eſt pauper, poſſe ſibi rem inuentam totam, aut partem retinere ſaltem ex conſilio confeſſarij, tanquam vnus ex pauperibus.

Probatur hæc ſententia: nam illam docere videtur D. Thom. hic ad 2. dum ait, quando retinentur res inuentæ, quæ pro derelictis à ſuis dominis non habentur: *Committitur peccatum furti. Vnde Aug. dicit in quadam homilia & habetur* 14. *q.*5. *Si quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti*. Ibidem etiam Can. *Multi* refertur ex S.Hieronym. *Peccatum ſimile rapinæ eſt, ſi quis inuenta non reddat*. Ergo, &c.

Dicendum tamen eſt 1. Acceptionem rerum inuentarum, quæ nullius vnquam fuerunt, non eſſe peccatum furti. Docet hoc D. Thom. hic ad 2. vbi de rebus inuentis agens ait: *Quædam ſunt, quæ nunquã fuerunt in bonis alicuius, ſicut lapilli, & gemmæ, quæ inueniuntur in littore maris, & talia occupanti conceduntur*. Quod M. Bañes hic verum eſſe dicit ſtando in ſolo iure naturali, & etiam in iure communi, vt patet ex Inſt. & ff. de rerum diuiſione, §. & L. *Item lapilli*. Lege enim particulari Reges Hiſpaniæ prohibuerunt, ne quis in mari Indi-

co occidentali quæreret margaritas, niſi eſset talis conditionis. Contra quam non faceret, qui forte repertas margaritas ſibi acciperet. Et licet quæreret, & inuentas acciperet, non teneretur margaritas reſtituere ante condemnationem Iudicis: quia lex illa pœnalis eſt, ſicut, & lex, quæ prohibet piſcationem, aut venationem.

Dicendum eſt 2. Eandem eſſe rationem de rebus inuentis, quarum nullus eſt dominus, quamuis illam olim habuerint, quales ſunt theſauri. Docet hoc D. Tho. hic ad 2. ſubdens. *Et eadem eſt ratio de theſauris antiquo tempore ſub terra occultatis, quorum non extat aliquis poſſeſſor, niſi quod ſecundum leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem domino agri, ſi in alieno agro inuenerit. Propter quod in parabola Euangelij, dicitur Matth. 13. de inuentore theſauri abſconditi in agro, quod emit agrum, quaſi vt haberet ius poſſidendi totum theſaurum*. Vnde ſi ſolum ius naturale, & gentium ſpectetur, theſauri ſunt inuentoris illos occupantis. At ſecundum leges ciuiles aliter de illis iudicãdum eſt. Inſt. enim de rerum diuiſione, §. Theſauros, ſic habet: *Theſauros, quos quis in loco ſuo inuenerit, D. Adrianus naturalem æquitatem ſequutus ei conceſſit, qui eos inuenerit. Idemque ſtatuit, ſi quis in ſacro, aut religioſo loco fortuito caſu inuenerit. At ſi quis in alieno loco non data ad hoc opera, ſed fortuito inuenerit, dimidium domino ſoli conceſſit, & dimidium inuentori*. Et C. lib. 10. de theſauris, L. vnica, quæ incipit *Nemo*, idem dicit his ver-

verbis: *Nam in ſuis quidem locis vnicuique dummodo ſine ſceleratis, ac puniendis ſacrificijs, aut alia qualibet arte legibus odioſa, theſaurum (id eſt condita ab ignotis dominis tempore vetuſtiore mobilia) quærere, & inuento vti liberã tribuimus facultatem, &c. Quod ſi in alieno loco theſaurum ſcrutatus inuenerit, totum hoc locorum domino reddere compellitur. Quod ſi fortè, vel arando, vel alias terram alienam colendo, vel quocumque caſu, non ſtudio perſcrutandi in alienis locis theſaurum inuenerit, id quod repertum fuerit, dimidia retenta, altera dimidia data, cum locorum domino partietur.*

Circa quas leges à D. Thom. commemoratas aduertit Caiet. hic: *Quod quia iura ciuilia, vt præcedenti libro dictum eſt, obligant etiam in foro conſcientiæ, & lex de inuentis theſauris in alieno agro non eſt pœnalis, vt expectet ſententiam Iudicis, ſed de proprietate rerum ſtatuens: & iam dictum eſt, quod proprietas rerum eſt à iure poſitiuo; ideo vbi lex illa imperialis robur legis obtinet, inuentor theſauri in alieno ſolo tenetur in foro conſcientiæ ſeruare illam.*

Quod intelligendum eſt, quantum ad illã partem, quæ ſtatuit theſaurum caſu inuentum in alieno ſolo diuidendum eſſe. Nam quantum ad id, quod aſſerit theſaurum ex propoſito quæſitum, & inuentum, in alieno loco totum eſſe domino agri adiudicandum, lex pœnalis eſt, vt docet M. Bañes hic con. 4.

Ad has leges videtur Chriſtus attendiſſe cum de theſauro abſcondito in agro dixit Matth. 13. v. 44. *Quem qui inuenit homo abſcondit, &c. Et emit agrum illum*. Ne ſcilicet teneretur theſaurum cum domino agri diuidere, ſed totum ſibi retineret. Ex quo colligitur, illum, qui ſciens in agro latere theſaurum emit agrum, fieri dominum totius theſauri. Quod præterea probatur: nã theſaurus numquam fuit in bonis venditoris, alioquin theſaurus non eſſet, cum L. *Nunquam*, ff. de acquirendo rerũ dominio dicat: *Theſaurus eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominium non habeat*. Vnde emptor non acquirit dominium theſauri ex venditione alterius, ſed ex inuentione in agro proprio. Et non tenetur emptor, antequam emat, reuelare venditori, quod ipſe ſua induſtria cognouit: quia non pertinet ad ſubſtantiã rei venditæ.

Idem eſt ſi theſaurus conditus ſit in re mobili. Vnde ſi quis in ſaccis, quos miles in vrbis expugnatione cepit, putans ſolo tritico plenos eſſe, ſciret eſſe vaſa aurea, poſſet illos emere tãquam ſolo tritico plenos, & non teneretur militi quod ipſe ſcit, indicare, nec miles vnquam dominus vaſorum aureorum factus fuit, quia non intendit illa occupare, & ſaccos vendidit, antequam ſciret, quid lateret. Item ſi quis ſciret, equum bibiſſe margaritam in flumine, poſſet equum communi pretio emere,

&

&non tenetur reuelare domino equi,quod ſcit, vt docet M. Bañes hic concluſione 5. ad 1.

Dicendum eſt 3. De rebus inuentis,quæ in propinquo dominum habent, ignoratur tamen, vt ſunt res, quæ in vijs, aut alijs locis perditæ frequenter inueniuntur, probabilem eſſe ſententiam Caietani,& aliorum in principio huius dubij citatorum; valde etiam probabile eſſe,inuentorem, quicumque ſit, pauper, aut diues, facta debita diligentia, domino non apparente, poſſe illas ſibi retinere. Primam partem videtur inſinuare D. Thom. hic ad 2. dum ſubdit: *Quædam vero res inuentæ fuerunt de propinquo in alicuius bonis. Et tunc ſi quis eas accipiat, non animo retinendi, ſed animo reſtituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et ſimiliter ſi pro derelictis habeantur,& hoc credat inuentor, licet ſibi eas retineat, non committit furtum: alias autem committitur peccatum furti.*

Secundam partem docet M. Soto lib. 5. de iuſtitia q. 3. art. 3. ad 2. vbi ait pro derelictis habenda eſſe ea, quorum facta ſufficienti diligentia non compareț dominus; ſicq; illa poſſe ſibi inuentorem in conſcientia retinere. Probat: *Iure naturæ, & gentium illa ſunt inuentoris,& nullum eſt ius,aut Euangelicum, aut Eccleſiaſticũ,quod illa tribuat, aut pauperibus, aut cuiuis alteri; ergo poteſt inuẽtor ſibi capere.* Maior patet, nam ius naturæ non diuiſit res, ſed permiſit in communi poſſideri; ius autem gentium primo oc-

cupanti permittit id, cuius non extat dominus; res vero illa, cuius dominus poſt legitimam diligentiam non comparet, perinde ſe habet, ac ſi nullus eſſet eius dominus, nam in iure pro eodem reputantur ignorari dominum rei, & rem nullum habere dominum. Minor probatur, nam nullum aliud ius afferri poteſt, niſi quod habetur in cap. *Cum tu*, De vſuris, aut alijs ſimilibus, quo vſuraria pecunia, & ſimoniaca adiudicatur pauperibus: ius autem hoc non loquitur niſi de rebus male partis, & acquiſitis, vt patet ex Can. *Non ſane*, 14.q.5. ergo cum inuentio non ſit iniqua acquiſitio, ſed licita, inuentio nullum ius tribuit pauperibus.

Sententiam M. Soto amplectuntur multi, quos refert, & ſequitur Diana, 2.p.tract. 3. miſcel. reſol. 5. & præter illos M. Bañes hic circa 4. con. D. Thom. vbi ait, iuxta leges Caſtellæ res inuentas tradendas eſſe iudici, qui non comparente domino, illas tradere tenetur, cui ex priuilegio Regis competunt. Sed notat, leges illas ſolum loqui de rebus, quæ vulgo dicuntur *bienes monſtrencos*, quorum appellatione non veniunt niſi animalia, vt iumenta, & pecudes. Vnde ſi quis inuenerit anulum, aut gemmam, poterit ſibi retinere facta diligentia inueniendi dominum. Quod ſi poſtea comparuerit, valde probabilis eſt ſententia, quæ tenet, quod illi reddenda ſunt bona ſua, ſi comparuerit ante tempus præſcriptionis.

Ad argumentum autem factum pro ſententia Caietani, & aliorum reſpondetur, D.Thom. & S. Auguſt. ac S.Hieronym. intelligendos eſſe, quādo dominus haberi poteſt, & de eo, qui rem inuentam retinet nulla facta diligentia, aut eo animo, vt etiam ſi dominus appareret, eam non reſtitueret.

Dubium 2. An, qui rem ſuam, aliter recuperare non valens, occultè accipit, peccet, & furtum committat.

Pars affirmans probatur 1. D.Thom. hic ad 3. docet, illum, qui rem ſuam apud alium depoſitam, vel iniuſtè detentam furtim accipit, peccare ſaltem contra communem, aut legalem iuſtitiam, *Dum ipſe ſibi vſurpat ſuæ rei iudicium, iuris ordine prætermiſſo.* Et ſupra art. 3. ad 3. inquit, furtū cōmittere: quia res depoſita eſt eius apud quem deponitur, quantum ad cuſtodiam, & res accepta eſt raptoris quantum ad detentionem; ergo, &c.

Secundò, quia alias ſequeretur, eum, qui aliter rem ſuam recuperare non valeret, poſſe illam per vim accipere ab iniquo poſseſſore: conſequens eſt falſum; ergo, &c.

Tertiò, nam eodem modo poſſet quis, quod ſibi debetur, occultè accipere: at hoc eſt falſum, daretur enim occaſio famulis,

dum quæruntur ſtipendia ſua eſſe iuſto minora, defraudandi dominos; ergo,&c.

Quartò, quia pariter poſſet homo priuata auctoritate vindicare ſe de illo, qui fecit ſibi iniuriam, quando non poteſt à iudice obtinere, vt vindicet illum. Poſſet etiã, qui alium infamauit, ab eoque etiam fuit infamatus, non reſtituere ei famam, ſi ille nollet ipſi famam reſtituere: ſed hæc incõuenientia videntur; ergo,&c.

Dicendum tamen eſt: qui rem ſuam, aliter recuperare nõ valens, occultè accipit, nec furtum committere, nec peccare. Docent hoc Caiet. & M. Bañes hic, & communiter omnes diſcipuli D.Thom. & Doctores; cuius oppoſitum non aſſerit M. Soto lib.5 de iuſtitia q.3. art.1. ad 3. nam ibi loquitur abſolutè. Si enim requiſitæ adſint conditiones, ibidem art.3. ad 1. docet noſtram concl.

Probatur 1. nam vt hic ait Caiet. aliud eſt loqui regulariter, & aliud in caſu. Et quamuis regulariter nõn ſit licitum occultè accipere rem ſuam apud furem, aut raptorem detentam; in caſu tamen, in quo aliquis, vel propter detinentis, vel iudicis iniuſtitiam, vel defectum probationum, aut propter maius damnum, amicitiæ, pacis, vel rerum, aut huiuſmodi non poteſt via iudicis rem ſuam, aut ſibi debitam recuperare, & abſque ſcandalo, periculo, & offenſa cuiuſcumque poteſt occultè accipere à debitore, vnde ſibi ſatisfaciat, licitè poteſt. Ratio eſt, quia non peccat contra

iu-

iuſtitiam commutatiuam, grauando detentorem, qui tenetur ad reſtituendum rem, nam hoc grauamen excluditur debita cautela adhibita, qua ille, qui occupabat ſciat: ſe non teneri amplius ad reſtitutionem. Immo ſi furi, aut iniuſto detentori non poteſt dominus rei abſque ſuo detrimento reuelare per ſe, aut per alium, ſe accepiſſe rem ſuam, grauamen reſtituendi fur ſuæ malitię deputet, nec imputari debet domino aliter rem ſuam, abſque ſuo detrimento recuperari non valenti. Nec etiam peccat contra iuſtitiam communem, ſeu legalem, vſurpando ſibi ſuæ rei iudicium, iuris ordine prætermiſſo: quia in hoc caſu (ait Caiet.) accipiens propriè non dicit ſibi ius, ſed potius exequitur ius ſuum, cùm non vtatur aliqua auctoritate, ſed ſola occulta acceptione: nec iniuriam vllam facit iudici, cum hic, aut non poſſit, aut nolit ſuum officium facere; ergo, &c.

Secundò probatur: quamuis enim multa requirantur, vt quis licitè poſſit rem ſuā occultè accipere ab iniuſto detinente, quę enumerant Syluester verbo *Furtum*, q. 13. M. Soto lib. 5. de iuſtit. q. 3. ar. 3. ad 1. Nauarrus cap. 17. num. 113 & alij. Primùm vt ſit certus, rem eſſe ſuam, aut ſibi debitam: ſi enim eſſet dubius, non poſſet eam accipere, nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Secundùm, vt non poſſit eam in iudicio habere, quia vel deſunt teſtes, vel Iudex non vult condemnare debitorem, vel quia res eſt modica, & expenſæ

in-

iudiciales multæ, vel quia timet, ſi rem iuridice poſtulet, aliquod ſibi damnum inferendum; ſi enim commode poſſet rem ſuam via iuridica recuperare, iniuriam faceret Iudici, & iudicium rei ſuæ vſurparet, illam occulte accipiendo. Tertium, vt nō accipiat niſi rem ſuam, aut ſui debitoris; ex cuius bonis debet fieri compenſatio, & non ex alienis, quæ furto inualidè acquiſiuit. Quartum, vt non immineat periculū ſcandali, aut infamiæ, eo quod in lucem ventura ſit talis acceptio. Quintum; vt caute admoneatur debitor, iam non teneri ad ſoluendum debitum, aut rem reſtituendam. His tamen ſeruatis nec furtum cōmittere, nec peccare conſtat: quia vt hic ad 3. ait D. Thom. *Non tenetur ad reſtituendum aliquid.* Et præterea omnibus occurrit, quæ iniuſtam, aut malam poſſent facere occultam acceptionem.

Ad 1. autem factum in principio reſpondetur, D. Thomam loqui regulariter, quādo dominus rei poteſt aliter rem ſuam recuperare, & non curat detentori reuelare rem ſuam accepiſſe, ne grauetur obligatione reſtitutionis.

Ad 2. reſpondet M. Bañes vbi ſupra negando ſequelam: quia quando per vim recupero rem meam, perturbo pacem Reipublicæ: non autem quando ſurtim, & occultè accipio. Subdit tamen: ſi vis non non eſſet multum ſcandaloſa, vel multum nociua proximi, licitum eſſe per vim accipere rem meam, quando aliter recupera-

re non poſſum. Alij diſtinguunt: ſi res mea extet apud alium in eadem ſpecie, ver. gr. equus, veſtis, vel torques, & non poſſim eam aliter recuperare, licitum eſſe mihi, domum illius ingredi, & eam auferre, & ſi ille velit impedire, eam armis tueri: quia hoc non eſt aggreſſio, ſed iuſta defenſio, cum habeam ius recuperandi rem meam, non ſecus, ac ſi actualiter vi à me ſurriperetur in via. Si vero res non extet, ſed ille tantum ſit debitor meus, non poſſum illam ſic vendicare: quia non ſum dominus rei illius, ſed ipſe; vnde habet ius mihi reſiſtendi, ſi eam vi auferre nitar, & ego cenſeor iniuſtus aggreſſor, & non ille. Vide P. Leſſium lib. 2. cap. 12. dub. 11.

Ad 3. reſpondetur concedendo maiorem cum Nauarro cap. 17. num. 114. ſi tamen, quod ſibi debetur, ſit verè, & de iuſtitia debitum: ſecus eſt, ſi ſolum eſſet debitum ex charitate, religione, gratitudine, vel alia virtute, quæ non inducit obligationem reſtituendi, aut ſolum eſſe debitum antidotale, vel ex quadam honeſtate. Ad minorem dicit Nauarrus, multos decipi vſurpantes ex bonis ſuorum dominorum pro ſuorum obſequiorum ſatisfactione, quibus, quamuis aliqua compenſatio remuneratoria debeatur debito gratitudinis, & antidotalis, non tamen debetur de iuſtitia vera. Si tamen famulis aliquid ſit debitum ex iuſtitia, licitum eſt illis vti occulta cõpenſatione, ſi aliter illud habere non poſſunt. Debitum autem ex iuſtitia eſt illis

in-

iuſtum pretium pro ſuo ſervitio, & miniſterio. Vnde vt ait M. Soto vbi ſupra. *Si pretium illud, de quo inter ipſos conuentum eſt, non poſſunt alia via extorquere, poſſunt quidem id latenter eripere: illud autem auctuariū, quod famuli putant ſibi inſuper adhibendum, nequaquam; niſi vi aut fraude coacti à dominis fuerint ſeruire. Volenti namq; non fit iniuria. Et ideo ſi non vis illo pretio ſeruire, abi.* Quando non deſunt alij, qui pro illo pretio inſeruiant, iuſtum pretium iudicandū eſt. Si famulus neceſſitate preſſus vltro ſe obtulit, etiam ſi aliquid minus accipiat infimo pretio, quod ſolet dari alijs, quæri non poteſt, nam ſpontanea vileſcunt. Si famulus coactus à domino aliquo obſequia præſtaret, ad quæ non tenebatur, compenſationem ſibi ex rebus domini facere poſſet iuxta operis æſtimationem. Secus ſi gratis ea præſtaret, nam ſic cenſetur mercedē condonare. Poſſet tamen mutare animū, & mercedem exigere ab eo tempore, quo animum mutauit. Si eſt autem probabile, vt nonnullis videtur, illum, qui gratis aliquid donauit, aut obſequium præſtitit alteri immemor debiti ex iuſtitia, quo illi erat obligatus, poſtea cum recordatur debiti ex iuſtitia, poſſe compenſationem facere per rem donatam, aut obſequium præſtitum, quia præſumitur, quod non fuiſſet tam liberalis, ſi debiti fuiſſet memor: videtur dicendum ſimiliter de famulo, qui gratis aliquod obſequium ad quod non tenebatur præſtitit, ignorans tamen, aut im-

mor, poſſe illud præſtare animo mercedis, poſtea ſcilicet cum huius recordatur, poſſe ſibi compenſationem facere, quia ſimiliter præſumi poteſt, quod non fuiſſet tam liberalis, ſi huius memor fuiſſet.

Ad 4. reſpondetur negando primam ſequelam: nam vindicta nunquam eſt licita propria auctoritate priuata; bene tamen recompenſatio rei pro re, & acceptio rei propriæ, quando nulla alia eſt via recuperandi, dum tamen fiat abſque vi, qua perturbatur pax Reipublicæ, vt fit quãdo quis occultè rem ſuam accipit. Secundam ſequelam concedit M. Soto lib. 4. de iuſtitia, q. 6. art. 3. ad 4. circa finem, nempè poſſe compenſationem fieri in fama. *Vt ſi tu mihi de re aliqua corroſiſti nomen, atque ego viciſſim tuum, non ſolum conuenire poſſumus; vt vterque ex ſuo maneat vulnere, ſi perſonæ ſumus priuatæ: verum etiam mihi licebit non tibi velle reſtituere, niſi eandem tu mihi ſolutionem facies.* Idem alij quamplures dicunt: vnde negamus hoc eſſe inconueniens.

ARTICVLVS VI.

Vtrum furtum ſit peccatum mortale.

Concluſio eſt affirmans.

EX genere ſuo peccatum eſſe furtum, certiſſimum eſt, cum ſit contra iuſtitiam, & contra vnum ex præceptis Decalogi, & de furibus dicatur 1. Corinth. 6. ver. 10. *Neque fures regnum Dei poſſidebunt.* Quia tamen quod ex ſuo genere eſt mortale, in indiuiduo poteſt eſſe veniale peccatum ob paruitatem materiæ, ideo ſequens dubium excitamus.

Dubium 1. *Quæ quantitas magna ſit, & ſufficiat ad mortale furtum.*

QVidam recentiores, Malderus tract. 4. cap. 1. dub. 3. & alij putant quantitatem, quæ reſpectu pauperis ſecluſa omni conſideratione incommoditatis ſequentis, eſt magna, & ſufficit ad mortale furtum, talem etiam eſſe reſpectu diuitis; hancq; eſſe, quæ conſumptioni vnius diei reſpondet, vel vt alij dicunt duos regales.

Probant 1. Nam rectè dici non poteſt, eum, qui pauperi gallinam abſtulerit, peccare mortaliter, & ad reſtitutionem ſub mor-

mortali obligari: ſi autem diuiti auferat, tam à crimine, quã à reſtutionis ſub mortali obligatione liberum fore: at hoc ſequeretur ex oppoſita ſententia; ergo &c. Confirmatur, ſi a nocumento ita pendet furti malitia, ſola concupiſcentia furti, quæ nihil re ipſa aufert, non eſſet mortalis: ſed hoc eſt falſum; ergo, &c.

Secundo, quia licet in charitatem plus peccari poſſit, quando in pauperem furtum committitur, contra iuſtitiam tamen commutatiuam, ſi præciſe furtum ſpectes, æque peccatur in diuitem, ſpectat enim iuſtitia æqualitatem rei ad rem; at hoc verum non eſſet, ſi quantitas, quæ reſpectu pauperis eſt magna, & ſufficit ad mortale furtum, talis non eſſet reſpectu diuitis; ergo, &c. Confirmatur, in lege diuina non minor iniungitur reſtitutio ei qui a diuite ouem ſubſtuliſſet, quam ei, qui à paupere, quamuis magis hic peccare aliquoties ſignificetur; ergo furtum equale eſt.

Tertiò, non ideo furtum notabile non eſt; quia non ſentit is cui aufers, cum & cõmunis ærarij expilatio grauioris criminis peculatus teneatur; ergo licet princeps, aut diues ablationem duorum regalium non ſentiat; notabile furtum erit etiam reſpectu illius, quia ei aufertur, quo militi ſtipendum, vel pauperi vnius diei victum ſuppeditare poterat. Confirmatur: ſi innoxium furtum iudicamus, ex quo hic, & nunc reipſa forte non ſequuntur incommoda, propter quæ prohibitum videtur,

ea-

eadem ratione & fornicationes diuitum excuſabimus; ex quibus forte non ſequuntur incommoda educationis in prole: ſed hoc non licet; ergo neque illud.

Quarto, priuare proximum integro die cibo, & potu, eſſet notabilis ac mortalis iniuria, vexatio, & iniuſtitia; ergo, & notabile ac mortale furtũ erit, illi ſurripere, quod ad victum vnius diei ſufficeret. Confirmatur, nam Nauarrus dicit, in quibuſdam Epiſcopatibus ſolitam ferri excommunationem ob furtum duorum regalium; ergo cum ferri non poſſit niſi ob peccatum mortale, furtum duorum regalium erit mortale.

Dicendum tamen eſt 1. Ad taxandam quantitatem ſufficientem ad furtum mortale, aut quæ à culpa mortali excuſet, reſpiciendum eſſe, ad perſonam, cui aufertur. Probatur 1. ex D. Thom. qui in corp. huius articuli, docet, furtum eſſe peccatum mortale, quia *per furtum homo infert nocumentum proximo in rebus ſuis.* Et ad 3. ait: *Quod illud, quod modicum eſt, ratio apprehendit, quaſi nihil. Et ideo in his, quæ minima ſunt, homo non reputat ſibi nocumentum inferri: Et ille, qui accipit, poteſt præſumere hoc non eſſe contra voluntatem eius, cuius eſt res. Et pro tanto ſi quis furtiuè huiuſmodi res minimas accipiat, poterit excuſari à peccato mortali.* Et q. 10. de malo art. 2. dicit: *Quod parum eſt, quaſi nihil accipit ratio, ſicut patet in ſpecie furti: Si enim aliquis accipiat de agro alterius vnam ſpicam, vel aliquid huiuſmodi, non*

eſt credendum, quod peccat mortaliter, quia hoc, quaſi nihil computatur, tam ab illo, qui accipit, quam ab illo, cuius eſt res ipſa. Sed, non poteſt cognoſci, an furtum nocumentum inferat proximo, & an homo reputet ſibi nocumentum inferri, aut quaſi nihil computet, quod ab eo aufertur, & non eſſe contra voluntatem eius; niſi reſpiciamus ad eius perſonam: nam quod vni, pauperrimo ſcilicet, nocumentum infert ſimpliciter, alteri, nempe ditiſſimo, non tale infert nocumentum (ſicut, & percuſſio, quę reſpectu tenerrimi infantis eſt grauiſſima, & lethalis, reſpectu viri robuſtiſſimi eſt leuiſſima) & quod eſt contra voluntatem vnius, ſolum eſt præter voluntatem alterius: & quod ab vno computatur quaſi nihil, ab alio computatur, quaſi magnum; ergo, &c.

Secundo, de ratione furti eſt, vt fiat inuito domino, ſed vt cognoſcamus, an dominus ſit ſatis inuitus, ac inuoluntarius, ita vt furtum, quod in ipſum committitur, ſit mortale, neceſſe eſt ad eius perſonam reſpicere: furtum enim, quod filius committit in parentem diuitem, maiorem quantitatem requirit, vt pater ſatis inuoluntarius præſumi, & furtum mortale iudicari queat; ergo, &c.

Tertiò, etiam ſi demus, quantitatem magnam eſſe, quę vnius diei conſumptioni, aut victui reſpondet, reſpiciendum eſt ad perſonam: nam plus vno die conſumit, & ad victũ vnius diei neceſſe habet, Rex, aut

aut homo diues, quam pauper, & infimæ plebis vir. Et ſicut de vidua illa paupercula, quę æra duo minuta miſit in gazophylatium, dixit Chriſtus Lucæ 21. v. 3. *Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes miſit. Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex eo, quod deeſt illi omnem victum ſuum, quod habebat, miſit.* Ita vere dici poteſt illum, qui ab homine mercenario paupere aufert vnum, vel duos argenteos, quibus ad ſuum victum indigebat, plus furari, quam qui Regi octo, aut decem aufert; hocque nō ſolum ob damnum ex tali furto ſequutum, ſed etiam cōſiderato reſpectu ad perſonam. Sicut enim cuidam plus eſt dare duo, quam alteri decem: ita & maius furtum eſt ab vno auferre duo, quam ab alio decem.

Dicendum eſt 2. ſicut vna ſpica, acus, vel penna eſt materia parua reſpectu omnium; ita vt à quocunque accipiatur, furtum non fit intra ſpeciem furti peccatum mortale: ſic & duo aurei ducati, & ad ſummum tres reſpectu omnium, etiam Regis, ſunt materia notabilis, & magna: reſpectu vero principum Rege inferiorũ, nempe Ducum, Marchionum, & Comitum vnus aureus, reſpectu nobilium diuitum dimidius; reſpectu mediocriter diuitum quatuor regales, reſpectu mechanicorum artificum duo, reſpectu pauperum vnus regalis, & reſpectu pauperrimorum dimidius.

Pri-

Prima pars patet ex D. Thom. hic ad 3. in quo argumento ponit exemplum, *Vnius acus, vel vnius pennæ*. Et quæſt. 10. de malo, artic. 2. vbi ponit exemplum vnius ſpicę.

Dixi autem horum occultam acceptionem non eſſe mortalem intra ſpeciem furti: nam ex circumſtantia damni inde ſequuti acceptio acus poteſt eſſe peccatum mortale, ſi eam ſartori ſurripias, & occaſione huius furti, quia non poteſt aliunde acum habere, lucrum amittat. Vnde M. Soto lib. 5. de Iuſtitia, q. 3. art. 3. ad 3. ait: *Augeſcit præterea damnum, etiam ſi per ſe parum ſit, dum cauſa eſt maioris, vt ſi lora boum rumpas, quam ob cauſam agricola diurnas operas perdit: aut aliud vile inſtrumentum ab artifice detrahas, cuius cauſa ab opere ceſſat*. Huiuſmodi autem detractionem non eſſe mortalem in ſpecie furti patet; nam per illam non læditur proximus directè in temporalibus, niſi leuiter, cum res, quæ detrahitur, non ſit magni, & notabilis pretij: vnde in iudicio, qui illam acciperet; non condemnaretur pœna notabilis furti.

Si quæras autem ad quam ſpeciem pertineat culpa mortalis, quæ eſt in huiuſmodi paruæ rei detractione? Reſpondetur, pertinere ad ſpeciem damnificationis iniuſtæ, quæ proprio nomine caret. Si rem parui momenti alicui auferas, quam ille maximi facit, & propterquam valde perturbatur, ac contriſtatur, mortaliter, pec-

catis, non tamen furto mortali, ſed contra charitatem, de quo vide M Bañes hic dubio circa 2. con. ad 2. & 4. & Nauar. cap. 17. num. 3.

Secundam partem colligo ex M. Soto loco proxime citato vbi ſic habet: *Eſt aliqua pecuniæ quantitas tanta, quæ per ſe abſq; vllo perſonæ reſpectu cauſa eſt in furto peccati mortalis. Vt ſi verbi gratia dicamus duo treſue aurei ducati: quare etiam ſi à Cæſare ſurripiãtur, licet illos floccipendat, nihilominus crimen eſt. Sed alia eſt tam exigua ſumma, quæ ſecum ipſa non habet tantum culpæ: ſed nihilominus ob paupertatem poſſidentis fieret mortale: vt ſi argenteum nummum, aut duplum à miſero ſurriperes*. Ex Syluestro etiam verbo *Furtum*, q. 2. vbi magnam quantitatem eſſe dicit: *Vltra duos aureos, quod limita verum circa magnum dominum, alias videtur ſtandum arbitrio boni viri: quia pauperi obolus aliquando eſt quid maius, quam aureus diuiti: quia inde panem emit, vnde viuit.* Ex quibus conſtat, duos aureos ducatos, & ad ſũmum tres eſſe materiã notabilem, & magnam reſpectu omnium, ita vt etiam ſi ab Imperatore, vel Rege ſurripiantur, furtum ſit mortale peccatum: & minus duobus aureis non ſufficere, vt furtum factum Regi, aut Imperatori ſit mortale. Patet etiã reſpectu aliorum taxandam eſſe quantitatem notabilem iuxta opulentiam, aut paupertatem illorum, quod à nobis factum eſt, nobiſcumque conueniunt multi ex recentioribus, quorum opinionem omni-

bus

bus alijs probabiliorem aſſerit eſſe Diana 2.p.tract.3.miſcel.reſol.57.

Probatur deinde, nam vt oſtendimus con.1. ad taxãdam quantitatem ſufficientem ad furtum mortale reſpiciendum eſt ad perſonam cui aufertur: ſed attenta opulentia, aut paupertate perſonarum à quibus ſurripitur, non poteſt melius taxari, quam à nobis factum eſt; ergo, &c. Minor probatur: nam quod Barthol. à S. Fauſto in ſuo Speculo, diſp.2.q.18. & alij recentiores dicunt, materiam notabilem reſpectu omnium, etiam ditiſſimorum, ac Principũ eſſe tres regales, in ordine vero ad perſonas mediocres, duos, in ordine autem ad pauperes vnum; non videtur ſeruare debitam proportionem: ſi enim reſpiciendum eſt ad perſonas, non videtur rationi conſonũ, quantitatem trium regaliũ, quæ eſt quantitas notabilis reſpectu diuitum communium iuxta horum auctorum ſententiam, eſſe etiam notabilem reſpectu ditiſſimorũ, & Principum, cum non minus ſit inæqualitas inter nos, & illos, quam inter mediocres, & pauperes. Præterea, quod dicunt alij recentiores à nobis in principio dubij relati quantitatem magnam, ac notabilem eſſe, quæ vnius diei conſumptioni, aut victui reſpondet, ſi intelligatur de conſumptione, & victu iuxta qualitatem, ac diuerſitatem perſonarum, verum eſt; ex illo tamen, quod nos dicimus aperte colligitur: conſtat enim Regem non minus, quam duos aureos inſumere ad quotidianum vi-

ctum, Principes Rege inferiores non minus quam vnum, nobiles diuites non minus, quam dimidium, mediocriter diuites non minus, quam quatuor regales, artifices mechanicos non minus, quam duos, pauperes non minus, quam vnum, & pauperrimos non minus, quam dimidium regulariter loquendo. Vnde ſicut notabilis iniuria eſſet priuare Regem integro die cibo, & potu quo ſolet vti, etiam ſi daretur ei cibus, & potus mercenariorum, & idem eſt de alijs Rege inferioribus: ita notabile, & mortale furtum eſſet, illis ſurripere id ſine quo non haberent victum iuxta perſonarum ſuarum conditionem, ac qualitatem, qualis eſt quantitas à nobis pro ſingulis taxata. Si vero intelligatur de victu, & conſumptione pauperis mercenarij, falſum eſt; nam quod reſpondet victui pauperis mercenarij, nempe duo regales, parũ, aut nihil facit ad victum Regis, nempè minus, quam faciant duo æreí nummi ad victum mercenarij. Vnde ſicut duos nummos æreos mercenario ſurripere non eſt furtum mortale: ita nec Regi auferre duos regales.

Dicendum eſt 3. Non ſolum ex parte nocumenti illati proximo, ſed etiam ratione inuoluntarij eſſe taxandam diuerſam quantitatem ſufficientem ad furtum mortale reſpectu diuerſarum perſonarum. Probatur: nam vt ait S. Raymundus in Sum. lib. 2. titul. De furtis: *ſi qui aliquid accipit, credebat id facere domino volente, non facit fur-*

tum,

tum, quia non facit dolum inuito domino, quia ſi credidit dominum permiſſurum, & ſubeſt iuſta cauſa credendi, non tenetur, &c Sed iuxta diuerſitatem perſonarum poteſt eſſe iuſta cauſa credendi, dominum permiſſurum ab illo maius, aut minus auferri; ergo iuxta talem diuerſitatem perſonarum ratione inuoluntarij maior, aut minor eſt taxanda quantitas ſufficiens ad furtum mortiferum. Minor probatur. Talis enim cauſa credendi eſt, quando filij accipiunt aliquid à parentibus: *Non enim* (inquit Caietanus in Sum. verbo *Furtum*) *committit furtum filius occultè ſurripiens res patris volentis filium res illas habere, ſed nolentis, quod occultè acciperet: quoniam tunc, propriè loquendo, non inuito, ſed non vidente domino accipit.* Quod non contingeret, ſi alius extraneus eaſdem res ſurriperet, furto namque mortiferum cõmitteret. Vnde communiter aſſerunt Doctores, non peccare mortaliter filium, qui à patre diuite ſurripit tres aureos. Immo M. Bañes hic dubio circa 2. con. documento 2. ait: Si filius furetur à patre prædiuite quinquaginta aureos, non erit peccatum mortale: & tamen ſi ſeruus furetur ab eodem vnum ducatum, erit peccatum mortale. Ratio huius eſt: quia reſpectu filij non eſt valde rationabiliter inuitus ipſe pater, benè tamen reſpectu famuli. Quod ſi verum eſt, videtur, nõ fore peccati mortalis reum Principem filium Regis Hiſpaniæ, ſi plures ab eo aureos furetur. Eadem credendi cauſa eſt, quando valde dilecti

ab eis, qui eos diligunt, vt vxores à maritis, & intimi amici, à ſuis amicis, quorum omnia communia reputant, aliquid ſurripiunt. Vnde ibidem M. Bañes ſubdit: ſi aliquis priuatus Regis, cui committitur diſpenſatio multorum milliarium ducutorum, accipiat ſibi centum, vel ducentos, non eſt peccatum mortale. Ratio eſt, quia Rex ipſe non eſt rationabiliter inuitus in ordine ad talem miniſtrum, Hoc multis falſum videtur, quia non credunt Regem non eſſe rationabiliter inuitum. Sed ſi iuſta ſubeſſet cauſa credendi Regem tali priuato illud permiſſurum, mihi certum videtur priuatum illum mortaliter non peccare. Sicut ſi vxor acciperet notabilem quantitatem à marito, rationabiliter credens maritum rogatum eam ipſi conceſſurum, non peccaret mortaliter: nam non acciperet inuito marito, quo ad rem, ſed quo ad modum, vt colligitur ex Caietano in Sum. Verbo *Furtum*, & docent quamplures ex neotericis.

Ad argumenta autem facta in principio reſpondetur. Ad 1. negando antecedens: nam pauperi nocumentum ſimpliciter inferret, qui gallinam auferret non vero diuiti. Si objicias, Inſt. De rerum diuiſione, §. *Gallinarum*, dari actionem, & pœnam grauem imponi pro furto vnius gallinę cõtra quemcumque etiam diuitem facto. Reſpondet M. Soto vbi ſupra: *Ius ciuile nihil aliud habet, quam quod aucupium domeſticarum auium ſit furtum: ſed tam paruum eſſe*

poſſet, vt ridiculus haberetur, qui de illo ageret in iudicio. Minus autem, quam vnius gallinæ, quod eſſet? Vnde non rectè Nauarrus, cap.17.num.3. ex prædicto §. *Gallinarum*, colligit peccatum mortale eſſe ablationem vnius gallinæ mediocris, etiam in regione vbi non valeret dimidio regali. Ad confirmationem reſpondetur negando maiorem; concupiſcentia enim furti notabilis inferentis damnum ſimpliciter proximo mortalis eſt, etiam ſi nihil re ipſa auferat: ſicut & voluntas occidendi, etiamſi non occidat, peccatum mortale eſt.

Ad 2. reſpondetur, non ſolum contra charitatem, ſed etiam cõtra iuſtitiam plus peccari, quando furtum duorum regalium v.g. admittitur in pauperem, quam quando admittitur in diuitem: quia huic non infertur nocumentum ſimpliciter, ſed leue; pauperi vero nocumentum ſimpliciter infertur. Et quamuis duo regales non ſint maioris valoris apud pauperem, quã apud diuitem: plus tamen apud pauperem, quã apud diuitem æſtimantur, ob pauperis inopiã, & diuitis abundantiã; & quia illis pauper habet, quod eſt ſufficiens ad ſuum victum vnius diei; non vero diues. Sicut & ob eandem rationem licet duo regales nõ ſint maioris valoris apud Hiſpanos, quam apud Indos occidentales, apud Hiſpanos, plus æſtimantur, quã apud Indos. Et ſicut auferẽdo duos regales à commorante apud Hiſpanos plus peccatur contra iuſtitiã, quã eoſdẽ duos regales auferẽdo à commorante

apud Indos, & illud poteſt eſſe peccatum mortale, & hoc ſolum veniale: ita plus peccatur contra iuſtitiam duos regales auferendo à paupere, quam à diuite, & illud eſt peccatum mortale, hoc veniale ſolum. Quod verò dicitur, iuſtitiam commutatiuam ſpectare æqualitatem rei ad rem, non eſt intelligendum de re nude, ac præciſe ſumpta ſecluſo omni reſpectu ad perſonas, tempus, & alia huiuſmodi: nam ſicut eadem res vno tempore plus valet, quam alio, ita & apud quaſdam perſonas plus æſtimatur, quam apud alias. Ad confirmationem dico, verum eſſe antecedens, cum Exodi 22. v. 1. dicatur: *Si quis furatus fuerit ouem, reſtituet quatuor oues pro vna oue.* Nulla facta differentia, ſi ouem furatus fuerit a paupere, vel à diuite. Nego tamen conſequentiam: quia reſtitutio ſolum reſpicit reparationẽ damni illati, ſiue illud ſit graue, ſiue leue. Vnde ſicut licet, qui furatur duos regales apud Indos, non tenetur plus reſtituere, quam qui duos furatur apud Hiſpanos, reſtituendo enim duos vtrobique ſatis fit; tamen furtum nõ eſt æquale, ſed apud Hiſpanos poteſt eſſe mortale, & apud Indos veniale: idem eſt de furto ouis pauperi, & ditiſſimo Regi facto.

Ad 3. reſpondetur: ſi per ſentire intelligatur dolor eius, cui aufertur res, verum eſſe antecedens; alias enim furtum notabile eſſet, auferre dimidium regalis à diuite auaro, & tenaci, qui hoc plus ſentit, hoc eſt plus de hoc dolet, quam alius à quo

au-

auferuntur quatuor regales. Neganda tamen eſt conſequentia: nam princeps non ſolum non ſentit hoc modo ablationem duorum regalium, ſed etiam non patitur ob nocumentum ſimpliciter, aut notabile, ſed tantum leue. Quamuis enim ad grauitatem nocumenti in furto non ſolum ſit attendendum ad id, quod dominus patitur in ſua perſona, in victu ſcilicet, & veſtitu, ſed etiam, ad facultatem diſpenſandi de re ſua qua priuatur, vt hic dubio 2. contra 1. documentum docet M. Bañes: tamen priuari Principem facultate diſponendi de duobus regalibus, quibus militi ſtipendium, vel pauperi vnius diei victum ſuppeditare poterat, non cenſetur graue nocumentum, ſed leue; alias etiam furtum vnius regalis, immo, & dimidij notabile eſſet, cum alicui pauperrimo victus vnius diei ſuppeditari poſſet. Solum ergo cenſetur graue nocumentum priuare Regem facultate diſpenſandi de duobus, aut pluribus aureis, qui multis ad ſtipendium, aut victum ſufficiunt. Ad confirmationem dico, furtum ex incommodis, quæ ſequuntur, ſolum habere eſſe maius, aut minus ex circumſtantia: intra ſuam vero ſpeciem ſolum id habet ex maiori, vel minori nocumento, quod infert, & quod ſe tenet ex parte obiecti illius: vnde furtum vnius acus, ob quod ſartor perdit lucrum, diximus non eſſe notabile intra ſpeciem furti; ſed ſolum ex circumſtantia. Cumque fornicatio ſuam grauitatem, & malitiã mor-

talem habeat ex ſuo obiecto, etiam ſi in filijs nothis diuitum non ſequantur incommoda educationis, non poſſunt diuitum fornicationes excuſari, de quo vide Caietanum infra quæſt.154. artic.2. §. *Ad quintam*.

Ad 4. reſpondetur concedendo totum, negando tamen eius intentum: nam non eſt idem, quod ſufficit ad victum vnius diei pauperi, & diuiti, vt dictum eſt con.2. Ad confirmationem dico, hæc eſſe verba Nauarri cap. 17. num. 3. *Licet in aliquibus Epiſcopatibus per conſtitutiones ſynodales declaratum ſit, ne quis excommunicetur pro re, quæ minoris centum diſponendis valet, & in alijs, ne pro re, quæ minoris duobus regalibus, ſeu illijs valeat: non tamen ideo definitum eſt, illam eſſe quantitatem neceſſarium, vt ſit mortale*. Immo nec ſufficientem: nam non bene ſequitur, non fertur excommunicatio pro quantitate minori duobus argenteis; ergo quantitas illa eſt ſufficiens ad cõſtituendum peccatum mortale. Solum enim voluerunt illę conſtitutiones abuſum tollere, ne pro tam parua re, tam tremenda cenſura fulminaretur, quæ minor eſſet duobus regalibus: non tamen ob id decreuerunt pro furto duorum regalium eſſe dandam. Et ſi quis de hoc eſſet abuſus, collitur per Conc.Trid. Seſſ.25. cap.3. de reformatione.

Dn-

Dubium 2. An qui minutis furtis acquirit magnam quantitatem, peccet mortaliter, & ſub mortali teneatur reſtituere.

PArs negans probatur 1. Si qui minutis furtis acquirit magnam quantitatem, accipiat à diuerſis, nemini facit notabilem iniuriam, nec notabile nocumẽtum infert, ergo nec peccat mortaliter, nec ſub mortali tenetur reſtituere.

Secundò; ſingula furta minuta, etiam vltimum complens quantitatem notabilem ſolum ſunt peccata venialia: ſed ex multis peccatis venialibus non conſtituitur vnum peccatum mortale, vt docet D. Thom. 1.2.q.88 art.4. ergo, &c. Maior probatur, etiam vltimum eſt furtum minutũ, & leue nocumentum infert; ergo, &c. Si dicas vltimum virtute præcedentium eſſe magnum. Contra, nam idem dici poſſet, ſi quis poſt illud alia furta parua adderet, eſſe ſcilicet magna virtute præcedentium, & peccata mortalia: ſed hoc eſt falſum; ergo, &c.

Tertiò, ſi quis accipiat paruam quantitatem, quæ cum his, quas alij furati ſunt, ab eodem domino, complet magnam; nõ peccat mortaliter; ergo nec qui accipit paruam quantitatem, quæ cum his, quæ ipſe furatus fuerat, complet magnam.

Dicendum tamen eſt 1. Qui animo acquirendi magnam quantitatem furta minuta committit, in quolibet eorum peccare mortaliter. Probatur 1. ex D. Tho. hic ad 3. dicente: *Si tamen habeat animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per conſenſum.* Quorum verborum, vt hic ait Caiet. ſenſus non eſt: *Quod animus inferendi nocumentum talium minimorum conſtituat peccatum mortale. Sed quod ſi habet animum inferendi proximo nocumentum abſolutè, & ſimpliciter, & non nocumentum limitatum ad huiuſmodi minima, tunc ratione talis animi peccat mortaliter accipiendo ex tali animo.*

Secundò, quando actus interior imperans eſt peccatum mortale, etiam exterior imperatus, qui eſt eius executio, eſt peccatũ mortale, ſed in caſu noſtræ concluſionis actus interior imperans eſt peccatũ mortale, cũ ſit voluntas accipiendi rem alienã in magna quantitate inuito domino: & quodlibet furtum eſt actus exterior imperatus à prædicta intentione, & voluntate, eiuſque executio, licet partialis; ideo enim furta parua committuntur, vt ſenſim ad magnam quantitatem deueniatur; ergo quodlibet illorum eſt peccatum mortale: non quidem diſtinctum, & nouum, ſed continuatum precedenti; omnia enim hęc furta cenſentur vna continua executio voluntatis, ſeu actus interioris.

Dicendum eſt 2. Qui non ex animo, ac-

in-

intentione acquirendi magnam quantitatem, ſed ex occaſione committit multa furta minuta, licet antequam perueniat ad quantitatem notabilem, non peccet mortaliter: tamen ſimul atque ad eam pertingit, mortaliter peccat. Docent hoc communiter omnes Doctores, & patet: nam furtum antequam perueniat ad quantitatem notabilem, non infert proximo nocumentũ abſolute, & ſimpliciter, quod tamen infert, ſimul atque ad eam pertingit; ergo, &c.

Difficultas tamen eſt, quo mortaliter peccet? Quidam affirmant non peccare mortaliter vllo peculiari furto, etiam ſi eo iam videat ſe complere notabilem quantitatem, ſed ſola detentione totius notabilis quantitatis: nam ſingulorum furtorum materia exigua eſt, ſed magna ratione detentionis. Ita Nauarrus c. 17. n. 140. P. Leſſius lib. 2. cap. 12. dubit. 8. M. Medina 1. 2. q. 88 art. 4 in prima ſolutione tertij argumenti. & alij.

Alij docent peccare mortaliter vltimo furto, quo peruenitur ad notabilem quantitatem. Ita M. Soto lib. 5. De iuſtitia q. 3. art. 3. ad 3. ait namque: *Quando ſumma rerum incipit eſſe magna, tunc actus ille, etiam ſi non ſit niſi acceptio vnius quadrantis, quia acceſſio damni eſt ad præcedentia, fit mortalis.* Idem dicunt M. Medina 1. 2. quæſt. 88. ar. 4. in 3. ſolutione 3. argumenti, P. Vazquez ibidem diſput. 146. capit. 2. Monteſinos ibidem quæſt. 5. numer. 84. Mag. Lorca

ibidem diſputat. & alij.

Hæc poſterior ſententia mihi probabilior videtur: furtum enim non ſolum eſt peccatum mortale ratione detentionis rei alienæ in notabili quantitate, ſed etiam hac pręcipue ratione acceptionis, qua infertur damnum, ſeu nocumentum ſimpliciter proximo; ergo non ſola detentione totius notabilis quantitatis, ſed etiam acceptione minuta, qua quis videt ſe complere notabilem quantitatem peccat mortaliter: ſicut, & comeſtione, qua quis videt ſe cōplere notabilem quantitatem cibi, frangit ieiunium, & peccat mortaliter; & percuſſione, qua quis videt complere notabilem lęſionem proximi mortaliter peccat. Cōfirmatur, quando quis furatur obolū, quo completur quantitas notabilis furti, ibi eſt acceptio, & detentio talis oboli: ſed vtraque, licet pręciſe, & ſecundum ſe ſit leuis, & ſolum peccatum veniale, ſuppoſita tamen acceptione, & detentione aliorum obolorum, eſt grauis virtute pręcedentiū, & peccatum mortale, nec aſſignari poteſt differentia aliqua inter illas; nam ſicut detentio illius oboli continuatur cum detentione aliorum obolorum, & obolus ille ſimul cum alijs vnam conſtituit materiam notabilem retentionis: ita acceptio illius oboli continuatur cum acceptione aliorū obolorū, & ille obolus ſimul cum alijs vnā conſtituit materiam notabilem acceptionis, ergo, &c.

Excuſari tamen poſſet à peccato morta-

li tam acceptio, quam detentio talis oboli, ſi ſurripiens illum inuincibiliter ignoraret, aut non aduerteret, obolo illo compleri notabilem quantitatem. Aut ſi aduerteret, proponeret efficaciter reſtituere, quod prius abſtulerat, aut abſolute ſi habet vnde ſoluat, aut ſi non habet vnde ſoluat, ſub conditione, ſi forte aliquando peruenerit ad pinguiorem fortunam, & habuerit, quo ſoluat: tunc enim acceptio, & detentio talis oboli non continuatur cum acceptione, aut detentione pręcedentium, cum ſit retractata voluntas acceptionis, & detentionis præcedentium, ac proinde cum illis non conſtituit vnum notabile, ac mortale furtum. Et quamuis detentio videatur continuari materialiter; non continuatur tamen formaliter, quia ſola detentio vnius oboli manet voluntaria ſurripienti, & contra voluntatem domini, cum obolos, quos prius ſubripuerat, non velit retinere inuito rationabiliter domino, quod non poteſt modo ſoluere, & paratus eſt ad ſoluendum ſit forte potuerit. De quo vide Dianam 2. part. tract. 6. miſcell. reſolut. 25.

Aduertunt etiam quidã, maiorem quantitatẽm requiri ad peccatũ mortale, quando quis magnis interuallis furta parua cõmittit non ex induſtria, ſed per occaſionem. Quæ eſt doctrina Nauarri cap. 17. num. 139. dicentis: *Non dicerem teneri ad reſtituendum ſub pœna peccati mortalis illos famulos, qui aliquot diebus vnius menſis aliquot*

eiuſmodi furta facerent, & poſt alium, vel duos menſes totidem, & poſt aliquot alios totidē, &c. Ita quod in fine trium, vel quatuor annorum cōplerent ſummam dupla maiorem, quam ſit illa qua ſemel accepta peccatum, & reſtituendi neceſſitatem induceret. Cuius ratio eſſe poteſt, quia homines minus ægrè ferunt ſibi auferri longo interuallo quædam minima etiam ad notabilem quantitatem, quam eandem quantitatem ſimul.

Ad 1. verò factum in principio M. Lorca vbi ſupra dicit: ſi acceptiones paruæ non eſſent ab eodem domino, ſed à diuerſis, vltimam acceptionem nunquam eſſe peccatum mortale, ſicut nec præcedentes, quia non infert alicui graue nocumentum. Eſſet tamen reſtituenda tota illa quantitas, quia ſine iuſto titulo notabilis quantitas aliena detineri non poteſt. Sed melius reſpondetur cum M. Soto vbi ſupra: *Quod quamuis à diuerſis exigua quis ſuffuretur, tamen cum ſumma incipit creſcere, actus tamen vnus furandi præcedentibus accedens efficitur mortalis.* Hic enim magnam iniuriam facit, & notabile nocumentum infert, non quidem alicui ſeorſum, ſed omnibus ſimul. Omnia enim illa parua damna ſimul iuncta efficiunt vnum magnum, quod eſt illius communitatis: & omnes illi ſimul, ſeu illorum communitas, illo quod ab eis ablatum eſt, poſſent aliquem iuuare notabiliter, vel aliquod debitum ſoluere, aut de illo aliter diſponere, ſicque hac poteſtate priuari, notabile incommodum illorum

eſt.

eſt. Sicut & notabile incommodum damnum, ac nocumentum Reipublicæ eſſet ex magno modiorum tritici numero duos modios auferre, licet ſingulis ciuibus parum incommodi inferretur.

Ad 2. reſpondetur optimam eſſe ſolutionem ibidem poſitam. Ad impugnationem quidam maiorem admittunt; nam per furta parua addita, qui illa committit, quātitatem præcedentem, & damnum notabile vult facere maius. Alij maiorem negant, & dicunt, noua illa furta nouā quantitatem notabilem inchoare, ad quam, cū peruenerint, erit nouum peccatum mortale. Alij dicunt, conſummare notabilem quantitatem eſſe peccatum mortale; non tamen illam augere non notabiliter, vt fit per furta parua addita quouſque perueniatur ad notabile augmētum notabilis quantitatis.

Ad 3 quidam negant antecedens. Hoc tamen non placet M Lorca vbi ſupra: ſi enim (inquit) iſte, qui ſcilicet accipit paruam quantitatem, quæ cum his, quas alij furati ſunt ab eodem domino, complet magnam, non fuit cauſa, vt alij acciperent, nec conſpirauit cum illis, & ſi conſcius ſit furti aliorum, non peccat mortaliter: quia neque eius actio, neque materia, cum alijs moraliter vniuntur. Idem nos docuimus ſupra q. 62. art. 7. con 6. vbi vide, quomodo ſit ad conſequentiam reſpondendum, & reliqua quæ hic omittuntur.

AR-

ARTICVLVS VII.

Vtrum liceat alicui furari propter neceſſitatem.

Concluſio eſt affirmans.

QVæ nō eſt intelligenda de furto propriè loquendo, ſed de acceptione rei alienæ, quæ in neceſſitate non habet propriè rationem furti.

An non ſolum ob extremam, ſed etiam valde grauem neceſſitatem liceat aliena accipere, difficultas eſt inter Doctores; in qua partem negantem doceat Caiet. hic & M.Soto lib. 5. de iuſtitia q. 3. art. 4. con. 2. & alij, eſtque hæc communis ſententia. Sed oppoſita affirmans non caret probabilitate: illam enim docet Syluester verbo *Furtum*, q. 5. his verbis: *Si quis non ſit in neceſſitate extrema, excuſari tamen poteſt à tecto furtiuè ſurripiendo, quando ſcilicet ille ſic abundat, & iſte ſic neceſſitatur, quod precepto ſibi ſubuenire tenetur*. Et inferius: *Non tenetur reſtituere, qui furatur in neceſſitate non extrema ſed magna, vbi alius tenebatur ſubuenire*. Et quidem ſi, qui abundat tenetur ſubuenire patienti neceſſitatem magnam citra extremam, ſequi videtur, hunc poſſe ab illo accipere, quod neceſſarium eſt ad ſibi ſubueniendum: ideo enim Caietanus negat hunc non poſſe accipere, quia dominus nō te-

tenetur dare. Teneri autem ſub præcepto, qui habet ſuperfluum, dare eleemoſynam proximo exiſtenti in graui neceſſitate citra extremam, docet M Bañes ſupra qu. 32. art. 5. dub. 1, con. 2. & Caietanus ibidem docet, vt eleemoſyna ſit in præcepto, non requiri duo ſimul ſcilicet ſuperfluitatem in dante, & extremam neceſſitatem in recipiente, ſed quodlibet horum ſeorſum ſufficere. Si ergo, qui habet ſuperfluum, tenetur dare etiam extreme non indigentibus, cur non tenebitur dare occurrenti pauperi, non cuicunque, nam hoc negat D. Thom. quodlib, 8. q. 6. art. 2. ſed in magna neceſſitate conſtituto, cui non eſt alius, qui ſubueniat?

Præterea eandem ſententiam docent P. Leſſius lib. 2. cap. 12. dubit. 12. nu. 71. & cap. 16. dub. 1. nu. 18. & alij quos refert, & ſequitur Diana 2. p. tract. 3. miſcel. reſol. 29. & probant. Tum quia ex graui neceſsitate facilis eſt lapſus ad extremam; ergo quod in extrema conceſſum eſt, extendendum eſt etiam quodammodo ad grauem. Tum etiam quia in graui neceſſitate, quando eam patienti tenetur ſubuenire diues, non poteſt eſse rationabiliter inuitus quo ad rem, licet modus illam occulté accipiendi diſplicere poſſit: at hic modus honeſtari poteſt aliquo reſpectu verecundiæ, timoris repulſam patiendi, &c. Ergo licitum eſſe poterit illam occulté ſurripere.

Quærit hic M. Bañes, an in neceſſitate, in

in qua licet non periclitatur vita, eſt tamen periculum amittendi honorem, liceat aliena ſurripere? Reſpondetque in tali caſu licitum eſſe homini, cui eſt valde inhoneſtum mendicare; occulte accipere aliena animo reſtituendi, ſi tamen aliter non poteſt ſibi ſucurrere. Vide illum.

Circa articulum 8. & 9. nihil ſe offert dicendum.

INDEX

RERVM

NOTABILIVM.

A

ABORTVM directè procurare non licet. 391. Quando fœtus eſt animatus illud procurare inducit irregularitatem effectu ſequuto. 424

Acceptio perſonarum quid ſit. 319. Eſt peccatum mortale ex ſuo genere. 323. Etiam in diſpenſatione ſpiritualium inuenitur. 324. Peccant mortaliter diſtribuentes beneficia curam animarum habentia non eligendo digniores. 328. Quid dicendum ſit de beneficijs prædictam curam non habentibus. 331. & ſeq. Etiam in diſtributione officiorum ſecularium locum habet. 343 Etiam in exhibitione honoris, & reuerentiæ. 350. & in iudicijs. 351

Accipiens pro dono rem furtiuam à latrone tenetur illam ſuo domino reddere. 148

Ada-

Adulatores furti quandoque ad reſtitutionem tenentur. 257
Adultera mulier non tenetur reuelare crimen ſuum, vt vir eius inſtituat hæredem filium ex adulterio conceptum. 113
Amens eſt capax dominij. 444. *Amens Epiſcopus, ſeu Rex, deponi poteſt.* 445.
Animalia, quæ ſint capientis. 136.
Appropriatio rerum eſt licita, & neceſſaria; pag. 471
Auis capta in laqueo alieno an ſit capientis; pag. 139

B

Beneficia Eccleſiaſtica conferenda ſunt dignioribus, 328. *Sub mortali quando cura animarum ſunt annexa.* ibid. *Non verò, quando talem annexionem non habent.* 331 *Aliquando eſt licitum illa dignis conferre, relictis dignioribus.* 334. & *ſeq.*
Beneficiarij Clerici ſæculares habent dominium fructuum beneficiorum, 452. *Vide Clerici.*
Bona inferioris ordinis non tenemur reſtituere cum detrimento bonorum ordinis ſuperioris. 112. *Hæc, an debeant, aut poſſint illis compenſari.* 113

C

Caſtitas dum periclitatur, an ſit licitum ſibi vitam auferre. 361
Cauſa efficax iniuſtæ acceptionis, vel damni, tene-

tenetur ad reſtitutionem, 245. *An debeat eſſe ſine qua non*. 246

Chriſtianis non licet aliquid furari ab infidelibus, & *Saracenis*. 446. *Chriſtiani remigantes in tritemibus Turcarum contra Chriſtianos*, *an teneantur ad reſtitutionem prædi*. 260.

Bello capti à Chriſtianis quando fiant ſerui. 462.

Clerici ſæculares habent dominium, *non ſolum bonorum patrimonialium*, *ſed etiam fructuũ beneficiorum*. 452. *Quos ſi profanè expendant non tenentur reſtituere*. 453. *Peccant tamen mortaliter ſi illos omnes in profanis vſibus*, *vel ditandis parentibus conſumunt*. 455

Confeſſarij, *qui reſtitutionem non præcipiunt*, *peccant*, *non tamen ad illam tenentur*. pag. 273

Conſentientes ſemper obligantur ad reſtitutionem. 156. *Et etiam conſilium dantes*. pag. 251

Conſulentes minus malum, *vt maius euitetur ad reſtitutionem non tenentur*. 254. *An peccent*, *qui illud conſulunt* 255

Crimineſi iure humano tenentur ad reſtituendum acceptum pro delictis. 171.

D

Amnum ſi omnino inuoluntariè, & *inculpabiliter inferatur non eſt neceſſario re-*

reſtituendum. 141. *Bene tamen, qui voluntariè, & culpabiliter.* 143. *Quando damnum in re. quæ eſt in potentia. ſit, quid ſit reſtituendum.* 144. *Damnum reparare tenetur corruptor Virginis.* 88

Detinere rem alienam eſt peccatum. 283. *& ſeq.*

Diuiſio rerum non ſolum eſt licita, ſed etiam neceſſaria. 471

Dominis licitum eſt verberare ſeruos. 430

Dominium quid ſit. 434. *Duplex eſt.* 437. *Diſtinguatur nec ne ab vſu.* 438. *Illud habent peccatores, & infideles.* 445. *Non verò Religioſi.* 451. *Illud habent Clerici reſpectu fructuum Beneficiorũ, & Patrimonialium bonorum.* 452. *Vnus homo poteſt eſſe materia dominij alterius.* 461. *Etiam ſpiritualium poteſt eſſe dominium.* 468. *Transferri poteſt.* 467

Dubia ſunt in meliorem partem interpretanda; & quomodo. 50 *& ſeq.*

E

Emens bona fide rem furtiuam, cum ſcit eſſe talem, poteſt contractum reſcindere cum latrone, illamque ei reddere, vt pretium recuperet. 149. *An & emens mala fide.* pag. 152

Epiſcopus deponi poteſt ſi in amentiam incidat. 445. *Peccat mortaliter ſi totam portionem Epiſcopatus in profanis vſibus, vel ditandis nepotibus conſumit.* 455.

Excommunicatio quomodo excuſet à reſtitutio-

tione. pagina 309

Eunuchorum, ſeu ſpadonum concupiſcentia, maxima. 418. *An liceat parentibus filios ſuos facere eunuchos.* 419

F

Famulus poteſt deſeruire domino ad actionem, quę eſt peccatum. 161

Fera vulnerata eſt percuſſoris. 140

Filij familiæ aliquorum bonorum habent plenum dominium. 448. *Quantum poſſint accipere à Patre occultè abſque furti iniuſtitia.* 449. *Quantum ludo exponere.* 494. *An teneantur credere matri ipſi dicenti eſſe illegitimos.* 241

Fructus vineæ accipientes quomodo ad reſtitutionem teneantur. 264

Furtum, qui imperat, ad reſtitutionem tenetur, 245. & *ſeq. Vide Reſtitutio.*

Fur nullo tempore præſcribit. 483. *Quando eius heres.* 484. *Qui rem alienam à fure accipit, non ipſi, ſed domino reſtituere illam debet.* 147 & *ſeq.*

G

Gabellas defraudans ad reſtitutionem tenetur. 131. *An ſi non ſit, qui petat, aut ſi impoſita ſint rebus ad victum neceſſarijs teneatur defraudans ad reſtitutionem.* 132

H

HÆres reſtituere tenetur omnia, ad quę teſtator tenebatur. 83
Homicida quid, & quibus teneatur reſtituere. pag. 79
Homicidium caſuale, vt imputetur, quid requiratur. 404. *Quando inducat irregularitatem.* 408. *& ſeq.*
Honor quomodo ſit reſtituendus. 116

I

IMpediens conſequutionem Beneficij, quando ad reſtitutionem teneatur. 120
Infideles habent ſuarum rerum dominium. pag 445
Innocentem in nullo caſu licet interficere. 365 *Neque tradere tyranno occidendum.* 370
Irregularis eſt, qui aliquem membro priuat. 420 *Non autem, qui membrum debilitat.* 421. *Qui procurat abortum quando fœtus eſt animatus, & effectus ſubſequitur.* 424. *Non verò ſi fœtus non eſt animatus.* ibid. *An debeat gerere ſe, vt irregularem, qui dubitat, an alium mutilauerit.* 425. *Irregularis ſit mutilatus per mutilationem paſſiuè acceptã, ſi notabilis deformitas ſubſequatur.* 427
Irregularitatem inducens, aliter eam inducit ante ordinationem, & aliter poſt illam, pag 429
Iniuſtitia eſt vitium ſpeciale. 23
Iniuſtus non dicitur aliquis ex eo, quod facit in-

iniuſtum. pagina 24
Iniuſtum non poteſt aliquis pati volens. 25. Peccat mortaliter quicunque facit iniuſtum. pag. 26
Iudicandum eſt ſemper ſecundum leges ſcriptas, pag. 56
Iudicium temerarium de malitia proximi ex ſuo genere eſt mortale. 44. Non autem ſemper. 47. Quandoque eſt mortale etiamſi ſit de peccato veniali, aut malo naturali pag. 48
Iudex in peccato mortali publico exiſtens, peccat alios iudicando 33. Non verò ſi peccatum ſit occultum. 34
Ius multipliciter ſumitur 1. Paternum, & dominatiuum debet diſtingui. 4
Iuſtitia quid ſit. 6. Iuſtitia, & iuſtum dupliciter ſumi poteſt. 3. Iuſtitia non eſt eadem cum omni virtute. 8. Legalis eſt virtus ſpecialis. 10. Non eſt eadem cum obedientia. 13. Eſt diſtincta à pietate 14. Eſt pars ſubiectiua, ſeu ſpecies iuſtitiæ ſimpliciter. 15. Eſt aliqua particularis iuſtitia præter generalem. 21. Medium iuſtitiæ, eſt medium rei. 22. Duæ ſunt eius ſpecies, nempe commutatiua, & diſtributiua. 58

L

LAudans furtum aliquando tenetur ad reſtitutionem. 257
Contra legem aliquid recipiens, illud reddere tenetur. 161
Lucrum prohibitum non iuſtè detinetur. 162.

An reſtituendum ſit ante condemnationem. ibid. Quando ſit prohibitum lucrum ex ludo. 494

Ludus etiam prohibitus transfert dominium. 493. Quando trahens alium ad illum teneatur reſtituere quod lucratur. 496. An qui ludit, impignorata fide teneatur ſoluere quod perdit. 499

M

Mandantes furtum ad reſtitutionem tenentur. 252

Maritus non poteſt licitè occidere vxorem adulteram 357

Maſculus, & à fœmina, & ab alio maſculo pretium concubitus poteſt recipere. 169

Matrimonium promiſſum virgini, quam corrupit ſi ſit illa nobilior, & opulentior, an promittens teneatur implere. 94

Meretrices nullo iure obligantur ad reſtituendum ſui corporis pretium. 166

Mulier, quæ occultè ſui corporis copiam facit, iuſtè poteſt pretium recipere. 168. Etiam nupta, etiam Virgo. ibid. Quæ ſupponendo ſibi partum alienum, aut filium ex adulterio pariendo, legitimos hæredes hæreditate priuauit, non tenetur ad reſtitutionem, ſi non poſſit, niſi cum iactura famæ, aut vitæ ſuum peccatum manifeſtare. 240

Milites, an teneantur ablata in bello reſtituere. pag. 262

Mutilare aliquem membro quandoque eſt licitum. 415. Inducit irregularitatem. 420.

An

An ſufficiat ad inducendam irregularitatem membrum debilitare. 421

N

NEceſſitas extrema excuſat à reſtitutione, 293. *An & grauis*. 299. *Ea ceſſante, quid ſit reſtituendum* . 295
Nociua res Domino reſtituenda non eſt . 155. *An reddens peccet contra iuſtitiam.* 158

O

OBligatur primo loco reſtituere, qui furtum præcipit. 275.
Obligatio reſtituendi ſi principali condonetur, qui ſecundo loco tenebantur, manent liberi à facienda reſtitutione. 280
Occidere quamcumq. viuentia irrationalia non eſt illicitum . 352. *Poteſt aliquando eſſe peccatum*, 595. *Licet quandoque peccatores occidere* . 353. *Non tamen priuatæ perſonæ*. 356 *Occidere malefactores non eſt licitum Clericis*. 358. *Neque ſe ipſum* . 361. *Neque innocentem* . 365. *Quid quando caſtitas periclitatur*. 361
Occidere licet inuaſorem pro defenſione propriæ vitæ . 376. *Pro defenſione bonorum*. 382. *Pro defenſione pudicitiæ*. 385. *Pro defenſione honoris* . 386. *Pro defenſione vitæ proximi*. 389. & *ſeq.*
Qui occidit inuaſorem pro propriæ vitæ defenſione non incurrit irregularitatem . 396. *Probabile etiam eſt, ſi fiat propter ſeruandam*

pudicitiam, honorem &c. 398. *& ſeq.* *Orde in reſtitutione ſeruandus.* 310.

P

Participantes in furto tenentur ad reſtitutionem. 259. *Participantes in crimine illi dicuntur, qui ad illud patrandum dant auxilium, &c.* 260

Patri licitum eſt filios verberare. 430.

Peccatores licet publica auctoritate occidere. Non tamen priuata. 356. *Habent ſuarum rerum dominium.* 445

Præcipiens furtum principaliter tenetur ad reſtitutionem. 275

Prægnanti ſit ne licitum medicinam præbere. 391

Præſcriptio quid ſit. 477. *Dominium transfert.* pag. 476

Poſſeſſio quid ſit. 440. *Duplex eſt. ibid.*

R

Rapina quomodo differat à furto. 505

Religioſi nullius rei dominium habent. pag. 451

Reſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ. 60. *Ad eam ſola violatio iuſtitiæ commutatiuæ, obligat.* 65. *Eſt neceſſaria ad ſalutem.* 77. *Quæ, & quibus ſit facienda ab homicida, & mutilatore.* 79. *Ad quam teneatur, qui virginem violauit.* 88. *Ad quam qui famam abſtulit.* 99 *Qui honorem.* 115. *Qui beneficium, vel officium alteri impedit.* 120. *Qui tributa defraudat.* 129. *Qui ligna cedit in lo-*

locis prohibitis, colligit fructus, paſcit greges, venatur, piſcatur, &c. 133 *Qui damnum infert.* 141. *Qui à fure aliquid accipit.* 147 *Qui rem furtiuam emit.* 149

Res nociua reſtituenda non eſt. 155

Ad reſtitutionem tenetur, qui contra legem aliquid accipit. 161. *& ſeq.*

Quando verus Dominus ignoratur reſtitutio in eleemosynis eſt facienda. 185.

Poteſt aliquando reſtitutionis debitor illam in proprios, & parentum vſus applicare. ibid. *Quid ſi facta tali diſtributionem verus dominus agnoſcatur.* 186. *Quid ſi Dominus ſit multum diſtans.* 194. *Quid ſi dum tranſmittitur reſtitutio pereat in via.* 197

Semper reſtituere tenetur qui accepit rem alienam. ibid.

Qui non poteſt reſtituere abſque periculo famæ, aut vitæ, non tenetur. 238

Qui tenentur reſtituere etiam ſi non accipiant. pag. 245. *& ſeq.*

Quæ à reſtitutione excuſent. 293. *& ſeq.*

Recurſus ſemper per ſe obligat ad reſtitutionem. pag. 451

S

SVſpicio ex ſuo genere non eſt peccatum mortale. 38. *Nunquam eſt mortale ſi intra limites ſuſpicionis ſit.* 40

Sacerdos accelerans exequutionẽ mortis damnati, ſit ne irregularis. 408.

Serui nullius rei dominium habent abſolutum. 447. *Bene tamen imperfectum* ibid.

T

Theſaurus quid ſit, & an inuentoris: pag. 510

Teſtamentum etiam minus ſolemne transfert dominium. 485.

Tributum. Vide Gabella.

Tyrannus poſſit ne à quolibet occidi. 356

V

Violatio iuſtitiæ diſtributiuæ ſecundum ſe non inducit obligationem reſtituendi. 63 *Habet tamen ſæpe annexam læſionem iuſtitiæ commutatiuæ, & reſtitutionem.* 35. *& ſeq.*

Violator Virginis tenetur illi omnia damna reſtituere. 88. *& ſeq.*

Vſurarius nullo tempore præſcribit. 483. *Quando eius hæres.* 484

Vſus quid ſit. 437. *Duplex eſt. ibid. Diſtinguatur nec ne à dominio.* 437.

Vxorem in adulterio deprehenſam, an marito interficere liceat. 357. *An etiam Patri filiam.* 358.

Vxores habent aliquarum rerum plenum dominium. 448 *Non poſſunt inuito marito de bonis familiæ dare.* 450

99 B 3933